




Enarratio Epistolae Pauli scriptae ad Ephesios

<https://hdl.handle.net/1874/429337>



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Kust 109


N. N. 4




21

r







N. II. C.

ENARRA
TIO EPISTOLÆ PAULI
LI SCRIPTÆ AD

Ephesios, col

lecta à *Ex dono Buchely.*

Georgio Maiore

Impressa VVitebergæ.
Per Vitum Creutzer.

1552.



THE FIRST OF APRIL
IN BOSTON

Epiphany of
George M. ...

Mr. V. ...
Boston

1872



INCLYTO ET POTEN-
TISSIMO PRINCIPI AC

Domino, Domino Christiano Regi
Daniae, Noruegiae, Gothorum &
Vandalorum. Duci Slesuicensi &
in Holstat, Domino Ditmarsiae,
&c. Comiti in Oldenburg.

Domino suo Clemen-
tissimo, Georgius
Maior.

S. D.



T HALCYONI
parienti in Scopulis
marinis concedit tran-
quillitatem Deus hor-
ridis brumae tempesta-
tibus, ita Ecclesiam

parientem in uestras insulas iam abdi-
dit, & ei Halcyonia tribuit cum in om-
nibus alijs regnis aut prorsus deletae sint
Ecclesiae ut nusquam ibi uox Euangelij
publice sonet, aut uastentur seuericia Pon-
tificum, aut bellis perterrefactae minus
A 2 cueri

tueri studia doctrinæ & gubernationem
possint, aut dissidijs opinionum turben-
tur. Vt autem hæc mala in ceteris regnis
deploranda sunt & agnoscendæ sunt
causæ. Nostris enim uicijs & sceleribus
atrahimus pœnas, ita iustissimum est
Deo gratias agere, quod alicubi tran-
quillum hospitium Ecclesiæ prebet.
Quid cogitari in genere humano pul-
crius tali statu potest? qualem de-
scribit Psalmus inquires. Cum conue-
nient populi simul & Reges ut seruiant
Domino. Talis est Dei beneficio forma
Regni Danici hoc tempore. Rex sapi-
ens, recte inuocans Deum, iustus, ue-
rax, castus & temperans, curat recte
doceri Ecclesias, & in gubernatione, cu-
stos est pacis & disciplinæ. Populus &
uoce doctrinæ commonefactus, & Re-
gis exemplo inuitatus, omnia pietatis of-
ficia maiore studio facit, & mores regit
ad legum normam. Vox docentium in
templis una & consentiens est, ad quam
conueniunt Rex, Regina, Filij, Princi-
pes,

pes, populus, nec dissidijs dogmatum
turbatur inuocatio, publica munificen-
tia iuuantur studia literarum. Ministros
Euangelij non solum Regis autoritas,
sed etiam populi beneuolentia tuetur.
Populum uero & singulorum fortunas
defendit Regis iusticia.

Hæc bona cum certū sit à Deo tribui,
gratias ei toto pectore ago cū alijs mul-
tis, & eum oro, ut semper & Ecclesiam
inter uos æternam colligat, & similem
gubernationem uobis tribuat, quod eo
etiam opto, quia in Germania distractio-
nes Ecclesiarum paulatim fiunt atrocio-
res, & bella malis ingenijs plus licentiæ
concedent. Ad hæc si Turcici exercitus
in Germaniam uenient, qualis uastitas
erit? Optandum est igitur, ut alicubi Ec-
clesia nidum & Halcyonia habeat, ubi
frequentia recte eruditorum esse pos-
sit, qui inter sese conferant sententias,
& regant studia aliorum & consilia.
Siqui autem securi existimant non im-

pendere magnas imperiorum confusions & uastationes, hi ut non dicam de bellis Germanicis, uicinam Pannoniam intueantur, ex qua non est credibile ultro nobis cessuros esse Turcos, aut ea prorsus occupata non in Germaniam transituros esse, iam quoque certorum hominum literis significatur magnos & Tartaricos & Turcicos exercitus adduci. Scio rideri prodigia, & uaticinia, ut ridentur à procis Penelopes apud Homerum. Ego tamen, etiamsi timidus aut supersticiosus dicar, fateor me talium uirorum uaticinijs moueri, in quibus significatio est diuini Spiritus. Fuit ante annos fere centum in oppido Turingiæ Isennaco in collegio Franciscanorum uir dictus Iohannes Hiltenius, qui cum eruditione & pietate ceteris antecelleret, absurdiores superstitiones, tunc quoque magna grauitate taxauit. Is cum alia multa predixit de harum regionum calamitatibus quas uidimus, tum uero enarrationem Danielis scriptam reliquit,

liquit, in qua multa annotauit, sua manu de inclinatione Regni pontificij, de Turcica irruptione in Germaniam, & de alijs regnorum mutationibus, de Romano pontifice expresse scripsit circiter annum à Natali Christi 1516. initium fore inclinationis potentiaè Romani Pontificis, & eam deinceps magis magisque ruituram esse. nec futuram esse restitutionem pristinae autoritatis aut potentiaè. Hoc uaticinium cum Euentus comprobauerit, non contemno ceteras eius predictiones. Nota sunt enim initia certaminum Lutheri, in quibus cum tetri errores Monachorum & Pontificum taxati essent, ualde labefactata est autoritas Pontificia. Nam anno 1517. Primum editæ sunt propositiones de Pœnitentia. Postea quæ piorum & doctorum iudicia, quæ studia multarum gentium secuta sint non obscurum est.

Huius Hiltenij manu & alia multæ
A 4 sententiaè

sententiæ scriptæ sunt. Anno 1600. ait
in Europa uniuersa regnaturum esse
hominem seuissimum. Et mox in pa-
gella altera inquit regnatos esse Gog
& Magog Anno 1606. Opinor utran-
que predictionem de Turcis loqui,
Sed si diuersæ gentes peregrinæ & bar-
baræ significantur, quæ simili crudeli-
tate Europam uastabunt, & inter sese
dimicabunt, plus erit calamitatum.

Hæc mala iam procul intuens,
quandæ non longum tempus est, cum
tantum ab hoc anno restent ad predicti-
onis numerum anni 48. cohorresco toto
corpore, quasi iam cernens & urbium
incendia & ἐρημια, templorum & scho-
larum solitudines, in his nostris nidulis
uagantes Turcos, Tartaros, aut Iberos,
qui deleta uera doctrina de Deo, aboli-
tis omnibus legibus, & disciplinæ ner-
uis, omnium scelerum impunitatem
habebunt, qua in cogitatione, cum pro-
pter doloris magnitudinem me ab hoc
tristi

tristi spectaculo reuocare cogar, ad te
fili Dei, Domine Iesu Christe crucis
fixe pro nobis & resuscitate, me con-
uerto, teq; oro, ne nos in hac languida
senectâ deserâs, sed immensa bonitate
tua has pœnas nobis & posteritati lenis-
as, & in his regionibus Ecclesias
& earum hospitia protegas. Hæc etiam
non uana uaticinia recito, ut pluribus
nota sint, & multi ad precessionem ac-
cendantur, aliqui etiam admoniti cõsi-
derent semina & *προναιαρχτικὰς* causas
tantarum calamitatum, & sint modesti-
ores. Est & terribilior explicatio horum
uaticiniorum addita ipsius manu, de
tempore, quâ diu Turcica tyrannis Eu-
ropam reliquam uastatura sit. Sed fui
longior in hac commemoratiõe, quam
volebam. Nec uero sum Stoicus, ut
mitigari fata non posse existimem.
Multa Principum sapientia leniri pos-
sent, Sed etiamsi multi ruunt in pœ-
nas, tamen alicubi aliquorum diligen-
tiam profuturam esse patriæ spero.

Nec filius Dei Stoicus est, qui tristissimis concionibus suis de hac ipsa mundi senecta hanc addidit consolationem. Iubet nos precari, ne his communibus malis opprimamur, seruabit igitur suos aliquos coetus inter has imperiorum ruinas. Et ut seruet, ardentibus uotis eum oremus. Simus etiam nunc in docendo, & in fouendis Ecclesijs diligentiores, ne prius nostris furoribus & dissidijs extinguatur lux doctrinae, & uastetur patria ciuilibus armis, quam Turcicis. Suo igitur loco quisque sui officij memor sit. Scio me in munere docendi uersari, quod longe superat etiam praestantissimorum hominum sapientiam, & meam infirmitatem utcumque agnosco & deploro. Sed uoluntatem meam Deo probari spero, qui etiam ore infantium & lactentium uult celebrari. Quare mediocri studio & meae domesticae Ecclesiae, & publicae in templis & in Scholis Doctrinam Euangelij propono, & meos ad ueram

ueram inuocationem Dei, & ad disci-
plinæ reuerentiam quantum possum
adsuefacio, à consilijs publicis libenter
absom. Nec ipse nouum gigno doctri-
næ genus, sed consensum harum Eccle-
siarum quem & Danicæ & Saxonicæ
Ecclesiæ amplectuntur, sequor. Et
hanc iudico ueram Apostolicæ & Cas-
tholicæ Ecclesiæ sententiam esse, in qua
Ecclesia uere habitat filius Dei, & quam
exaudit, & seruat.

Edidi igitur quædam meorum
Scriptorum, ut extet & meæ confessi-
onis testimonium. Etsi autem de Sum-
ma doctrinæ. prorsus ut dixi, consens-
um harum Ecclesiarum quas nomina-
ui, sequor, tamen in tanta magnitudine
rerum fieri potest, ut interdum aliquid
minus explicate à me dictum sit, ut in
hac communi imbecillitate paucissimi
satis intenti sunt, certe dolo nihil mu-
tare in communi doctrina uolui. Qua-
re semper & scripta mea, & me iudicio
harum

harum Ecclesiarum subieci, & adhuc
subiicio, uult enim Deus in uera Ec-
clesia esse iudicia, ut alij ab alijs admon-
neantur. erudiantur, & confirmentur,
& magnum pietatis officium est cano-
nica admonitio.

Cum autem consuetudo sit, ita edere
scripta ut nominatim aliquibus publice
mittantur, ut sint iudices, aut ut Scrip-
tor suam erga illos uel obseruantiam
uel beneuolentiam ostendat, Ego hanc
enarrationem ad Regiam M. T. pro-
pter has ipsas causas mitto, & ut Eccle-
siae tuae iudicio scripta mea permit-
tam, & ut ostendam me tuo Regno
gratulari piam tranquillitatem, & De-
um precari, ut sit perpetua.

Vt igitur filius Dei Dominus nos-
ter Iesus Christus in agone suo Patrem
aeternum orat, ut seruet Ecclesiam,
sanctificet, ac faciat, ut unum sit in
IPSO, Sic ego toto pectore cum
summo

summo sacerdote nostro Domino Iesu
Christo, precor, ut in his regionibus
& in Regno tuo semper Ecclesia
colligatur, & ut omnes Doctores in
eis unum sint in Deo, Oro etiam hunc
uerum Deum æternum Patrem Do-
mini nostri Iesu Christi conditorem
cœli & terræ, & Ecclesiæ suæ, ut seruet
incolumes Regiam M. T. Et inely-
tam Reginam, & Nobilissimos filios
& filias, & Regnum tuum protegat.

Data VVitebergæ Anno 1552.
die Quinto Maij, quo ante annos
1522. filius Dei Dominus noster Ie-
sus Christus in cœlum triumphans
magna multitudine spectante ascendit,
& illustre testimonium ostendit, se Ec-
clesiæ suæ redditurum esse usquam, &
in illa cœlesti consuetudine
eam semper uicturam esse
ut sapientia & bonitate
Dei in omni æterni-
tate fruatur.

PSALMVS. 122. LETA
rus sum in his quæ dicta sunt mihi:
Gratiarum actio de bono
statu Ecclesiæ, & Regnis,
& Precatio.

Summe Deus, nobis patefacte in rupe Sinai,
Nostra tibi grates pectore & ora sonent.
Quod sancis, Solymis ut templi immota sit omni
Tempore de hinc sedes, quod tua dicta sonet.
Curia stat nobis sapiente ornata senatu,
Consilio patriam, uoce tuaq; regens.
Pectora cunctorum dulcis concordia iungit,
Et studio ædificant mœnia nostra pari.
Isaciasq; tribus cunctas huc ire necesse est,
Cedenda est alio uictima nulla loco.
Hic uox doctrine spargatur ut unica pura,
Quam nobis coelo tradidit ipse Deus.
Ipsius ut bonitas in toto luceat orbe,
Notaq; sint gnati munera magna tui.
Restituit nobis uitam qui labe remota,
Iustifica saluos & facit esse fide.
Hic fons doctrine sit limpidus inde fluentis,
Non ficto Deus ut possit honore coli.
Posteritas in qua Dauidis regna tenebit,
Hic semper sedes non peritura manet.

Diligite

Diligite hanc solymen & cuncti reddite grato
Debita corde ipsi munera, uota, preces.

Qui fouet officijs hanc iustis atq; tuetur,

Protegit hunc semper dextera magna Dei.

At tibi pax & uera salus Ecclesia semper,

Quae discis studio dogmata sancta pio.

Fausta meos propter fratres, propterq; propinquos,

Opto tibi, & templi ne labefiat honos.

FINIS.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and bleed-through.



DE VRBE EPHESO

& templo Ephesiæ

Dianæ.

EPHESVS Ioniæ urbs celeberrima, condita est (ut ex Pherecide refert Strabo) ab Antroclo Codri Atheniensis Regis filio, circiter annum 2900. à mundo condito, tempore Dauidis Regis, quæ Regum Ioniæ sedes fuit.

Varijs autem olim appellata est nominibus. Troianis enim temporibus vocata est Alopes, mox Ortygia & Morges. Item Samornion & Ptelea. Smyrna uero ideo, quòd Smyrna Amazon fuit, quæ Ephesum tenuit, à qua Ephesus urbs, Smyrnæ nomen habuit, Vnde sunt, qui Ephesum ab Amazonibus conditam existimant.

Attollitur uero Ephesus monte Pione, & alluitur flumine Caistro. Porro cum urbs oportuno sit sita loco, pro-

B

pres

DE VRBE

pter importandas & exportandas omnis generis merces, Ideo & Plinius refert Ephesum alterum lumen Asiae, mercatus causa à plurimis & uarijs populis frequentari.

Constat autem & eo tempore, quo Paulus Ephesi Euangelium docuit, urbem fuisse celeberrimam, opibus & hominum multitudinem abundantem. Nam & Strabo ex Amasia Ponti urbe natus, qui totam Asiam, Aegyptum, & maximam partem orbis perlustrauit, & sub Augusto ac Tiberio uixit eodem fere tempore, quo Paulus Euangelij doctrinam in orbe terrarum propagauit, scribit Ephesum ciuitatem propter loci opportunitatem quotidie crescere, & maximum citerioris Asiae emporium esse. Solet autem hoc magnis urbibus et emporijs plerunq; accidere, ut ex commercio uariarum gentium, corruptissimi mores & plurima uitia simul inuehantur.

Fuit

EPHESO.

Fuit uero Ephesus propter Dianæ templum, quod ibi celeberrimum erat, ita Idolatriæ dedita, ut nulla aliarum urbium Asiaticarum. Erat enim templum augustissimum, ad quod Asia & totus penè orbis confluebat, Sicuti & Lucas in Actis testatur, De quo Plinius sic scribit.

Græcæ magnificentiæ uera admiratio extat templum Ephesiæ Dianæ, ducentis uiginti annis factum à tota Asia, longitudo templi est quadringentorum uiginti quinque pedum, latitudo ducentorum & uiginti, columnæ centum & uiginti septem, à singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine. Et quia templum Dianæ, Asylum & olim & suis temporibus fuisse scribit Strabo, ideo necesse est, eò tanquam insentiam, magnam multitudinem sceleratissimorum hominum confluisse.

Fuit autem ea urbs & magicis dedita

B ij artibus

DE VRBE

artibus (ut idolatriam semper multae
dæmonum præstigiæ sequi solent) &
adeo quidem, ut inde prouerbum or-
tum sit : Ephesiæ literæ . Erant autem
characteres & voces quædam, quibus
aduersus omnis generis mala sese mun-
tos & tutos putabant.

Suidas scribit in certamine olym-
pico, Milesium quendam cum Ephesio
congressum, semper ab Ephesio in pug-
na uictum, Sed cū deprehensum esset,
eum in talo Ephesias habere literas,
mox ac ademptæ essent, à Milesio
uictum.

Testatur autem & Lucas idem in
Apostolicis actibus, cum scribit eos,
qui curiosas artes exercuerant, conuer-
sos doctrina Apostolorum, compor-
tasse libros, & exussisse coram omnibus
quorum pretium æstimatum sit quinquæ-
quaginta milium denariorum, quæ est
summa 5600. aureorum.

In tali igitur urbe abundante omnium
rerum

EPHESO.

rerum copia, & oppressa tot sæculis
 Idolatrico cultu, & uarijs præstigijs dæ-
 monum, ad fidem Christi conuertenda,
 multum negotij & periculi fuisse
 Paulo & cæteris Apostolis ac Syner-
 gis, facile apparet, cum in ea & finiti-
 mis locis totum triennium Euangelium
 docuerint, & in confessione doctrinæ,
 ut Paulus ipse de se scribit, Ephesi cum
 bestijs pugnauerit, seditiones, persecu-
 tiones & plurima mala ibi pertulerit.
 Sed tandem adspirante Deo, uirtute
 doctrinæ, & admiratione tot ingenti-
 um miraculorum Pauli, quæ Ephesi &
 in finitimis locis faciebat, uicti Ephesij,
 submiserunt colla iugo Christi, Sicuti
 Lucas inquit: Fortiter crescebat sermo
 Dei & confirmabatur.

Fuerunt autem ex ea urbe uiri clari
 Hermodorus, qui cum ciues suos pro-
 pter latam legem, Nemo nostrum
 frugi esto, reprehendisset, pulsus patria,

DE VRBE EPHESO.

Romanorum Legatos in Græcorum
legibus describendis adiuuit, Deinde
Hipponax Poëta, & pictores insi-
gnes Parrhasius ac Apelles.

Hæc breuiter de Epheso
urbe, & templo
Dianæ.

Argumentum



ARGVMENTVM
EPISTOLAE AD EPHE-
sios, Autore Philippo
Melanthere.



PISTOLA AD
Ephesios magis fuit
in manibus hominum
quàm cetera, quia
præcepta moralia plu-
ra, & uberius explica-
ta cõtinet, Quod eti-

amli uerum est, tamen priores loci, in
quibus est summa doctrinæ Euangelij
de Christo, de iustificatione, regenera-
tione, de peccato & corruptione nature
humanæ, de ministerio Euangelij, de
Ecclesia, prius considerandi sunt.

Nam hic magna luce uerborum,
doctrina de illis locis repetita est. Qua-
re de grauissimis controuersijs, hinc il-
lustria testimonia sumuntur.

B iij

Primi

ARGVMENTVM EPLA

Primi capituli loci.

PRIMVM caput causas recitat cur missus sit filius Dei. Erudite autem alludit ad promissionem: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hanc benedictionem, copiose declarat, ut refuset Iudaicam interpretationem, qui benedictionem illam intelligebant imperium mundi.

Ipsa contra ait Messiam nobis donatum esse, ut benedictione coelestium cumulemur, id est, remissione peccatorum, donatione Spiritus sancti & uitae aeternae, & simus filij Dei propter illum Messiam, & cohaeredes uitae aeternae cum eo, & iam propter hunc Christum sedentem ad dextram Patris, simus copulati cum Deo. Quia enim adiuncti sumus huic capiti Christo, iam sumus reconciliati Deo, & Deus in nobis est efficax.

Ita in primo Capite recitantur beneficia filij Dei, & enarratur promissio de

STOLAE AD EPHES:

de benedictione, quod uidelicet missus sit Messias, non ut det mundi imperium, sed deleat peccatum & mortem, & instauret iusticiam & uitam, & nos auulsos à Deo, rursus cum Deo copulet, coniungat cœlestia & terrestria, id est, Deum & Ecclesiam in cœlo & in terra.

De doctrina & locis secundum Capitulum.

IN secundo Capite dicit de adplicatione, quomodo hæc beneficia nobis adplicentur, & quomodo ea consequamur, & primum describit peccatum originis seu corruptionem naturæ humanæ, & tristissimam seruitutem quæ secuta est lapsum primorum parentum, cum & Diabolus impellit infirmas mentes hominum, & homines sua imbecillitate ruunt in uaria scelera, ut Saul sua infirmitate admittit & alit emulationem, & hanc flammam

I.

B v auget

ARGVMENTVM EPI

auget Diabolus, qui insidens in cor Saulis, iram & furores excitat, & eum impellit, ut Dauidem interficere conetur, ut filio mortem miniteretur, ut Sacerdotes insontes trucidet. Sic describitur hoc loco peccatum Originis, ut simul cōprehendatur mentio effectuum & mali omnium summi, scilicet tyrannidis Diaboli, grassantis in omnibus non liberatis per Christum, ut tota mundi historia inde usq; à Cain ostendit, plena blasphemiarum, Idolorum, libidinum, mendaciorum, iniustarum caedum & aliorum scelerum.

Hæ tantæ res duabus insignibus sententijs hoc loco breuiter traduntur. Eramus natura filij iræ, Et mali spiritus sunt efficaces in incredulis.

II.

Postea sequitur doctrina de Iustificatione, in qua exponitur, quomodo consequamur beneficia Christi, Gratia propter Christum inquit, nos saluari, non

STOLAE AD EPHE:

non propter legem aut nostra opera.
De hac sententia inter explicandum copiosius dicendum erit.

Oportet enim integram doctrinam de Iustificatione semper omnibus pijs in conspectu esse, quia sine eius cognitione nulla vera inuocatio Dei fieri potest, Ideo sæpe repeti hanc doctrinam necesse est.

Mox sequitur doctrina de bonis operibus, quæ etiam hic insignibus discipulis breuiter comprehensa est. Ipsius opus sumus, conditi ad bona opera, per Christum, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus.

Eruditissime discernuntur hic opera Philosophica ab Ecclesiæ operibus, Socrates, Xenophon, honeste uiuunt, sed hæc est tantum disciplina rationis. Alia uero longe maiora sunt opera Noë, Ioseph, Samuëlis, Davidis, Ieremiæ, Baptistæ, Pauli. Ad hæc concurrunt hæc causæ: Deus vocans & adiuuans voluntas

III.

ARGVMENTVM EPI

uoluntatem Ieremiæ, & uoluntas ob-
temperans. Ideo dicit, IPSIUS O-
PVS SVMVS. Item Deus præ-
parauit hæc opera in Sanctis, id est, di-
uersas uocationes ordinauit & singulas
adiuuat. Aliter uocat Samuelem, alie-
ter Ieremiam, Et utriusq; gubernatio,
etsi negotiorum magna dissimilitudo
est, tamen est fœlix, Deo uocante, ad-
probante & adiuuante.

Hoc loco breuiter significat quæ o-
pera Deo placeant, & quomodo fieri
possint, & quomodo sint utilia Eccle-
siae & nobis. Hæc sciri necesse est & ad
excitandas mentes ad bene operandū,
& ad consolationem aduersus ingens
tem infirmitatem nostram.

Quid dulcius est pijs cum uident,
quàm magna & multa sint impedimen-
ta bonorum operum in hac uita, quam
scire hanc consolationem, quod adiu-
uemur à Deo, quod cursus noster non
sit in-

STOLAE AD EPHE.

fit inanis & irritus, quod non frangantur inuiti contentione Ionathas, Ieremias, Baptista, Paulus, sicuti inutilibus contentionibus summa ingenia consumpta sunt, Periclis, Alcibiadis, Demosthenis, Ciceronis & aliorum innumerabilium.

Hæc copiosius in explicatione dicentur. Nunc enim tantum attingi, ut Lector consideret quam salutaris doctrina hic proponatur, & quam illustribus uerbis res magnæ significatæ sint. Nec detorqueatur uerbum **PRÆPARAVIT**, ad remotas disputationes de prædestinatione, sed ad hæc, oculis nostris propiora, referatur, scilicet ad uocationem & ad auxilium, & ad Ecclesiæ & politiarum gubernationem.

Quarto dicitur hic de abrogatione III.
Legis.

Quinto de uocatione Gentium. V.
Sexto

ARGUMENTVM EPI

VI.

Sexto de Ecclesia, qui locus etiam inter præcipuos obseruandus est. Docet enim & quid sit, & ubi sit Ecclesia. Ait enim extructam esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, super doctrinam traditam per Apostolos & Prophetas. Vbicunq; igitur est ministeriũ sonans puram Euangelij doctrinam, ibi est Ecclesia.

Econtra ubi nõ sonat uox Euangelij, ibi nulla est Dei Ecclesia. Non igitur de inuisibili Idea disputat, sed proponit oculis & auribus agnoscendam Ecclesiam. Quia deducit te ad Ministerium & uocem Euangelij. Et in hoc cõter adfirmat Christũ efficacem esse. Hunc enim ait esse lapidem angularem, per quem extruimur, ut simus domicilium Dei.

De locis tertij Capitis.

I.

IN Capite tertio concionatur de sua functione, ut Ecclesia sciat huic doctrina

STOLAE AD EPHE.

ctrinae certò tanq̃ uoci Dei de caelo sonanti credendum esse.

Et inseruntur amplificationes dulcissimæ, de mediatore Christo & de fide, cum ait. Per quem audemus accedere cum fiducia per fidem.

Secundo, breuis consolatio addita est.

II.

Loci Quarti Capitis.

Postquam absoluit hos priores locos doctrinae, de filio Dei, de peccato, de gratia, de fide, de bonis operibus, de abrogatione Legis, de uocatione Gentiũ, de Ecclesia, de cruce, nunc in quarto capite orditur dulcissimam concionem, quæ præcipit doctoribus, ut concordiam tueantur. Et deinde incipit splendidissime concionari de causa & dignitate ministerij Euangelici, & proponit nobis consolationem insignendam animis, uidelicet ministerium Euangelij

ARGVMENTVM EPI

angelij diuinitus conseruari, & subinde
 instaurari, et excitari idoneos doctores,
 ne penitus extinguatur lux ueræ doctri-
 næ de Deo.

Cum tantæ sint ruina Regnorum,
 tantæ confusiones in omni gubernati-
 one ciuili & Ecclesiastica, tanta in stu-
 dijs negligentia, tam multa praua inge-
 nia & organa Diaboli, quæ corrup-
 punt doctrinam Ecclesiæ Dei, quærunt
 anxie mentes piorum, ubi sit mansura
 Ecclesia, ubi sit mansura doctrinæ lux
 & puritas, & vox ministerij? Hæc cu-
 ra omnes sanos excruciat. Quare hanc
 dulcissimam consolationem memine-
 rimus, sciamus Deum ab initio in para-
 diso, sine ullis humanis consilijs, incho-
 asse per sese ministerium Euangelij, &
 postea grassante diabolo, mirabiliter
 serualle, & seruari peramus. Hoc eti-
 am quod est nostri officij faciamus, si-
 mus fideles auditores & custodes do-
 ctrinæ traditæ per Prophetas et Aposto-
 los.

STOLAE AD EPHES:

los. Nam in illo coetu est efficax filius Dei, sedens ad dextram æterni patris, qui audit, legit, discit Evangelium, & ex eo coetu multos Spiritu sancto accendit, ut fiant salutare doctores. Estq; utile & iucundum, considerare seriem doctorum, inde usq; ab initio Ecclesiæ, in qua, cum uelut in exercitu, uideamus continuata agmina, & prioribus mox succedere sequentes, agamus gratias Deo, quod tanta misericordia subinde Euangelij doctrinam instaurauit.

Primus cōcionator in paradiso edēs promissionem de semine cōtrituro serpentem, est ipse filius Dei. Hic ordinatur sacerdos & Doctor Adam, Deinde Abel, hoc interfecto Seth, post hunc Henoch & alij usq; ad Nohe, inter quos subinde recentiores doctrinam à multis testibus acceperunt. Et cogita quale collegium fuerit Adæ cum aliquot posteris, aut Nohæ, cum sex patribus inde

C

usq;

ARGVMENTVM EPI

usq; ab Enos filio Seth. Post diluuium, Nohe succedit Sem, quo adhuc florente, uocatur Abraham, & fit insignis instauratio promissionis & restrictio ad certam familiam & certum locum, ut sciretur ex qua familia, & quo loco expectandus esset Christus.

Colligitur & magna Ecclesia ex Canaanis & Aegyptijs ministerio Isaac, Iacob, Ioseph.

Postea crescente Ecclesia exarsit furor diaboli in Pharaone, & delere uniuersum semen Abrahamae conatur. Hic excitatur Moyses, cui succedunt Iosue & Phinees, & alij usq; ad Samuelē. Huius auditores sunt Nathan, Dauid, & alij. Tempore Salomonis regebant doctrinam Sadoc & Abiathan auditores Nathan & Dauidis, Tunc & Propheta uixit Ahias Selonites. Denique uocatus est Elias, Hunc audivit Heliseus, qui annos amplius septuaginta docuit, Huic successit Esaias, Deinde Ieremias. Hunc uidit Daniel. Post Danielem gubernarunt Ecclesiam Haggeus

STOLAE AD EPHES.

Haggeus & Zacharias, His successerunt
Esdras & Nehemias, Deinde Malachia
non multo ante Machabeos. Post hos
secutæ sunt magnæ tenebræ, ortis sectis
Pharisæorum & Sadduceorum. Nec ta-
men prorsus extincta est lux doctrinæ
Propheticæ, Sed fuerunt custodes doctri-
næ Simeon, Zacharias, & deinde Baptis-
ta. Post hunc ipse filius Dei clarissime
docuit Evangelium, deinde Apostoli &
eorum discipuli. Post hos cum exorta
essent certamina cum Hereticis, excitati
sunt Gregorius Neocesariensis, Athana-
sius, Basilus, Deinde cum Origenis &
Platoniorum somnia passim legerentur,
& iam magis philosophia de moribus in
Ecclesia sonaret, quam Evangelium de
fide, qua beneficia Christi accipienda
sunt, Augustini ministerio reuocata sunt
Ecclesie ad Evangelium, & ad intelligen-
dam doctrinam de gratia & de fide. Et
hic reliquit discipulos eruditos, Prospe-
rum, Maximum & alios.

ARGVMENTVM EPI

Horum uestigia secutus est Hugo, qui mediocriter docet. Deinde Canones Pontificum, Thomas, Scotus & illa agmina Monachorum, qui confuderunt genera doctrinæ, Philosophiam & Euangelium, ualde confirmauerunt superstitiones, & tenebras in Ecclesiam inuexerunt. Interim tamen aliqui pii doctores fuerunt, quorum alij plus, alij minus lucis habuerunt, ut Bernhardus, Taulerus, qui ante annos fortassis ducentos fuit. Nunc immensa Dei misericordia iterum facta est repurgatio Doctrinæ per Reuerendum Dominum Doctorem Martinum Lutherum.

Hanc seriem Doctorum recensui, quia enarratio est huius dicti Paulini, de conseruatione Ministerij, & exempla ipsa ostendunt, uere Dei ope Ministerium Euangelicum seruari, restitui & defendi.

Ordine autem hi articuli hoc loco obseruentur.

Primus

STOLAE AD EPHE.

I.
Primus de causa à qua oritur Ministerium Euangelij, & à qua conseruatur, uidelicet, quod hic autor & conseruator sit filius Dei regnans ad dextram patris.

II.
Secundus de gradibus Ministrorum, Hac discrimina suo loco infra explicabuntur. Ac necesse est gradus considerare, propter has causas, ut sciamus quæ sit autoritas tribuenda singulis Doctõribus.

Prophetarum & Apostolorum uoci credendum est tanquam uoci Dei immediate de cœlo sonanti, certissimo & euidentissimo testimonio. Per hos Deus reuelauit arcanam uoluntatem de filio, & de remissione peccatorum, & ornauit eos miraculis, ut certo sciremus eos non errare.

Deinde alij Doctores ab his accipere Euangelium debent, & cum ab hac uoce discedunt, errant. Sed de hoc discrimine prolixius infra dicetur.

ARGVMENTVM EPI

Tertius articulus est de causa finali,
Quare seruetur & instauretur ministerium: Videlicet, ut non extinguatur lux Euangelij, sed retineatur puritas doctrinae & concordia, & perpetuo sit aliqua Ecclesia Dei, recte inuocans Deum.

Ideo haec uerba in textu mandentur memoriae, & adfigantur animis: *Mitti Ministros, ut aedificetur corpus Christi, Et denique, Ne simus uelut pueri fluctantes* antes omni uento doctrinae per imposturas hominum, id est, *Vbi Deus non seruat Ministerium, nec subinde repurgat doctrinam, obrepunt errores infiniti, ut cum Ethnici amisissent doctrinam de uero cultu Dei, postea finxerunt portentosas opiniones sine fine, alij Iouem, alij Martem, alij Venerem, alij Bacchum, alij Cererem, alij Dianam, alij Priapum, alij Serpentes & Feles coluerunt. Idem accidit Hæreticis & Mahometistis.*

Sic iam Deo instaurante lucem
Euangelij,

STOLAE AD EPHES.

Euangelij, contradicentes manifeste ueritati, & propugnantes idola, cumulant errores, & circumferuntur omnino uento doctrinae, Volunt tollere peccata per Missas, petunt auxilium ab hominibus mortuis, obruunt doctrinam de fide accipiente remissionem peccatorum propter Christum, & transformant Euangelium in Ethnicas religiones, & magis magisque discedunt à uera Dei agnitione & inuocatione.

Ita in toto genere humano tenebrae uniuersales existerent, nisi Deus subinde partem aliquam exciperet, seruato & instaurato ministerio Euangelico, per quod Deus est efficax, & uocat ac sanctificat homines ad aeternam salutem.

Sed hic disputant aliqui, Cum Deus semper seruet ministerium Euangelicum, non igitur sunt errores apud eos qui funguntur ministerio, alioquin frustra diceretur seruatum ministeria

ARGVMENTVM EPI,

ministerium? Ad hæc respondeo. Semper est aliquod ministerium Euangelij verum, sicut multæ promissiones affirmant. Et Esaias inquit cap. 59. Hoc est foedus meū cum eis, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ob ore tuo, & ab ore seminis tui in sempiternum &c. Sed hoc ipsum Ministerium aliàs purius est, aliàs impurius. Et fieri potest ut plures sint mali doctores, sed tamē alij pauci saniores retinent fundamentum. Et Deus subinde instaurat puritatem doctrinæ, ut exempla temporum supra recitata ostendunt.

Sicut Eua in paradiso assensit serpenti, ita semper multi in illo ipso coetu, qui titulum habet Ecclesiæ aberrant à puritate doctrinæ.

Interim tamen Deus seruat aliquas reliquias, ut inquit Esaias. Nisi Deus reliquisset nobis semen, uelut Sodoma facti essemus. Agnoscamus igitur hæc immensa

STOLAE AD EPHES.

immensa beneficia Dei, & grati fruamur, quod uidelicet Deus mirandis modis seruat ministerium Euangelicum, & per id est efficax, colligit & sanctificat sibi æternam Ecclesiam. Hęc consolatio necessaria est pijs propter multas causas. In tantis ruinis regnorum, nulla est certa & diuturna sedes ministerij & studiorum doctrinæ Euangelij. Anguntur igitur animi, & quærunt quis sit defensurus Euangelij studia, aut quę sedes studiorum paulò post futura sit. Huic dubitationi & sollicitudini medentur promissiones diuinæ, & hic ipse locus in Ephesijs, qui adfirmat Christum ad dextram æterni patris regnantem, dare dona hominibus, & mittere idoneos ac salutare Doctores. Hanc consolationem & hoc tempore nobis proponamus, quo tam multi summi Reges, minantur se deleturos esse uerum Euangelij ministerium.

ARGVMENTVM EPI

CAeterum inter dona necessaria ministerio, de quibus hic dicitur, est & donum interpretationis, quod est lumen diuinitus datum, ad recte & dextre intelligendum Euangelium, & discernendam Euangelij doctrinā, ab humana & politica sapientia. Ideo Paulus inquit, Spiritualia spiritualiter examinātur. Multi docti & magni uiri omnibus aetatibus quadam pernitiōsa confusione, transformarunt Euangelium in legem, & politicam sapientiam, ut qui docent homines per opera mereri remissionem peccatorum, & iustitiam coram Deo esse, disciplinam & certas obseruationes, ut sunt Monasticae aut Anabaptisticae.

Sed timentes Deum, qui senserunt irā Dei in agnitione peccati, & didicerunt fide confugiendum esse ad filium Dei, in his noua lux est, quae ostendit, quid sit iustitia fidei. Haec lux est donum interpretationis.

Ac prudenter obseruandum est discrimen

STOLAE AD EPHES.

scrimen inter donum interpretationis,
& potestatem alligatam certo ordini, ut
est potestas regia, aut prætoria interpre-
tandi leges.

Sic multi in Ecclesia dicunt mini-
stros, id est, Pontifices & Episcopos ha-
bere potestatem interpretandi Euange-
lium, quasi pontificum & Episcoporum
interpretationem necesse sit recipi pro-
pter locum aut ordinem. Hæc politica
imaginatio prorsus reiicienda est. Ser-
uat Deus in aliquibus Veritatis lucem,
& subinde eam in aliquibus accedit. Nec
respicit titulos, aut ordinariam successio-
nem. Imò sæpe accedit, ut reiectis sum-
mis Pontificibus ordinarijs & multis
qui eos sequuntur, lux ueræ doctrinæ
maneat apud paucos & cœtum non
sentientem cum ordinarijs pontificibus,
ut accedit tempore Iohannis Baptistæ,
Apostolorum, Et scriptum est: Prouo-
cabo eos in gente stulta.

Hæc

ARGVMENTVM EPI

Hæc præmoneri in hoc loco necesse est, ut occurratur argumento pontificum, qui detorquent hoc dictum ad potentiam Tyrannicam stabilendam, hoc modo: Deus semper seruat ministerium, Semper dat donum interpretationis, Igitur seruat ministerium per solam ordinariam successionem. Item dat donum interpretationis maiori parti ordinariorum gubernatorum,

Hæc consequentia non ualet, dat, ergo dat hoc modo, à genere ad speciem affirmatiuè. Sic sapissime errant homines ratiocinantes de uoluntate Dei: Liberabimur, ergo hoc modo liberabimur. Mittetur Messias, ergo mittetur hoc modo, ut infrauret politiam Mosaicam, distribuatur nobis prouintias.

Discamus promissiones diuinas rectè intelligere, Seruat Deus Euangelij ministerium, Ergo ibi seruat ubicunq; dat lucem Euangelij. Non seruat in his qui pertinaciter defendunt errores & Idola,

STOLAE AD EPHES.

Idola. Imo saepe expresse dicit Deus hanc esse causam, cur ministri, qui fuerunt ordinario loco, reſciantur, ut Hoseæ 4. Quia tu scientiam repulisti, repelam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Hac tristissima comminatione commonefacti, amemus Euangelium, & sciamus ibi esse uerum ministerium, ubi pura uox Euangelij sonat, & ubi studia pura Euangelij manent, Sicut clare inquit Christus Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansiorem apud eum faciemus.

Non blandiantur sibi homines ignaui, quasi propter locum aut titulos sine ueris & pijs studijs Euangelij, retenturi sint lucem doctrinae & praecipuam ministerij partem.

Simul igitur hoc loco Paulus de causa conseruante ministerium scilicet, de Christo excitante Doctores, & de piorum studijs concionatur. Christus exci-
rat Doa.

ARGVMENTVM EPI

rat Doctores, sed discentes ipsum Euan-
gelium quod tradidit. Postulat igitur stu-
dium & cognitionem doctrinæ. Quare
& nos hortatur, ut simus in studio uigila-
ntes & diligentes.

DEinde incipit attexere præcepta
moralia, in quibus tamen subinde
multa repetit ex locis antea recitatis.

Primum prohibet uagas libidines, &
admonet poenam libidinum esse singu-
larem cæcitatem, qua homines securi
magis magisque fiunt prophani, & hac
cæcitate ruunt in plura scelera, que sunt
eis exitiosa, ut Paris, Sextus Tarquinius,
Appius Decemuir, Antonius, & alij in-
numerabiles, præcipue propter libidi-
nes inciderunt in tragicas calamitates,
quia manet regula: Scortatores & adu-
teros iudicabit Deus.

Hic autem intertextitur doctrina de
Nouo & Veteri homine, & de imagine
Dei in homine, Induite nouum homi-
nem.

STOLAE AD EPHE.

nem, qui secundum Deum creatus est,
in iusticia & sanctitate uera.

Hac eruditissima sententia discernit
ueram nouitatem spiritualem à discipli-
na philosophica seu ab hypocrisi, & refu-
tat errores Pelagianos. Clare enim dicit
nouum hominem creari secundum
Deum. At disciplina est diligentia no-
stræ rationis, non est nouæ lucis creatio
in mente hominis.

Docet item quæ sit illa nouitas, uideli-
cet iusticia & sanctitas uera, id est, nō si-
mulata, nō hypocritica. Significat autem
hic iusticia fidem adprehendentem Dei
misericordiam propter filium promissum.
Sanctitas significat omnes uirtutes,
quæ fidem sequi debent. Hæ non sint si-
mulatæ, sed sint ueræ, id est, sint in cor-
dibus uerè pauores, uere consolationes,
quæ cum sunt fide, accenditur uera
lux in cordibus, & cor uerè inuocat
Deum, credit se exaudiri, subijcit se
Deo, obtemperat in actionibus & in
afflictionibus.

ARGVMENTVM EPI

ad afflictionibus. Sentit etiam uerè iuari se à Deo in periculis, Ac discrimen inter ueram fidem, & inter hypocrisis maxime lucet & conspicitur in afflictionibus, ubi sentimus an cor acquiescat in Deo, aut non acquiescat. Necessè est autem fidem ita conformari, ut cor acquiescat in Deo, petat & expectet auxilium à Deo.

Idem locus in Epistola ad Coloss. recitatur, ubi fit mentio imaginis Dei. Inuideite nouum hominem, qui renouatur ad agnitionem Dei secundum imaginem eius qui condidit eum.

Est ergo imago Dei, non tantum substantia anime, mens, memoria & uoluntas hominis libera, Sed in mente etiam lux notitiæ Dei, & in uoluntate dilectio Dei & aliæ uirtutes. Hæc est simplicissima sententia de imagine Dei, cum quidem sententiarum multa confusissime de ea disputent.

Secundo

STOLAE AD EPHES.

Secundo præcipit de ueritate.

Tertio de cohibenda iracundia & deponendis odijs.

Quarto de uitandis furtis.

Quinto de modestia in loquendo seruanda, ne scurrilia aut uenenata conuicia dicantur, quæ fauciant pias mentes & ledunt ita, uel ut inuitent ad mala, uel ut instillēt odium Euangelij, uel ut perturbent & adducant in dubitationem.

Hæc omnia impediunt inuocationem, Ideo Paulus præcipit, ut simus in loquendo & modesti & circumspecti. Et præceptum intelligatur non solum de uocē publice docentium, sed etiam de priuatis sermonibus.

Hic autem inseritur insignis sententia tam tristibus uerbis exposita, ut similibus forma uerborum nusquam legatur. Non contristetis Spiritum sanctum Dei. Potest enim queri, an Spiritus sanctus dolore ac mæsticia afficiatur, & an

D per

ARGVMENTVM EPI

per homines possit in dolorem & moer-
sticiam adduci.

Simplex & uera responsio est. Cum
de Spiritu sancto dicitur, intelligitur Spi-
ritus sanctus quatenus habitat in cordi-
bus piorum, Et in his cum est gaudium
spirituale, aut moeristia, simul laetatur aut
dolet Spiritus sanctus. Vetat igitur per-
turbari piorum corda & in his habitantem
Spiritus sanctum, qui una gemit &
dolet. Nam & Deus uere, non simulate
amat suam Ecclesiam, irascitur peccatis,
laetatur salute nostra, & dolet pernitie,
etiamsi nos non intelligamus quomo-
do haec sint in Deo, esse tamen adfirmat
uermum Dei, inquit, Sic Deus dilexit
mundum etc.

Sed exempla dictum Pauli illustra-
bunt, David horribiliter contristauit Spi-
ritum sanctum suo lapsu, primum ex-
cussit ipsum ex corde, quod ab ipso gub-
ernabatur, & dedit occasionem Diabo
lo triumphandi aduersus Deum, quod ab
eo auulsisset tale ministerium. Haec

STOLAE AD EPHE.

Hæc insultatio Diaboli adfert dolorem Spiritui sancto & cordibus piorum, qui tunc ualde doluerunt cognito lapsu Davidis.

Et maior cōtristatio fuit, quod postea impediatur in Dauide inuocatio Dei.

Sed longe maxima contristatio Spiritus sancti fuit, quādo mota seditione Absalon turbauit regnum, & stuprauit coniuges patris sui, Hic multi sancti in magno dolore fuerunt, & matronarum inuocatio impedita est, & haud dubiè aliquæ mulieres dolore animi mortuæ sunt.

Et multi boni, sed tamen infirmi in populo, seducti per seditiosos ruerunt in æternum exitium.

Horum tam multorum malorum horribilis coaceruatio, non erat leuis contristatio Spiritus sancti, Et in hoc exemplo, utrunq; conspicitur, quid sit contristatio S. S. & quā multa in gentia mala unum lapsum comitentur.

D 2

Nulla

ARGVMENTVM EPI=

Nulla creatura intelligit, quantum malum sit peccatum, Sed hæc moles calamitatum & peccatorum sequentium, nos commonefaciat, ut agnoscamus Deum uerè & non simulanter irasci peccatis, & summa cura uitemus lapsus.

Cap. V.

IN quinto capite repetit generalem concionem de omnibus bonis operibus, Et refutat errorem eorum, qui cum audissent fide homines iustos esse, postea fingebant se fide iustos esse, etiam si perseverarent in scortatione, adulterijs & alijs sceleribus. Hic clare adfirmat, oportere fidem sequi fructus Spiritus & iusticiam bonæ conscientia. Probare inquit, quid placeat Domino, id est, conscientia eligat opera Deo placentia, id est, præcepta lege Dei, & uitet Deo displicentia.

Hoc uerbo *ἀποκρίσεις* probantes, describit

STOLAE AD EPHES:

describit & postulat iustitiam bonæ conscientiaë, de qua aliàs inquit. Summa mandati est, dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.

Estq; testimonium huius loci adiungendum cæteris similibus, quæ extant 1. Cor. 6. Et Gala. 5. quæ adfirmant perseverantes in delictis contra conscientiam, non esse hæredes vitæ æternæ, Expressè enim inquit. Scortatores & pollutantes se libidinibus, non esse heredes vitæ æternæ, Et addit, propter hæc venit ira Dei super inobedientes, scilicet qui contumaciter perseverant in sua inobedientia, ac indulgent sibi contra conscientiam.

Non igitur amplectamur hunc errorem contumeliosum in Deum, blandientes nobis ipsi, quasi fide iusti simus, etiamsi postea perseveramus in delictis contra conscientiam, Sed intelligamus & iustitiam fidei, & iustitiam bonæ conscientiaë,

ARGVMENTVM EPI

scientiæ, & suū cuiq; locum tribuamus,
 & sciamus oportere utranq; in saluandis
 existere. Iusticia fidei accipit remissio-
 nem peccatorum, & reconciliationem,
 & hereditatem uitæ æternæ propter Chri-
 stum, & fide placet persona. Deinde ne-
 cesse est adesse & iustitiam bonæ consci-
 entia, quia Deus postulat talem obedi-
 entiam, Et excutitur Spiritus sanctus de-
 licis contra conscientiam, sicut Iohann-
 es inquit. Qui facit peccatum, ex Dia-
 bolo est. Qualis autem sit hæc inchoata
 obedientia, & quomodo placeat Deo in-
 credentibus infra dicam. Nunc tantum
 commonefacio lectorem, ut hunc lo-
 cum meminerit, ad refutandum pern-
 tiosum errorem prophanorum homi-
 num & Anuimorum.

Eodem pertinet, ad iudicium consci-
 entia, quod mox inquit, prudenter am-
 bulate, quod græcè plenius dicitur
 ἀκρίβως περιπατεῖτε ὡς σοφοί, Solliciti ma-
 gna cura ambulate, id est, Non sit ocios-
 sum

STOLAE AD EPHES:

sum iudicium conscientiae, non putate
fidei iustitia concedi uobis postea ^{ἀνομιαν}
^{καὶ} indifferentiam omnium ope-
rum, aut negligentiam, Sed manet dis-
serimen operum, & uult nos Deus ipsa
fide accensos, iam non truncos esse, sed
habere delectum operum, & aliquid
agentes, sicut coniuncta fide, diligentia
uestra. Imo in tanta nostra imbecillitate
& in tantis insidijs Diaboli, opus est
magna uigilantia, Ideo insigni uerbo hic
usus est ἀκριβώς, quod significat accuras-
tam diligentiam animi intenti.

Postea adduntur praecepta peculia-
ria de temperantia & precatione,
quia temulentia, etiamsi alia multa in-
commoda attrahit, tamen eò est perni-
tiosissima, quod impedit precationem.
Non potest ardere intentio mentis in
ebrio.

Postremus locus quinti capituli eru-
ditissima

ARGVMENTVM EPI

ditissima concio est de coniugio, ^{laudo} dans & sanciens coniugium, & simul conferens coniugium ad Christi & Ecclesie foedus & amorem mutuum. Hic obiter & definitionem uerae Ecclesie repetit.

Laudes sunt coniugij ueri in quo mutua dulcedine animi consentiunt, Cum precipit uiro, ut diligat coniugem, Deus certe hoc uitae genus & hunc amorem adprobat.

Deinde cum hoc foedus & hic amor sit imago foederis Christi & Ecclesie, & amoris mutui, hinc quoque constat hoc uitae genus & hunc amorem Deo placere.

Hae laudes opponantur hypocritis, qui uituperant coniugium, & iudicant amorem, coniugalem coniunctionem & suauitatem, esse immundiciem damnatam à Deo, Sicut Marcion, Encratite, & postea insulsissime scripti canones de caelibatu sacerdotum pronunciarunt.

Hic

STOLAE AD EPHE.

Hic contra discamus esse res à Deo
præceptas & ordinatas, & Deo placen-
tes, hanc ^{503yiii}, & totam suauitatem con-
iugalem, & hunc ordinem à Deo insti-
tutum intelligamus & amemus, eumq[ue]
propter Deum tueamur. Quia Deus uo-
luit genus humanum hoc modo propa-
gari, & sic nasci æternam Ecclesiam,
ames hunc ordinem, complectare tuam
coniugem, nec conturbes à Deo institu-
tum, Abstineas ab aliena, uitato omnes
commixtiones extra hunc ordinem, si-
cut sancitum est in præcepto tradito in
paradiso, Erunt duo in carnem unam,
quæ uox & matrimonij definitio, &
leges præcipuas complectitur. Quia
enim inquit Deus, Erunt duo in car-
nem unam, uult matrimonium coniun-
ctionem esse duarum personarum ma-
ris & foemine, in carnem unam, id est, in-
separabili amore, & foedere commixtio-
nis coniunctos.

Damnat igitur omnes commixtio-

D 5

nes

ARGVMENTVM EPI

nes & omnia incendia amorū extra hoc
 foedus, ita prohibet scortatiōem, adulter
 ria, & omnes uagas libidines. Prohibet
 & diuortia, cum inseparabilem coniun
 ctionem sancit his uerbis, in carnem
 unam, id est, inseparabiliter iuncti. Tam
 multa praecepta insunt in breui dicto,
 quod multi negligēter adspicientes, frus
 tra scriptum esse putant. Sed nos scia
 mus uocem aeterni Dei esse, ordinan
 tem, sancientem, & laudantem coniu
 gium, & coniugalem commixtionem,
 Et hac uoce non solum refutemus hypo
 critas, qui negant Deo placere hoc ges
 nus uitæ, sed etiam regamus mentes nos
 tras, ut ordinem à Deo institutū tuea
 mur, & sciamus Deum suæ ordinationi
 adfuturum esse, & mitigaturum ærum
 nas, quæ multæ & uariæ comitantur hanc
 coniunctionem in generatione & edu
 catione.

Est omnino coelebs uita aut singulare
 & excellens Dei opus, quod in paucis
 est,

STOLAE AD EPHES.

est, aut uita pugnans cum ordinatione Dei, contaminata multiplici obscenitate, quæ iram Dei horribiliter irritat, & auget cœcitatem, & cumulat mundi calamitates, & quia est libera, uaga, soluta curis priuatis & publicis, ignara est crucis, exercitiorum fidei & inuocationis. Multa autem coniugalia præcepta hoc loco traduntur, de quibus infra dicendum erit.

Inserta est autem & collatio coniugij & fœderis quod est Christo cum Ecclesia, & adiecta est definitio Ecclesiæ.

In coniugio oportet esse amorem mutuum, fidem, societatem bonorum, & arumnarum, generationem & defensionem.

Vt igitur sponsus uero amore ardet erga sponsam, ita est in Christo uerus amor, non simulatus erga Ecclesiã, quod testatus est adsumptione humanæ naturæ. Cum hanc naturam sibi illo arcano & mirando fœdere copularit,
non

ARGVMENTVM EPI

non dubitemus eum cognatum genus
uerè amare.

Quia uero nostro amori mixta est
stultitia & ἀραγία, multi putāt indignum
esse, tribuere Deo aut Christo amorem
sponsi. Sed nos sciamus non simulatum,
sed uerum & ardentem amorem in Deo
& in Christo erga nos esse, etiamsi non
intelligimus, quomodo illi adfectus sint
in Deo.

Imò Deus ob hanc ipsam causam in-
didit hominibus σοφία, ut sint exempla
sui amoris erga nos, & de uoluntate ip-
sius nos commonefaciant.

Quoties igitur de coniugali amore
cogitamus, ueniat in mentem, uere &
nos simili quodam amore diligere Chris-
to. Deinde & hoc ueniat in mentem,
te quoq; simili beneuolentia totam Ec-
clesiam complecti debere, ut tuam spon-
sam aut coniugem complecteris.

Secundo accedit fides, Christus solam
Ecclesiam

STOLAE AD EPHES.

Ecclesiam Euangelium amplectentem diligit, non diligit alias sectas, Mahometicam aut hereticas.

Et e contra Ecclesia solum Christum agnoscat mediatorem, & solam ipsius doctrinam amplectatur, non fiat adultera, non polluat se aliarum sectarum opinionibus aut cultibus.

Tertio constituatur societas bonorum & ærumnarum. Christus sua bona, suam iustitiam & uitam agitatur Ecclesie, & deriuat in se ærumnas Ecclesie, fit uictima pro peccatis nostris.

E contra Ecclesia largiatur sua bona sponso, cõfessionem, qua celebret sponsum, & fiat socia crucis sponsi.

Quarto generatio est in Ecclesia, Christus dat uerbum, & Spiritum sanctum, quo subinde noua membra Ecclesie generantur, sed hoc fit ministerio Ecclesie tanquã matris fouentis & educantis partum. Et debet uere esse matris ^{sepe} in docentibus & gubernantibus.

Hæc

ARGVMENTVM EPI

Hæc non est iam in Episcopis crudeliter interficientibus membra Ecclesiæ.

Rursus in auditoribus pijs erga Ecclesiam docentem sit *sogyt*, qualis erga matrem in bonis naturis esse solet.

Quinto ut sponsi & mariti est defendere sponsam & uxorem, ita Christus perpetuò defendit suam Ecclesiam, res primens diabolos, tyrannos & hæreticos. Et quanquam uult esse sociam crucis, tamen mitigat afflictiones, & seruat corpus, ac in media morte dat uitam ijs qui interficiuntur.

Hanc collationem coniugij & Ecclesiæ cogitare utile est. Non enim frustra dixit Paulus, Coniugium esse magnum mysterium, uidelicet imaginem foederis, quod est inter Christum & Ecclesiam.

Nunc definitio Ecclesiæ hic posita consideretur.

Ecclēsia est congregatio dilecta à Christo, & ab eo redempta, ac sanctificata

STOLAE AD EPHES.

Sanctificata per baptismum & uerbum, ut
sit iusta & hæres uitæ æternæ.

Hæc est erudita definitio, competens
uicis membris, & tamen uisibili Eccle-
siæ, quia expresse addit signa monstra-
ntia Ecclesiam, scilicet Baptismum & uer-
bum, id est, totum ministerium Euange-
lij & Sacramentorum. Non igitur qua-
ratur electi aut alia Ecclesia extra coetum
in quo est ministerium Euangelij, imò
damnentur furores eorum qui fingunt
Numam aut Socratem esse electos aut
hæredes uitæ æternæ, propterea quòd
mores rexerunt maiore diligentia quàm
alij Ethnici.

Deus se patefecit per uerbum suum,
& sic uult agnosci & coli, sicut se patefe-
cit, & per hoc suum uerbum sanctificat
sibi hæredes uitæ æternæ, Sicut Chri-
stus inquit: Pater sanctifica eos in uerita-
te tua, Sermo tuus est ueritas. Item, Qui
non credit, iam iudicatus est.

Simus

ARGVMENTVM EPI

Simus igitur membra huius uisibilis Ecclesiæ, in qua est ministerium Euangelij & Sacramentorum.

Postquam uero distinxit Ecclesiam ab alijs sectis omnibus per externa signa, deinde addit alteram distinctionem, discernentem Ecclesiam interioribus bonis ab omnibus alijs gentibus & sectis.

Quæ habet bona interiora, propria, æterna hic cœtus, quæ non habent alie gentes? Hæc præcipua, uidelicet, primum quod est dilecta Deo propter filium, ideo hic dicitur dilecta à Christo.

Deinde quod est redempta per filium.

Tertio quod sanctificatur, ut sit iusta & hæres uitæ æternæ.

Hæc sunt propriissima bona Ecclesiæ, nequaquam communia ulli præterea genti aut sectæ.

Eruditè igitur definiuit Paulus Ecclesiam, colligens externas & interiores ac æternas

STOLAE AD EPHES.

æternas res, discernentes Ecclesiam & alias gentes.

Cap. VI.

PRæcepta recitantur de honorandis parentibus, de recte educandis liberis, de obedientia seruorum, de iudicio Dei uniuersali, sine acceptatione personarum. In fine additur longa descriptio periculorum Ecclesiæ & adhorratio, ut ad præliandum parati simus. Postremo iubet precari pro Euangelij propagatione.

Visitatum est autem enarrari hæc præcepta in Decalogo, & nos infra aliquam addemus explicationem. Hic breuiter monendus est lector, ut hoc insigne dictum obseruet, quod ait præceptum, de parentibus honorandis, primum esse in promissione. Etsi enim natura legis est, ut promissiones & comminationes singulis præceptis additas intelligamus, sicut in Deuteronomio benedictiones

E & males

ARGVMENTVM EPI

& maledictiones toti legi adduntur, & reuera redduntur præmia pro obedientia, & poenæ pro contumacia, tamen quia in Decalogo expresse addita est quarto Præcepto hæc promissio, Vt bene sis tibi, & sis longeuus in terra, commendat nobis Paulus hoc præceptum singulari præconio, ac significat operationem huius præcepti, singularem compensationem habere in hac præsentia uita. Reliquis præceptis omnibus tristissime comminationes adiectæ sunt. Et in secunda tabula omnia alia præcepta sunt Negatiua: Non occides. Non mechaberis etc. His negatiuis intelligimus additas comminationes, Si occides, uicissim interficiaris. Magna igitur necessitas sancit hanc Negatiuam.

Sed quartum præceptum est affirmatiuum, & requirit multa officia positivè, de quibus humana ratio in hac casu sine dubio dubitat, An Deus ea curet & compenset, & an eorum neglectiorem puniat,

STOLAE AD EPHES.

puniat, Et plus est, additam esse promissionem, quàm comminationem. Quia puniri potest inobedientia, ut fit in imperijs, ubi tamen pro obedientia non dantur præmia. At Deus hîc adfirmat se etiam præmia daturum esse pro his officijs. Hac præmiorum cogitatione uult nos Paulus commonefieri, ut hæc externa uitæ officia sciamus Deo curæ esse, & non esse inania, ut homines impij putant.

Quod uero obiicitur, Legales promissiones irritas esse, quia nemo legi satisfacit, intelligenti Euangeliū facilis est explicatio, Quia in reconciliatis per Christum & fide iustis, placet inchoata obedientia. His etiam ratæ sunt promissiones legales.

Sed dicat aliquis, Cur ait Paulus, hoc quartum præceptum primum esse in promissione, cum etiã expressè annexa sit promissio primo præcepto, faciens

ARGVMENTVM EPI

mifericordiam in millia his qui diligunt
me? Respondeo, In illa concione primi
præcepti utrumq; continetur, Commis-
natio & promissio, Et generaliter ad totam
tam legem referuntur.

Paulus autem hic loquitur de speciali
promissione nominatim certi præcepti
operibus addita, & continente certa bene-
ficia, quia hic nominatim dicitur de
bonis uitæ præsentis.

Vere & hoc respondetur, Paulum cæ-
tera præcepta præter primum intelligen-
re, qua primum semper debet funda-
mentum esse operum, quæ cætera præ-
cepta mandant. Et in cæteris præceptis
semper intelligatur prius comprehen-
sum primum.

Placent Deo officia politica Davi-
dis, quia sunt prælucente primo præ-
cepto agnitione veri Dei, timore, fide,
dilectione. Non placent Deo officia
politica Pompeij, quia non præluce-
timum præceptum.

Imo

STOLAE AD EPHES.

Imò Ethnicę doctrinę sunt præcepta secundę tabulę, nisi semper simul in singulis comprehendatur primum præceptum, Non occides, scilicet ut obedientiam illi uero Deo præstes, qui se hoc uerbo patefecit, qui dixit ego sum Iehoua, Deus tuus qui exduxi te de terra Aegypti etc,

Deinde præceptum de educandis liberis diligentissimè infigamus animis, quia illustre testimonium est de disciplina, & de doctrina. Duę res præcipiuntur, ut pueri doceantur, & disciplina regantur. Duo enim nominat, *τοιοῦτοι* quę est disciplina, id est, morum gubernatio, quę fit per aduersionem, quotidiana exercitia, tempestiuas castigaciones, & per exempla, Sicut adhuc in familiaribus honestis, mediocriter aduersionem pueri, gubernatione & exemplis parentum, ut & ipsi mores bene compositos habeant.

Sed hæc disciplina non sufficit. Paulus

ARGVMENTVM EPI-
lus uult addi doctrinam Domini. Hæc
non potest tradi sine lectione & cogni-
tione scriptorum Prophetarum & Apo-
stolicorum, sicut manifestum est.

Necessaria sunt igitur in familijs sua-
dia literarum, quia etsi omnium aliarum
gentium doctrina sine literis percipi
posset, quia continet tantum præcepta
moralia, quæ natura nota sunt, tamen
propria Ecclesiæ doctrina sine literis
percipi nō potest. Deus enim suas pro-
missiones inclusit certo libro. Hunc li-
brum uult cognosci, legi, audiri.

Quare hoc loco de his duabus rebus,
quæ non sunt leues existimandæ, præci-
pi sciamus, de lectione sacrorum libro-
rum, & de disciplina, Et ad hanc nor-
mam nos ipsi regamus, quotidie aliquid
legamus in scriptis ueteris & noui testa-
menti, discamus integram doctrinam
Ecclesiæ, Et hac cogitatione uerbi Dei
Spiritus sanctus est efficax, Ideo hic
nominae

STOLAE AD EPHES.

nominatur commonefactio Domini.

Deinde mores etiam disciplina regantur, quæ est aliqua ex parte diligentia uoluntatis nostræ, in moderandis & reprimendis adfectibus, & coercendis externis membris, Continendi oculi, frenanda est lingua, coercendæ manus, nec furoribus cupiditatum obtemperandum est. Hanc disciplinam hic nobis commendari sciamus, quam quidem proprie significat *wordes*. Nec existimemus Deo placere uitam efferam, & indulgentem omnibus cupiditatibus, qualis est multorum uita, qui nimium sibi licentiæ sumunt.

Postea repetitur hic doctrina de uersali iudicio, & usitatum dictum, Non est apud Deum acceptio personarum.

Hic discant iuniores, quid significet uocabulum, & simul de sententia cogitent, quæ consolatione grauissimam pijs proponit. Est autem iustitia æqualitas

ARGVMENTVM EPI

secundum regulam certam, id est, secundum illam regulam: Aequalibus dare æqualia, ut Deus regulam proposuit, quod verè irascatur peccato, & damnet omnes peccantes.

Rursus & alteram regulam proposuit, Quod verè velit omnes confugiens ad filium Mediatorem recipere.

Secundum has regulas iudicat, exclusis omnibus alijs qualitatibus aut conditionibus. Non respicit genus, aut donam & præstantiam ingeniorum, aut imperia, aut alias res ulla extra regulas, Pariter damnat omnes peccantes, summos & infimos, Et pariter recipit omnes confugiens ad filium mediatorem, summos & infimos.

E contra acceptio personarum est, ijs, qui in regula sunt æquales, inæqualia tribuere, quod fit propter aliquam aliam qualitatem aut conditionem, quæ tamen exclusæ esse ab eo iudicio debebat, ut in humanis.

STOLAE AD EPHES.

humanis iuditijs sæpe fit. Adulter diues,
& adulter pauper, sunt æquales secun-
dum regulam, Sed sæpe principes igno-
scunt diuiti, & puniunt pauperem.

Ita usitatissimum est propter stultos
adfectus, in aulis præferre ignauos me-
lioribus, quia ut reliquæ iniustitiæ usita-
tissimæ sunt in mundo, sic & *αγοραιο*
τυραννικη communissima est, & est quædam
Tyrannis, ut Alexander præfert Ephe-
sionem ignauum Cratero & multis
alijs fortissimis uiris.

Sæpe igitur commonefacit nos scri-
ptura, ne hanc inæqualitatem, uidelicet
acceptiorem personarum Deo tribua-
mus, maximeq; nobis hac consolatione
opus est, disputantibus an Deus nos ue-
lit recipere & exaudire, ubi statim faci-
mus collationes. Etiam si Deus recepit
Ioseph, Dauidem, tamen te non ita cu-
rat. Illos ornauit gloria, te negligit. Item
ipse est dominus, potest recipere quos-
uult,

ARGVMENTVM EPL

uult, & reijcere quos uult, nemine impedi-
diente.

Aduersus has perniciosas imaginatio-
nes, quæ languefaciunt animos, ut am-
issa fide fugiant Deum, & opprimantur
uel contemptu uel odio Dei, ualde pro-
dest hanc consolationem tenere, quod
Deus uere sit æqualis tibi & Dauidi,
iuxta suam regulam, nec sit in illo perso-
narum acceptio.

Hanc sententiam quam difficile sit
persuadere nostris mentibus, uidelicet
esse hanc æqualitatem in Deo, multæ
magnæ luctæ in singulis pñs ostendantur.
Imo ostendit idem uarietas opinionum
in scriptoribus sententiarijs de Electio-
ne. Sed si hæc breuiter hoc loco recitata
dextrè accipientur, adiuuabuntur con-
scientiæ, & in explicatione harum dispu-
tationum, & in quarenda uera consolati-
one in multis terroribus.

ἐν ἡσάσθε τὸν πανοῦλιον.

Imago

STOLAE AD EPHES.

IMago ab acie & prælijs corporalibus translata est in fine ad militiam spiritua-
tualem, ut commonefaciat nos, magna esse pericula omnium piorum, & uigilantiam necessariam esse, ac assidua certamina suscipienda esse ad hos tres hostes reprimendos, uagabundę naturę impetus, tyrannorum & omnium impiorum minas & illecebras, & insidias Diaboli. Vult igitur nos ut milites stare in acie armatos, ac ordine nominat tegumenta & arma.

Tegumentum est thorax. Vult autem thoracem esse iustitiam. Vt enim natura prius tegendū est corpus, postea uero danda tela ad repellendum hostem, ita singulis prima sit cura iustitię, id est, reconciliationis, qua persona primum sit induta, cum enim placet Deo, postea poterit præliari.

Cingulum quo thorax uinciendus est, est ueritas, id est, cognitio uerę doctrine, ex qua discitur & retinetur iustitia, id est, reconciliatio.

Calcei

ARGVMENTVM EPI

Calcei sunt ipsa Euangelij professio, gubernans iter, id est, uocationem, ne ulla actio, ullum iter suscipiatur pugnant cum professione & uocatione, ut Petrus stringens gladium in horto, aliud iter ingreditur, quam debet, nec consistit in eis calceis, quos ei Euangelium induit.

Clypeus est fides. Prius de tegumentis seu uestitu dictum est, nunc addit munimenta. Precipuum autem est clypeus, qui depellit tela hostium, Ita fides interpreliandum repellit tela diaboli. Fides enim circumdat nobis presentiam Christi, qui iuuat nos, ne hostis possit nos euertere, etiam cum ualde premimur, & repellit instantem hostem. Vt Dauidem premit Diabolus, & conatur euertere sicut Saulem, Sed stat Dauid, non suis uiribus, sed fide, id est, fiducia presentis Dei a quo iuuatur ne cadat, sed statuat se non esse solum nec proiectum, nec desertum a Deo, imò se receptum esse & custodiri

STOLAE AD EPHES.

custodiri à Deo, & habiturum liberationem & societatem electorum in uita eterna.

Adsiduè incurrunt in animos omnium tetrae dubitationes, quibus Diabolus multos euertit & à Deo auellit. Est ne Deus uerè curans homines? Est ne hæc doctrina de Deo uera, quæ in his Ecclesijs traditur? Quid de ea sentiam, cum tantæ disputationes & tam tristia scandala in hoc ipso coetu sint, qui uocatur Ecclesia Dei. Deniq; etiã si uera est doctrina, etiã si alios curat Deus, tua peccata merentur te abijci. Te negligit Deus, non exaudit te. Etsi quando affligimur, & crescunt ærumnæ, magis ex cruciantur animi his dubitationibus.

Hæ obiectiones sunt tela Diaboli de quibus hic dicit, quibus atrociter fauciantur animi extincta fide, ut in Saul & multis alijs apparet. Sed cum fides uelut clypeus opponitur, repelluntur, quia fides amplectitur doctrinam, & statuit

ARGVMENTVM EPI

statuit uere nos curari, exaudiri, & custo-
diri à Deo & præsentis filij Dei manu
regi nos adfirmat, Sicut manu Dei Moï-
ses inter stantes aquas ducebatur, ut in-
quit Esaias cap. 63.

Galea in fine prioris Epistolæ ad
Thessalonicenses uocatur spes. Omnes
corporis partes muniuntur clypeo, qui
obuertitur hosti, quamcunq; partem feri-
re conatur. Ita fides commune propu-
gnaculum est, accipiens reconciliatio-
nem, & petens & expectans auxilium
in præsentia & in futurum.

Galea uerò propriè munit caput, ita
spes uitæ æternæ, est principalis consola-
tio, quæ lenit omnes alias miserias, &
implicita est omnibus alijs consolatio-
nibus.

Paulus sustinet omnes miserias & cru-
ciatus, intuens, finem, quem scit propo-
situm esse in uita æterna, Interea uerò ca-
lamitates, & supplicia perfert, ut Deo
obediat. E contra extincta spe uitæ æter-
næ, nec

STOLAE AD EPHES.

ne, nec pericula confessionis suscipiuntur, nec ulla humana gaudia sincera sunt, Quærant uitæ suauitates quantascunq; possunt homines sapientes, qui non expectant consuetudinem æternam cum Deo, tamen hæc uita eis uniuersa carcer & magna miseria esse iudicatur. Nasci se & extingui casu, ut flores arbitrantur, nisi quod homines eò sunt miseriores, quia intelligunt suas calamitates, & earum intellectu cruciantur. Cum igitur principalis consolatio sit, spes uitæ æternæ, gaulea comparata est. Nec est leue certamē in corde uerè hanc spem retinere.

HAecenus recitauit uestitū & munimenta militis, quæ necessaria sunt ad regendum & defendendum corpus. Necesse est autem etiam addi ei arma ad feriendum hostem. Etsi enim prima cura est defensionis, tamen & alteram accedere oportet preliandi, & feriendi hostis.

Vt au

ARGVMENTVM EPI

Vt autem antea præsidia tribuit, non
 legiones & equites, quibus defendere
 mur, sed iustitiam & fidem. Abraham
 tutus est inter Cananeos, non præsidij
 militaribus, sed iustitia & fide, Deo cu-
 stodiente, Ita nunc arma dantur, non
 machinæ æneæ, sed uerbum Dei & pre-
 catio. Diabolum uerbo Dei repellimus,
 ut repulit Christus opponens uerbum.
 Dominum Deum tuum adorabis, & illi
 soli serues, Sic & hæreticos & alios im-
 pios refutamus testimonijs uerbi Dei,
 Et uiolentiam Tyrannorum frangimus
 precatione, Orante Moise uincit exerci-
 tus Israël. Nobis docentibus Euangeli-
 um & precantibus reprimuntur Diaboli
 & Tyranni ne possint bella mouere, &
 facere horrendas uastationes, ad quas
 efficiendas, suo quodam furore impela-
 luntur. Hæc arma nobis data esse memine-
 rimus, & eò discamus, cogitemus, do-
 ceamus Euangelium studiosius & ar-
 dentius, & precationem quotidie adiun-
 gamus,

STOLÆ AD EPHE.

gamus, clamemus ad Deum per Mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos regat, defendat & seruet, sicut hic iubet Ephesios precari, ut Evangelium foeliciter propagetur.

Breuitè monstravi tanquam in argumento præcipuos huius Epistolæ locos, quos tamen necesse erit copiosius enarrari, cum integras Pauli conciones ordine interpretabimur, Vbi uidebit Lector, multò plura complexum esse Paulum. Sed nos hæc præcipua excerpsumus, ut facilius ordinem rerum, & membra principalia conspiciere & meminisse studiosi possint, & ut magnitudine ac dulcedine rerum inuitati, magis ament & sæpius relegant hanc Epistolam, quæ quò sæpius lecta fuerit, eò magis placebit.

τέλος τῆς ὑποθέσεως.

F

Paulus

PAVLVS APOSTO-
lus Iesu Christi.



PIGRAPHA ^{trā}
præcipuè completur. Primb
ostendit autorem eius doctrinae,
quam Paulus proficitur,
quasi dicat, nō hic audietis Pau-
lum Tarsensem, sed Iesum Chri-
stum, per me Paulum loquen-

tem, cuius ego Seruus & Apostolus sum, ad hoc uos
catus & delectus, ut ipsius nomine uos ad poeniten-
tiam horter, & doceam reconciliationem Dei patris,
per ipsum factam & in ipso uos habere condonatio-
nem peccatorum uestrorum, & aeternæ uitæ heredi-
tatem.

Ita mentione Iesu Christi, facit primum autoritatem
suo ministerio, ut auditores meminere, se
non hominem, sed Iesum Christum in Paulo docente
audire.

Deinde his uerbis conciliat sibi beneuolentiam audi-
ditorum, cum inquit, Paulus Apostolus Iesu Christi,
quasi dicat, quorum magna erga nos sunt merita &
beneficia, eorum seruos & legatos benigne audire
& comiter tractare conuenit. Nemo autem unquam
de toto mortalium genere præclarior meritis est,
quam

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

quàm hic Dominus meus Iesus Christus, qui, cum genus humanum, propter sua delicta & scelera destinatum esset aeternæ morti & damnationi, ipse in sese, totius generis humani peccata, & hanc immensam iram Dei transtulit, factus peccatum & maledictum, sese uictimam ad reconciliandum genus humanum Deo patri offerens.

Cum itaq; tot ac tanta huius mei Domini Iesu Christi, cuius ego ad uos missus seruus & Apostolus sum, erga uos sint merita, ut per quem & conditi initio, & nunc eius sanguine ab aeterna morte redempti sitis, profecto decet uos, summa uoluntate & attentissimis auribus ac animis & audire & amplecti eius mandatum, quod ego ipsius Apostolus ad uos affero, & ei libenter obtemperare.

Postremo, cum ait se Apostolum Iesu Christi esse, ostendit qualem doctrinam afferat, quasi dicat, antea eram phariseus, docebam & magno zelo propugnabam Legem, ceremonias & ritus Mosaicos, quibus me iustificari existimabam, & eram seruus & Apostolus Moisi, sed per Christum ex illa seruitute liberatus, factus nunc sum libertus, seruus & Apostolus Iesu Christi, & iam non Moisen, non Legem, non ceremonias Moisi, sed solum Iesum Christum doceo etc.

ENARRATIO CAPITIS PRIMÆ

Per voluntatem Dei etc.

Locus primus de uocatione ministrorum uerbi Dei.

Visitatum est Paulo, allegare uocationem suam. Sunt enim, fuerunt, & erunt omnibus temporibus, qui aut ambitione, aut auaritia, aut alia cupiditate inducti, docendi ministerium sine uocatione, ipsi per sese inuadunt, & uarijs sectis Ecclesias perturbant, sicuti Prophetarum tempore, multi Pseudoprophetae erant, qui sese ueris Prophetis à Deo uocatis, opponebant.

Ita & Apostolorum tempore Pseudoapostoli ipsius docendi, sine uocatione usurpantes, uaria dogmata, diuersa & pugnantia cum Apostolorum doctrina, spargebant. Et hæc nostra tempora quoque talia Pseudoprophetarum monstra & falsos ac phanaticos doctores habent.

Dicit itaque Paulus, se Apostolum Iesu Christi, sed non solum sua, uerum Dei quoque uoluntate ad hoc munus uocatum, quo, ut sæpe alias quoque scripturae monet, in Ecclesia non nisi ritè uocatos audiendos, ut Hierem. 23. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, Non loquebar ad eos, & ipsi Prophetabant, & cap. 29. Pro eo quod prophetauit uobis Semeias, & ego

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ego non nisi eum & c. Et Deute. cap. 13. & 18. Prophetæ qui arrogantia deprauatus, uoluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Idem & Christus monet Matth. 7. Attendite à falsis Prophetis & c.

Est autem duplex uocatio, prior à Deo immediate, qualis Prophetarum & Apostolorum uocatio fuit, quorum uoce & doctrina se Deus patefecit, & ut certi essent homines, ipsorum doctrinam esse uerè coelestem, addidit eis ingentia miracula, & felices in docenda & regenda Ecclesia successus. Horum doctrina perpetuo, & sola in Ecclesia audiri debet, ita ut si quis etiam Angelus è celo aliud Euangelizauerit, Anathema esto.

Quare nullo modo audiendi sunt, qui fingunt & iactant, se diuinitus ad docendum uocatos, si quid contrarium Prophetis & Apostolicis scriptis doceant. Quia hæc est nouissima & postrema doctrina Dei, post quam nulla alia est expectanda.

Altera uocatio est quoque diuina, sed quæ per hominem fit, ut cum ad docendum uocamur ab ijs, quibus uel Ecclesiarum, uel Reipublicæ administratio commissa est, qui cum ministri Dei in sua functione

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

sint, uerè talis uocatio diuina, sed per hominem facta, dici & haberi debet.

Habet enim Ecclesia cum Episcopis mandatum de uocandis ministris, sicuti Paulus ad Titum scribit. Huius rei gratia, reliqui te Crete, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicuti ego tibi mandavi. Sic Polycarpum refert Irenæus ab Apostolis ipsis ordinatum Episcopum Ecclesie Smyrneorum, ita & in alijs Ecclesijs continua successio Episcoporum fuit ab ipsis Apostolis sic instituta.

Hoc uero tempore, cum Pontifices, Episcopi, Canonici, prorsus nulla cura Ecclesie & ueræ doctrine propagandæ adficientur, sed tantum de autoritate, de existimatione, de opibus & dignitatibus suis retinendis & cumulandis dimicent, imò cum sint hostes celestis doctrine, & eam deletam & extinctam cupiant, decet nos, qui in ministerio uerbi sumus, & omnes pios, summa cura in hoc incumbere, ut pij & idonei ministri præficiantur Ecclesijs, qui etiam posteris sinceram doctrinam de Deo tradant.

Eadem ratione Regibus, Principibus & Magistratibus mandata est conseruatio & propagatio
minis

EPISTOLAE AD EPHESIOS

ministerij Verbi, Sic enim Iosue duci populi Dei manda-
 datur: Non recedat uolumen Legis huius ab ore tuo,
 sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias
 & facias omnia quae scripta sunt in eo. Et Psal. 24.
 Aperite portas Principes uestras, & eleuamini portae
 Mundi, & introibit Rex gloriae, Et Psal. 148 Reges
 terrae, & omnes populi, Principes & omnes iudices
 terrae, iuuenes & uirgines, senes cum iunioribus lau-
 dent nomen Domini.

Et uetus mos constituendi & coronandi Regis in
 populo Iudaeo fuit, ut Regi diademate ornato, da-
 rent librum Legis, quo meminisset, & sibi ipsi necessa-
 riam cognitionem esse uerbi Dei, & summis uiri-
 bus illud tuendum, propagandum & ornandum.

Hae uocatio quanquam per homines sit, tam-
 men sit mandato Dei, ut qui hoc modo praeficiuntur
 administrationi Ecclesiarum, hanc inde in suis erum-
 nis & miserijs, quarum plena est functio Ecclesi-
 astica consolationem habeant, ut sint certi, se man-
 dato Dei hoc onus & haec pericula docendi &
 gubernandi populum Dei, sustinere, & se Deum
 habere defensorem & gubernatorem, qui inuo-
 catus daturus sit ipsis in sua functione, quam ipsi
 Dei mandato susceperint, prosperos successus.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Et uideamus sane ac usu experimur, talium piorum doctorum, qui ritè ad ministerium uocati sunt, conatus & labores esse foelices, durabiles & Ecclesijs salutare, Ac econtra eorum labores & conatus, qui ipsi sibi ius docendi sumunt, ut maximè sint uel prudentes, uel eruditi, esse infœlices & Ecclesijs sepe perniciosos, & tales fracti periculis & arumnis, cum sese temere hoc munus suscepisse uident, perturbatis Ecclesijs & concitatis tumultibus, sepe tandem aufugiunt, ac ministeria deserunt, quales & hæc nostra ætas plerosq; uidit.

Neq; uero audiendi sunt, qui, cum uident homines perniciosis erroribus inuolutos, dicunt sese pio studio & zelo Dei impelli ad docendi munus, etiamsi non uocentur. Nam cum ut Christus Matth. 9. ait Messis non sit nostra, sed domini, ideo nemo nisi uocatus, faciem suam in alterius messem immittere debet, sed ut Christus docet, Dominus messis orandus est, ut mittat operarios in messem suam. Quod si quid hic perit, non nobis, sed Domino perit, cuius est messis.

Deinde magna erit confusio, & aperietur licentia quibusuis quaelibet docendi, si non ritè uocatis docere liceat.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Dvo itaq; ad pastorale officium præcipue sunt necessaria, primum ut sit rite uocatus pastor, deinde ut populo non aliã proponat doctrinam, quã quæ per summũ pontificem & pastorem nostrũ filium Dei, & per Prophetas & Apostolos est tradita, ideo enim Paulus dicit, se Apostolum Iesu Christi, & quidem per uoluntatem Dei, ut ostendat primum se nullam aliam doctrinam adferre quã eam, quã à Iesu Christo acceperit. Deinde se non proprio motu, sed Dei uoluntate & mandato hoc docendi munus suscepisse.

Pæterea agitur hic questio, An licitum sit petere Episcopatũ & docendi munus, prius quã uoceris. Respondeo breuiter, Etsi multi sint, qui ex inopia rerum necessariorum, ambiant pastoralia officia, ut inde habeant quo se & suos alere possint, si absit ambitio honorum & dignitatum, & animus non ardeat cupiditate & studio cumulandarum opum, neq; spectetur questus, sed simplici animo cupiant seruire Ecclesie, & pro suis uiribus & donis propagare & conseruare sanam doctrinam Christi, talium uoluntatem nõ esse reprehendendam, etiamsi sumptus ad uitam necessarios spectare & simul petere uideantur. Dignus enim est operarius mercede sua, ut inquit Christus, & nemo suis stipendijs militat, sicuti hæc

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

copiose Paulus 1. Cor. 9. docet ac dicit Dominum ita ordinasse, ut hi qui Euangeliū annunciant, de Euangeliō uiuant, Et tales quidem tantum suam uoluntatem, ijs qui ius uocandi habent, declarant, ac ipsis libera iudicia de sese, num ad ministerium aliquo modo idonei sint, permittunt, ideò reprehendendi non sunt. Qui enim Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

Sed qui ducti spe magnarum opum, potentie, ambitionis, dignitatum, largitionibus, fraude, seu corruptionibus, alijsq; malis artibus Episcopatus & pastoralia officia inuadunt, non studio conseruande & propagande cœlestis doctrine, non ut sint ministri, sed domini, & adstant uoluptatibus, hi sunt fures & latrones, quia non intrant per ostium in ouile ouium, sed ascendunt aliunde ut inquit Christus Ioan. 10.

Postremo quæ de publico ministerio dicta sunt, ita intelligi tamen debent, ut in casu necessitatis, ubi publici & uocati ministri usus esse non potest, cuius etiam non uocato liceat baptizare, docere, absolvere, exhortari, mœstos erigere & consolari &c.

Sanctis qui sunt Ephesi & fidelibus in Christo Iesu.

Sanctum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Sanctum opponitur Profano, ut Aggei 2. & in multis locis scripturae est cernere, & uox קדוש sanctus à קדש uenit, quod segregare & ad diuinum usum consecrare significat, ut Exod. 13. קדש בבור בלוי Sanctifica mihi omne primogenitum. Quae uero in ueteri testamento sanctificabantur, fuerunt omnia umbra futurorum. Nam quae ex iumentis & hominibus primogenita sanctificabantur, nisi redempta forent, interficiebantur, quo significatum fuit, omnia peccatis contaminata digna esse morte.

Sed de hominum primogenitis masculis sanctificatis, etsi propter peccata digni morte essent, tamen singulare praeceptum fuit, ut precio redimerentur, quo ostendere uoluit Deus, etsi genus humanum propter peccatum, commertum esset aeternam mortem, tamen futurum ut precio, ab eo morte redimeretur, id uero precium quo redempti sumus, fuit filius Dei, qui se nostra causa uictimam Deo Patri obtulit, sicut Petrus ait. Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti estis, de uana uestra conuersatione paternae traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi.

significat

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Significat igitur sanctum, quod segregatum & Deo consecratum est, sed ita ut propter peccatum sit manducandum & offerendum Deo, Vtrum quia precio redimitur, liberatur à peccato & morte, & eo precio conservatur, mundatur & sanctificatur.

Queritur igitur unde illam sanctitatem consequamur? Id declarat oratio Christi Ioan. 17. Cum pro tota Ecclesia ardentissime sic orat, De mundo non sum, sicut & ego non sum de mundo, quibus verbis ostendit mundum esse prophanum & contaminatum, Ecclesiam vero, Dei populum, esse quidem in mundo, sed tamen à mundi prophanatione segregatum & alienum, Et addit, Sanctifica eos in veritate tua. Sermo tuus veritas est, Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.

Vberissimam doctrinam & saluberrimam consolationem complectitur hæc brevis sententia Christi, quæ hoc loco explicari non potest, sed summam breviter indicabimus. Primum ostendit eas sanctificationes, expiationes, sacrificia, holocausta, omnes ceremonias & ritus Mosaicos, non fuisse veram & eternam sanctificationem coram Deo, sed tantum corporalem & externam coram hominibus in politia Moisi, & umbra ac figuram veræ sanctificationis, quæ promissa

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

promissa patribus, per ipsum erat implenda.

Deinde omnes homines cum omnibus meritis, operibus, studijs & exercitijs suis, non esse sanctos, sed prophanos & contaminatos, neq; sese posse suis uiribus ab hac prophanatione expiare, nisi à Deo patre & à se filio sanctificentur. Ideo enim tam ardentem orat, ut Pater eos sanctificet in ueritate sua. Si enim Ecclesia seipsam posset sanctificare, quorsum opus esset hac tam ardenti Christi oratione? Addit autem per quod instrumentum Pater sanctificet, cum ait, Sermo tuus ueritas est.

Verbum itaq; est uirtus & potentia Dei patris, quo uere huic credentes sanctificantur à patre. Nam hoc uerbo docemur, Christum filium Dei, semetipsum non pro se, quia ipse ab aeterno sanctus est & in aeternum permanet, sed pro nobis immundis sanctificandis & redimendis Deo patri uictimam sanctificasse, hoc est, mactasse & obtulisse, ut & nos ipsi per ipsum sanctificati simus in ueritate. Huic uerbo credentes, soli & uere sancti sunt, & extra hoc uerbum nulla est sanctitas, sed omnes sunt prophani & contaminati.

Sic quoq; cap. 5. inquit Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam lauacro aquae per uerbum etc. Et Heb. 10.

Sanctificati

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel, Et omnis quidem sacerdos, praesto est quoties die ministrans & eandem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei, de aeterno expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Una enim oblatione consummavit, in sempiternum sanctificator. Et I. Corinth. I. Qui factus est nobis, sapientia à Deo, iustificatio & sanctificatio & redemptio. Item I. Cor. 6. Haec quidem fuistis sed abluti estis, sed sanctificati estis, Sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi.

Credens igitur uerbo, quo annunciatur filium Dei pro nobis, qui propter peccata nostra sanctificandi, hoc est mactandi & occidendi eramus, semetipsum sanctificasse, hoc est, patri uictimam obtulisse, sanctificatur, id est, propter hanc uictimam filium Dei, pro mundo & sancto, reputatur & acceptatur, & quanquam maneat aliqua immundities, haerens adhuc in carne, tamen illa non imputatur propter filium Dei, & tales quidem quorum corda intus hoc uerbo & hac fide coram Deo purificata & sanctificata sunt, incipiunt postea & ipsi, opera & auxilio spiritus

EPISTOLÆ AD EPHESIOS

Spiritus sancti habitantis in ipsis, sordes suas eluere, expurgant uetus fermentum, incipiunt, ut sanctos decet, ab omnibus prophanis & immundis cogitationibus & actionibus sese segregare, & sicuti Christus se pro ipsis sanctificandis sanctificauit, hoc est, uictimam Deo patri obtulit, ita & ipsi pro gratiarum actione, sua ipsorum corpora hostiam uiuentem, sanctam, acceptabilem Deo per Iesum Christum offerunt ac sanctificant.

De talibus sanctis hic in terra uiuentibus Paulus & tota sacra scriptura loquitur, Cuiuscumque ordinis, conditionis aut status sint, qui credunt in Christum, sicuti se ipsum hoc loco interpretatur, Sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.

Ne igitur, ut Pontificij & Hypocrite faciunt, intelligamus sanctos qui in coelo cum Christo uiuunt, aut quos Pontifex canonizauit & sanctificauit, aut qui in Monasterijs aut Eremito duram ac solitariam uitam agunt, & propter uaria exercitia ac merita sancti existimantur, Ac placet mihi hic Theophylastus interpretatio, qui sic ait, Animaduerte quanta uirtus tum resplenduerit in Ephesijs, adeo ut sanctos & fideles appellet uiros, mundi negotijs deditos,

ENARRATIO CAPITIS PRIMI
uxores habentes & liberos. At hodie në in montibus
quidem & spelæis tales reperiuntur.

Gratia uobis & pax.

PRIMUM hic consideretur, Paulum duo in salutem
tionem precari Ephesijs, atq; adeo quoq; alijs Ec-
clesijs quibus scribit, Gratiam nempe & pacem, Et
cur primo loco gratiam, & secundo pacem ponat,
præterea quorum nomine, suo ne aut aliorum Apo-
stolorum nomine, & quibus hæc optet, Hæc ordine
breuiter explicanda sunt.

Quid sit Gratia.

GRATIA opponitur peccato & ire Dei. Signifi-
cat igitur, nos esse peccatores & filios ire, ideo
opus esse nobis gratia, hoc est fauore & amore Dei,
condonatione peccatorum, reconciliatione & accepta-
tione, eamq; ostendit se precari nobis à Deo patre
& Domino nostro Iesu Christo.

Est igitur Gratia fauor & amor Dei, Nam cum
nos qui peccatores & natura filij ire sumus, fide com-
plectimur unigenitum filium à patre nobis donatum,
ut per ipsum habeamus reconciliationem & uirgam,
Pater rursus nos, iam hæc fide factos filios, comple-
ctitur, amat, gubernat, defendit, saluat, non imputat
peccata

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

peccata, & impertit omnia caelestia & aeterna bona
 tanquam heredibus suis & coheredibus Iesu Christi
 filij sui. Et ideo uocatur gratia, quod haec tanta bona
 non propter nostra merita, sed gratis propter filium
 mediatorem & intercessorem nostrum donat, Sicuti
 Rom. 5. dicitur, Si unius delicto multi mortui sunt,
 multo magis gratia Dei, & donum per gratiam, quae
 fuit unius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit.

Ideo autem primum gratiam ac deinde pacem
 optat, quod pax nulla esse possit, nisi praecedat gratia.
 Neque enim corda acquiescere, serenari & pacari
 possunt, nisi antea statuunt se propter filium Dei esse
 in gratia & fauore Dei, se acceptos & reconciliatos,
 quae ubi mens sic statuit, tum demum acquiescit, Sicuti
 Rom. 5. ait. Iustificati ex fide, pacem habemus erga
 Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per
 quem & contigit nobis, ut fide perduceremur in gra-
 tiam hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe glo-
 riae Dei, quod hic filius Dei pro nobis passus & resuscita-
 tus hoc effecit & impetrauit, ut fide ipsam recon-
 ciliatorem comprehendentes, qui antea eramus sub ira
 & maledicto, simus sub gratia, simus accepti Deo, in
 qua gratia stamus & gloriamur. Praeterea sicuti uox
 gratiae reconciliationem & omnia aeterna bona, ita

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Et corporalia commoda complectitur, quibus Ecclesia ac pij aliquo modo opus habent, hæc enim hebraice uocis uis est, ut omnia leta et prospera significet, ita in salutatione optat omnia æterna et temporalia bona.

A quibus contingant & dentur
Gratia & pax.

CAeterum cum ea optet à Deo patre et domino nostro Iesu Christo donari, significat hæc non nostris uiribus, studijs, exercitijs et meritis parari posse, sed necesse esse, illa gratis dari et quidem non per homines, angelos, aut ullam creaturam, sed à Deo patre et domino nostro Iesu Christo. Ideo non suo aut cæterorum Apostolorum, sed Dei patris et domini nostri Iesu Christi nomine eis gratia et pacem precatur, ut doceat ab his tantum hæc maxima bona petenda et expectanda esse. Ita in ipsa salutatione etiam doctrinam de iustificatione complectitur, ut uel breuissima salutatione lector Epistolæ, admoneretur, quid in Epistola sibi expectandum et animaduertendum sit.

Sed quibus hæc tanta bona precatur? Certe non omnibus, Neque enim omnes tantorum bonorum sunt capaces, sed tantum sanctis et fidelibus in Christo Iesu.

EPISTOLAE AD EPHESIOS

Iesu. Isti enim soli qui credunt, ut uox Euangelij sonat, se morte filij Dei, Deo patri reconciliatos & propter hunc mediatorem sese acceptos, sunt in gratia, & consequuntur hanc pacem, Qui enim credit in filium, habet uitam eternam, qui autem incredulus est filio, non uidebit, uitam, sed ira Dei manet super eum, Ioan. 3. Et Esa. 43. Non est pax impijs.

Effectus autem Gratiae est, tollere peccatum & mortem, & contra sensum peccati & irae Dei, amorem & misericordiam Dei erga nos in filio spectanda proponere, sicuti inquit Christus Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam eternam.

Postremo obseruandum est & hoc, Paulum non solum Dei patris, sed & Iesu Christi nomine gratiam & pacem precari. Cum uero haec non nisi, (ut supra ostensum est) à Deo ipso dari possint, necesse igitur est Christum equali esse cum Deo patre substantia, natura ac potestate, ut quæ aeternus Deus pater praestat & operatur, eadem & filius aeternus & unus Deus cum patre & Spiritu sancto operatur. Sicuti Ioan. 5. dicitur. Quaecumq; pater facit, hæc & filius similiter facit & c. Sicut enim pater suscitatur mortuos & uiuificat, sic & filium quos uult uiuificat & c.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI
Benedictus Deus & Pater Do-
mini nostri Iesu Christi, qui be-
nedixit nos in omni benedi-
ctione spirituali in caelestibus
Christo.

Orditur Paulus suo more Epistolam à gratiarum actione. Agit enim gratias Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, pro maximis & innumerabilibus beneficijs & donis spiritualibus & caelestibus, quibus per Christum Ecclesiam suam, bonus & benignus Pater cumulavit & ornauit. Ideo autem ferè inde suarum epistolarum exordia sumunt Apostoli, quòd ipsi praecipuè magnitudinem & excellentiam beneficiorum, quae Ecclesiae per Christum contigerunt, & uident & intelligunt. Animalis enim homo has tantas res non ita considerat, nec intelligere potest. Sed illa Apostolorum exempla & assidue gratiarum actiones, debent & nos qui immergi rebus Prophanis & curis praesentis uitae, quasi ueternum stertimus, ad tantarum rerum considerationem & ad gratiarum actionem exuscitare. Sicut & ad Coloss. Cap. 3. nos hortatur Paulus, cum
dicit

EPISTOLAE AD EPHESIOS:

ait, Itaq; si resurrexistis una cum Christo, superna
querite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens. Su-
perna curate, non terrestria.

Ceterum ipsa uerba textus propter Phrasin ui-
dentur paulò obscuriora cum ait, qui benedixit nos in
omni benedictione spiritali, in coelestibus Christo.
Dupliciter enim intelligi possunt. Primum ut, Chri-
sto, sit datiu casus, & tum erit sententia: Nos à Deo
patre ipsi Christo benedictos, ut Christus sit caput
Ecclesie, sicuti infra dicit. Et cum dedit caput supra
omnia ipsi Ecclesie, quæ est corpus eius &c. Sumus
igitur à Deo Patre benedicti, ita ut simus sponsa &
membra Christi, sicuti infra copiosius ostendemus.
Altera interpretatio est. Nos esse benedictos Christo,
hoc est, in Christo, iuxta promissionem Abrahæ fa-
ctam, In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.
Nam in Christo peccatum & maledictio, sublata, &
donata ac restituta est per eum benedictio, gratia &
uita. Vtraq; sententia bona & commoda est, Sed do-
cendi causa diuidemus totum hoc caput in certos locos,
eos, quos ordine tractabimus.

Primus locus de Deo, & quod unus
sit Deus, tres tamen distinctæ
personæ.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Primus locus est de Deo. Docet enim quid sit
 Deus, Essentia nempe spiritualis, aeterna, sapia
 ens, bona, iusta, sancta, casta, uerax, immense potentia,
 conditrix & conseruatric omnium rerum, Et
 eum quidem Deum, unum esse in substantia, sed tam
 men trinum in personis, Patrem nempe qui ab aeterno
 ex essentia sua, filium imaginem sui genuerit, & filium
 unam aeternam imaginem patris ex patre genitum, quem
 pater mirabili decreto ante mundi constitutionem sa-
 ctio, cum praeuideret genus humanum, posteaquam
 foret conditum, ruiturum in peccatum & mortem,
 uoluerit adsumere humanam naturam, ut ipsius san-
 guine & morte genus humanum redimeretur & con-
 sequeretur remissionem peccatorum, iustitiam &
 aeternae uitae hereditatem, sicuti hic in textu prolixissi-
 me & dulcissimis uerbis beneficia filij Dei erga ge-
 nus humanum commemorantur, Praeterea esse quoque
 tertiam personam in unitate diuina, Spiritum sanctum
 qui à patre & filio procedat, Et hunc quidem unum
 & aeternum Deum elegerit sibi per hunc filium Eccle-
 siam, ut sit sancta & irreprehensibilis coram ipso
 propter filium, quem constituerit caput ipsi Ecclesiae
 corpori suo, à qua Ecclesia, iuxta eam reuelationem
 quae per uocem filij Dei, & per Prophetarum &
 Apostolorum scripta patefacta est, uelit agnosci,
 laudari.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

laudari, inuocari, & cum in hac, tum in eterna uita
quoq; perpetuo celebrari.

Hæc Dei definitio perspicue hic & copiosissime
traditur.

Nam cum sic orditur Paulus, Benedictus
Deus, & Pater Domini nostri Iesu Chri-
sti, sciendum est hoc singulari consilio fieri, Neq; n.
sic accipienda uerba Pauli sunt, cum ait Benedictus
Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, quasi hic de
duobus loqueretur, ut alius sit Deus, & alius extra
diuinitatem, sit pater domini nostri Iesu Christi, id
quod impium foret. Sed idcò diserte sic scribit, Bene-
dictus Deus, ut doceat unum tantum Deum esse qui
sit benedicendus, & non plures, sicut & Moses Deut.
S. ait. Audi Israel Dominus Deus tuus, dominus unus,
Et infra. cap 4. Vnus spiritus, una fides, unum
baptisma, unus Deus & pater noster omnium & c.

Vt autem manifeste & claris uerbis ostendat in-
ua essentia diuina, quæ sit benedicenda, tres esse di-
stinctas personas, ideo subiicit, & Pater Domini no-
stri Iesu Christi, q d. Benedictus Deus, qui Deus, est pa-
ter ab æterno generans filiū, & filius ab æterno ex pa-
tre genitus. Nam cū inquit, Pater elegit nos ante mun-
dum conditum, significat patrem æternū Deum, sic &

ENARRATIO CAPITIS PRIM!

cum ait, nos in filio ante mundum conditum electos, necesse est filium quoque eternum Deum esse, ut qui ante fuerit, quam fundamenta mundi iaccerentur, & si eo tempore quo nihil præter Deum & eternitatem erat, fuit pater, & fuit filius, Ergo necesse est patrem Deum ab eterno generasse filium Deum eternum, & filium ab eterno genitum ex æterna essentia patris, Sicuti & Ioan. 1. dicitur, In principio erat uerbum, Et uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, Hoc erat in principio apud Deum, Et Psal. 2. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te Et Heb. ult. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula &c.

Ostenditur & tertia persona. Spiritus sanctus, cum ait, Qui benedixit nos omni benedictione spiritali. Spiritus enim sanctus procedens de patre & filio, ab eisdem mittitur & datur ijs qui credunt Euangelio, quorum corda uerbo & fide purificat, sanctificat & nouam lucem in ijs accendit, ut incipiant agnoscere, timere & amare Deum, & ei obedire. Hanc uocat hic benedictionem spiritus, quæ propter filium Dei, quem fide adprehendimus, sed per uerbum creditum, & per spiritum sanctum fit. Sed & spiritum sanctum ab eterno fuisse, testantur alia scripture loca, ut Gen. 1. Spiritus Domini, qui est spiritus sanctus.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

flus, ferebatur supra aquas. Si Spiritus Domini ferebatur super aquas, cum in principio res crearentur, sequitur hunc Spiritum Domini fuisse ab eterno, ita & Spiritus sanctus fuit in principio apud Deum, sicuti uerbum, & Psal. 32. Verbo Domini coeli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis uirtus eorum.

Porro Deum esse essentiam spiritualem indicat per haec uerba, dum dicit nos benedictos spirituali benedictione à Deo, Spiritualis enim benedictio, non potest nisi à spiritu proficisci, iuxta illud Christi Ioan. 3. Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Sapiens autem est, quia elegit nos. Eligere enim est sapientis & intelligentis, non bruta naturae. Esse autem bonam, iustam, sanctam essentiam, testatur hoc, quod benedicit, eligit, sanctificat nos, ut simus irreprehensibiles coram eo, quod adoptat nos in filios & heredes, quod uult redemptos morte filij, quod cumulat nos corporalibus & spiritualibus, caelestibus & aeternis donis &c.

Item esse aeternam & immense potentiae Essentiam, patet inde, cum res omnes condit & conseruat. Hoc modo in Exordio Epistolae & definitionem Dei, & articulum de Trinitate tradit.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Hic quoq; discrimen traditur, quid intersit inter benedictionem & inuocationem Iudaicam, Turcicam seu Ethnicam & Christianam. Turcæ benedicunt, laudant et inuocant Deum conditorem cœli & terræ, sed illum Deum negant habere filium ab æterno ex se genitum. At uerus Deus non est, nisi is qui ab æterno genuit filium imaginem suam, & filius ex patre genitus, ac Spiritus sanctus ab utroq; procedens. Igitur Turci, Iudæi & Ethnici non inuocant uerum Deum, quia fingunt sibi Deum qui non fuit, non est, neq; erit, nempe Deum absq; filio & Spiritu sancto, & imaginantur sibi alium Deum quam qui se per filium & Spiritum sanctum certis testimonijs, miraculis & scriptis Prophetarum & Apostolorum patefecit, Inanis igitur & irrita est ipsorum Benedictio & inuocatio, Inuocant enim Deum qui nusquam est. Omnis enim qui negat filium, nec patrem habet. Ioan. 2. Atq; ita simul nec Deum habet, quia in filio habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, Es Ioan. 5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, Est enim una essentia patris, filij & Spiritus sancti.

Deinde Deus non uult coli, benedici aut in uocari nisi per filium mediatorem, per hunc enim habemus aditum, utriq; in uno spiritu ad patrem. Ideo non uult

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

uult neq; exaudit preces Deus, nisi in agnitione patris, filij & spiritus sancti, & per filium factas & oblatas.

Secundus locus est de Regno Christi, & de duplici benedictione Corporali & Spirituali.

Cum ait, Qui benedixit nos omni benedictione Spirituali in coelestibus Christo, Ostendit duplicem esse benedictionem, Corporalem & Spiritualem, sicuti utraq; benedictio Gene. 12. Abrahæ promittitur, cum ait Deus, Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus, Benedicam benedicientibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atq; in te benedicentur uniuerse cognationes terræ.

Prior enim huius promissionis pars, continet res corporales, quibus tamen etiam rerum spiritualium promissiones coniunctæ sunt. Obseruanda enim regula est Promissionibus corporalibus simul includi, Promissiones Spirituales. Nam cum ait Deus, Faciam te in gentem magnam, significat Abraham & corporaliter & spiritualiter magna gente auctum iri.

Vere

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Vere autem etiam corporaliter posteritas Abrahæ ex paruis & miraculosis initijs creuit in gentem magnam. Datur Abrahæ hæc promissio, cum iam natus est annos 75. & differtur impletio promissionis annos 25. quibus manet, ut antea erat, sterilis Sara, & his annis uarie exercetur fides Abrahæ, cum tam diu differtur promissionis impletio, Videtur contra naturam & fieri non posse, ut ex effatis corporibus & senio confectis nascatur proles aliqua, sed quia credit Abraham, eum qui promiserit, posse prestare etiam contra uim nature quod promiserit, ideo Centenario iam nascitur filius Isaac, & ex filio Isaac nepotes Esau & Iacob, quos uidit Abraham iuxta promissionem fore fontes & seminaria magnæ gentis promissæ.

In hac promissione, in qua & gens magna, & semen per quod omnes gentes essent benedicendæ, promittebatur, acquiescens, cum certa spe omnia sic fore, suo à Deo prædefinito tempore implenda, ex hac uita discessit, etsi uiuus non maiorem posteritatem quam filium & duos nepotes uideret. Sciebat enim Deum & Deus, & certo prestare quæ promississet.

Mortuo igitur Abraham, in Iacob nepote statim iuxta datam promissionem posteritas eius, natis duodecim patriarchis incipit propagari, ita ut cum septuaginta

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ginta hominibus ingrediatur Aegyptum Iacob, ibi uero in immensum posteritas Abrahae quadringentis annis quibus ibi fuit, aucta est, ita ut sexcenta milia uirorum absq; paruulis & mulieribus ac reliquo comitatu egredierentur Aegyptum, ad occupandam terram promissam.

Adest huic populo Deus ipse dux & gubernator, qui per Moysen seruum suum eam politiam & talem cultum Dei constituit, qualem nulla unquam gens habuit. Ducibus Moise & Iosua uiris summis geruntur res maximae, uincuntur & pelluntur suis possessionibus incole terrae promissae, Postea succedunt Iudices & Reges, quorum, Deo ipso duce & gubernatore, plurimae & mirabiles ac insignes ex uarijs populis sunt uictoriae, quales nulla unquam gens habuit, & ita augentur & confirmantur huius populi uires, ut omnibus uicinis Regibus & gentibus sint terrore.

Hic corporali benedictioni additur & spiritalis, quae omnium maxima fuit. Eligitur hic populus praee omnibus gentibus terrae in proprium peculium & possessionem Dei, Datur lex & uerua cultus Dei, Init Deus cum hoc populo per circumcisionem certum fedus, habitat Deus in hoc populo, adest ei ipse defensor & gubernator, instituitur sacerdotium.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

dotium, dantur promissiones, patres, ordine alij post
 alios Prophetae & Doctores, & ita euehitur hic popu-
 lus, ut uerissimum sit quod Dauid ait, Non fecit tan-
 liter omni nationi, nec iudicia sua sic manifestauit eis,
 ut ita prior pars huius promissionis satis impleta sit.
 Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi,
 & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus
 &c.

Et est certe res admiratione dignissima, ex Abra-
 ham & Sara effectus, tantum populum & res tantas
 natas & ortas, ac ita in immensum auctas.

Hic tantus successus rerum corporalium adeo deu-
 mentauit populum iudaicum, ut quanquam propter
 ipsorum peccata, gens esset dispersa & abducta, &
 tantum tribus Iuda ex Babylonica captiuitate Hiero-
 solymam & ad pristinas sedes esset reuersa, & ita
 ipsorum essent accisae & fractae uires, ut regnum cola-
 lapsum restaurare, etsi saepius tentarent, nullo modo
 possent, spirituales promissiones non considerarent,
 & quae de spirituali regno Messiae Prophetae uaticinia
 nati erant, carnaliter intelligerent.

Credebant enim uenturum Messiam ruinas regni
 restauraturum, & Dominum totius orbis terrarum
 fore, sicuti ipsis Prophetarum uaticinia sonare uidea-
 bantur. Hac carnali opinione de corporali regno
 Christi

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Christi, non consideratis spiritualibus promissionibus, erant prorsus occaecati, id quod & in Apostolis ante missionem Spiritus sancti uidemus, Petit enim mater filiorum Zebedaei, ut unus filiorum ad dextram, alter ad sinistram Christi sedeat, Et post resurrectionem Lucae 24. aiunt, Nos sperabamus, quia ipse redempturus esset Israel, Item Acto. 1. Qui conuenerant interrogabant eum dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Adeo uulgata & inueterata opinio in hoc populo erat, Messiam occupaturum regna mundi, & potentem opibus & armis fore, reclamantibus Prophetis, qui humilem, contemptum & abiectum & moriturum Messiam asserebant.

Hac falsa imaginatione dementatos, conatur hic Paulus in exordio Epistolae ab hoc errore reuocare, & iubet propius aspicere & altius considerare promissiones patribus factas, quae etsi res corporales continent, tamen praecipue res spirituales spectandas proponunt, Sicuti utraq; promissio Abrahae data Gen. 12. & 22. ostendit. Nam posterior promissionis pars, cum ait, In semine tuo benedicentur uniuersae nationes terrae, tota spiritualis est, quam maxima populi pars non considerabat, sed tantum mentem & oculos in res corporales & externas fixos habebat.

Fatendum

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Fatendum quidem est, pacem, opes, bonam ualendam, potentiam, honores, esse magna dona & benedictionem Dei, & ea petenda & expectanda à Deo, & pro ijs gratias agendas Deo, sed benedictio spiritualis, qua caelestia & aeterna bona nobis per Christum contigerunt, longè maior & præstantior est. Ideo inquit, Benedictus Deus qui benedixit nos ^{et} benedictione spirituali, q. d. Corporalis benedictio Abrahæ & Patribus facta, quæ prior esse debuit, ab unde impleta est, dum eius posteritas, patres, Prophetas, legem, testamenta, sacerdotium, templum, cultum uerum, regnum florentissimum habuit, qua benedictione corporali impleta, & illis omnibus iuxta Prophetarum uaticinia euersis & sublatis, necesse fuit succedere alteram promissionis partem, quæ est quoque implenda. In semine tuo benedicentur uniuersæ nationes terræ, atq; hæc quidem benedictio spiritualis est quæ per Christum est impleta, longè maior & excellentior corporali benedictione, quæ non Abrahæ posteritatem, sed totum terrarum orbem & omnes nationes terræ complectitur.

Porro cum dicit, omnes nationes terræ benedicentur per Christum, significat omnes homines propter peccatum esse damnatos & maledictos, neq; ab hoc maledicto liberari, nisi per Abrahæ semen, qui est Christus.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Christus, per quem solum benedictio cōtingit, ita doctrina de iustitia fidei pulcherrimè comprehēsa est in hac promissione.

Est autem spiritualis Benedictio, qua per Christum liberati sumus à maledictione, hoc est, à peccato, morte, lege, Satanae potentia, & qua per ipsum donata est benedictio, remissio peccatorum, reconciliatio, donatio S. S. iustitia & uita aeterna. Quid sit.

At hic queritur qualis sit illa benedictio, cum Ecclesia subiecta sit cruci, ac pij infinitis arumnis & malis premantur neq; uideatur benedicta, sed propter tot miseras maledicta & abiecta à Deo? Sciendum igitur est, persecutiones, mala ac mortem non sublata per Christum. Quia Deus propter multas graues causas uult Ecclesiam in hac uita subiectam cruci, sed quia per Christi benedictionem, dum pro nobis factus est maledictum, sublata est maledictio legis, datur iam benedictio spiritualis, qua spiritus & conscientia benedicuntur, Corpus autem propter inherens peccatum, manet in hac uita obnoxium morti & infinitis calamitatibus. Qualis sit.

Hac autem spirituali benedictione (ut ad Gal. 3. ait) Qui ex fide sunt, benedicuntur cum fidei Abraham. Qui benedicuntur.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Ex fide igitur & non ex operibus & meritis est benedictio & iustitia.

Dicit autem nos benedictos OMNI benedictione spiritali. ut significet non opus esse nobis alias aliquas benedictiones quarere extra Christum, sed omnes benedictiones spirituales, diuinas & cœlestes, quibus ad reconciliationem & uitam æternam nobis opus est, copulenter in nos per Christum Iesum effusas, & in illo omnes contineri & inueniri. In Christo Iesu enim (ut ad Coloss. ait) sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.

Quare nullo modo audiendi, imò digni execratione sunt, qui extra Christum alias benedictiones instituant. Extra Christum enim nihil est nisi peccatum, damnatio & maledictio. In semine tuo, inquit Deus, benedicentur omnes nationes terræ. Ergo necesse est omnes gentes terræ esse sub maledictio, neque ab eo posse ulla re liberari, nisi per semen Abrahamæ Christum Iesum filium Dei, Neque in re ulla alia, in ullis exercitijs, operibus aut meritis quam in hoc semine esse benedictionem, sicuti petrus Acto. 4. ait, Non est in alio aliquo salus. Neque enim aliud nomen datum est hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Et Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Ro. 8. Nulla nunc condemnatio ijs qui in Christo Iesu sunt. Ergo qui extra Christum sunt,
sub

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sub damnatione & maledictione sunt Et Ioan. 5. Qui credit in filium, habet uitam aeternam, Qui uero non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super ipsum.

Quaquam igitur gentes habuerint naturalem notitiam legis, & externa opera legis fecerint, multi fuerint uiri excellentes & uirtute praestantes, ut fuit Nama, Aristides, Scipio, & etiam hoc tempore adhuc inter Turcas & alias gentes sicut aliqui, tamen quia notitia promissi & iam exhibiti seminis Abrahamae carerent, neque fide ipsi Christo, uiti nostrae, sunt insiti, manent sub maledicto, condemnatione & ira Dei, nec possunt sine cognitione filij Dei benedici & esse filij & haeredes Dei. Qui enim ex fide sunt (ut supra ostensum est) benedicuntur cum fideli Abraham. Ideo etiam Paulus hoc loco significanter addit, Per Christum, quod per legem & eius opera sunt quidem benedictiones, sed non sunt spirituales, uerum corporales, ut Deut. 28. enumerantur. Si audieris uocem Domini Dei tui, ut facias & custodias omnia mandata eius, Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro &c. Sed benedictio spiritualis, quae est liberatio a peccato, lege, morte & potentia Satanae, illa contingit non operibus aut meritis, sed fide per Christum, ut credas te per Christum benedictum & factum filium ac here

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

dem Dei, Sicuti Christus ait, Si uos filius liberaueritis
uerè liberi eritis.

Sic & Theophylactus hunc ipsum locum inter-
pretatur, ut opponat (inquit) Iudaice, spirituali dixit.
Nam illa corporaliior erat, benedicat Deus sobolent
uentris tui, & benedicat ingressum & exitum tuum
&c. Hic autem omnis benedictio spiritualis est, & ni-
hil nobis deest, Nam facti sumus immortales & filij
Dei & coheredes Christi, ac primitiæ nostræ à super-
nis uirtutibus adorantur, Christus nimirum. Merito
igitur dixit, in omni benedictione, omnia enim nobis
donata sunt, cum diuina, tum spiritualia.

Et S. Ambrosius, Benedixit inquit, nos benedictio-
ne spirituali in cœlestibus, id est non mundana, sed
cœlesti benedictione, neq; corruptibili, sed æterna,
quia gloria Christianorum non in terra, sed in cœlo
est, & est in Christo. Omne enim donum gratiæ Dei
in Christo est, ut si quis spreto Christo benedicti à
Deo putet, errare se sciat, Et homines quidem sic
benedicit Deus, ut donum gratiæ suæ eis impertiat,
Non secundum merita eorum, sed se-
cundum misericordiam suam &c.

Detestandus igitur omnium error est, qui sine
Christo

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Christo & extra Christum benedictiones querunt. ut aduersarij nostri, hostes Christi, qui docent, per Missas, inuocationes Sanctorum, peregrinationes, & nescio per quæ exercitia & opera benedictionem & gratiam promerendam, ac insignis blasphemia in Deum & filium Dei est præcipue quòd de Monachatu docent, tantã gratiam dari accipientibus habitum religionis deuote, quanta datur fidelibus in Baptismo, Hæc enim ipsorum uerba sunt. An non hæc ingens blasphemia est, hominum commentum & traditionem æquiparari institutioni ipsius Christi? Sed cæci sunt & duces cæcorum.

Riectis igitur hominum impijs traditionibus & superstitionibus, consideremus magnitudinem & magnificentiam regni Christi, in quo omni benedictione spiritali hoc tempore benedicti, cum uelati & ornati sumus, quam Prophetæ in spiritu considerantes passim pleno ore prædicant & in primis Dauid magnificis uerbis Psal. 145. uerit, & uidetur quasi uerbis ad rem tantam coelebrandam, destitui. Neq; enim ulla uox humana tantas res exprimere potest. Ideo Dauid in spiritu gestiens sic orditur. Exaltabo te Deus meus rex, Et benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi &c. Magnificentiam glorie sanctitatis tuæ loquentur, Et mirabilia tua narra-
bunt.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

bunt, Et uirtutem terribilium tuorum dicent, Et magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantie suauitatis tuae eructabunt, Et iustitia tua exultabunt. Sic & Paulus ingenti adflatu spiritus, & tantis donis ac opibus coelestibus quasi exultans, his uerbis orditur Epistolam. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spiritali in coelestibus per Christum.

Primum enim, Quod unquam maius miraculum & abundantius diuini erga nos amoris signum diuinitus edi potuit, ipsis etiam sanctis angelis in omnem eternitatem admirandum & stupendum, quod filium Pater sibi coaeternum humanam naturam adsumere, & cum mediatorem & uictimam pro redimendo genere humano & nos per ipsum filios & heredes & coheredes Iesu Christi filij sui, & per ipsum aeternae societatis angelorum, imò diuinae naturae participes esse uoluit?

Deinde quòd hunc filium suum, fratrem nostrum habentem carnem nostram, cuius nos membra sumus, ex carne eius, & ossibus eius, euehit supra caelos, & collocat ipsum ad dextram suam, tradens illi potestatem omnem quae est in caelo & in terra, donansq; illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Iesu omne nomen flectatur, coelestium, terrestrium
& infernorum &c.

Præterea quantum hoc est, quod Deus Pater, sicut
ti Psal. 2. dicit, Constituit hunc filium suum regem suum
per Sion montem sanctum suum, hoc est, quod nos Ec-
clesia ac populus Dei, habemus in hac misera uita
Regem sedentem ad dextram Dei patris, descendentem
& gubernantem nos, qui etsi uarie adfligamur, etsi
occidantur quedam membra Ecclesie in hac militia,
tamen conseruat regni sui corpus contra omnem su-
rorem Satanae & Tyrannorum, Et illud quidem mira-
biliter regit, nempe uerbo & Sacramentis, quod
subinde in priorum stationem & ordinem uocat &
excitat aliquos pios Doctores Ecclesie, qui pure &
sincere uerbum suum doceant, & Sacramenta admi-
nistrent, & simul quoque aliquorum animos exuscit-
at, qui uerbum audire, ei parere & credere & Sacra-
mentis uti uelint, quo uerbo de beneficijs filij Dei
erga genus humanum credito & adprebenso, collig-
git in regnum filij sui populum & Ecclesiam, cui post
hanc uitam propter Iesum Christum filium suum do-
net eternam iustitiam & uitam.

Ha uerbu & doctrina Euangelij cum Sacramentis

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Sunt sceptrum quo hoc regnum regitur & administratur, quo corda hominum uera agnitione Dei illuminantur, quo timore & dilectione Dei accenduntur, & ex quo contra sensum iræ Dei, contra terrorem peccati, legis, mortis & Diaboli, eriguntur & confirmantur, sicuti Psal. 110 dicitur, Sceptrum regni tui emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.

Vires & potentia in hoc regno Christi est fides, credens & nitens uerbo, promissione Dei & sacramentis signis ac pignoribus gratiæ & fauoris diuini. Euangelium enim est potentia Dei ad salutem omni credenti, & illa fides transfert nos ex regno tenebrarum in regnum lucis filij Dei, regenerat & facit nos filios & hæredes Dei ac coheredes Iesu Christi & ita etiam illa fiducia misericordiæ propter Christum, animamur & armamur, ut omnes huius uitæ erumnas & mala toleremus & uincamus, sicuti Rom. 8. inquit Paulus, In his omnibus superamus per eum qui dilexit nos.

Opes uero, magnificentia, splendor & gloria huius regni, est illa spiritalis gloriosa & magnifica benedictio, qua Deus nos benedixit & collocupletauit per Christum, & quidem celestibus bonis. Sunt enim amplissima & magnificentissima opes in hoc regno & ministerio uerbi Dei.

Dantur

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Dantur largissimæ promissiones, quibus Deus offert credentibus suam gratiam, promittit se accepturum nos propter filium, donaturum eternam uitam, cum omnibus cœlestibus bonis, Hanc uocem Euangelij, & has diuitias bonitatis suæ, iubet spargi per totum orbem terrarum, & ultrò hortatur ac monet, ut & petamus & accipiamus diuinas & cœlestes has opes, Instituit suo loco dispensatores & ministros, qui hunc thesaurum suum distribuunt, & omnibus aperiant, dat illis clauēs non regni terrestris, sed regni cœlorum, ut petentibus & uerè poenitentibus cœlum aperiant, Præfractis autem & poenitere nolentibus, cœlum claudant, & eijciant ex Ecclesia domo sua.

Præterea in fidem harum maximarum promissionum & amplissimarum opum, dat certa externa signa & pignora Sacramenta, uidelicet Absolutionem, ut qui à presbytero aut fratre absolutus est, sciat & certò credat à Deo ipso sibi in cœlis remissa peccata, sicuti inquit Christus, Quæ solueritis supra terram, soluta erunt in cœlis. Ita & qui baptizatus est ab homine, sciat & certò credat se à Deo patre, filio & Spiritu sancto ablutum & mundatum à peccatis, & receptum in gratiam, sicuti uerba Baptismi sonant.

Eodem modo & filius Dei in certum pignus sul-

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

erga nos amoris, & diuine gratie instituit cenam
 suam, ut edentes ipsius corpus, credant & perpetuo
 comunefiant se hoc corpore, quod pro ipsis in mor-
 tem traditum sit, redemptos, & eo sanguine, quem
 bibunt, à peccatis mundatos. Addit & arrabonem
 credentibus, Spiritum sanctum, qui testimonium dat
 spiritui nostro quod simus filij Dei.

Has tantas res & hæc magnalia, in quæ, ut Petrus
 ait, etiam sancti angeli prospicere gaudent, gerit diu-
 na Maiestas in Ecclesia sua, uoce & ministerio misera-
 rorum hominum.

Hæc est illa magnificentia, uirtus & magnitudo
 regni Christi, quam Dauid Psal. 145. ita magnifice præ-
 dicat, quam soli ij & uident & intelligunt, qui spiritus
 sancti donis ornati sunt. Animalis enim homo non
 percipit ea quæ sunt spiritus. Discamus igitur hanc
 spiritualem benedictionem & has tantas diuitias
 maximi facere, & demus operam, ut eas uigilanti cura
 retineamus, ne hæc coelestia dona securis, à grassa-
 tore Satana eripiantur, ac sinamus mundum & im-
 pios suis terrenis & caducis bonis, quando ita uult et
 libet, frui, ac precemur æternum patrem Domini non
 solum Iesu Christi, ut hanc spiritualem benedictionem
 & hoc regnum filij sui amplissimum, contra Satana
 & Tyrannorum furorem defendat & conseruet.
 Amen. Tertius

EPISTOLAE AD EPHESIOS.
 TERTIVS LOCVS
 de Electione.

Sicut elegit nos in ipso, ante iacta fun-
 damenta mundi, ut simus sancti & ir-
 reprehensibiles coram ipso in cari-
 tate.

QUae hoc loco S. Hieronymus de graeca uoce
 καταβολή & de animarum, quae ante mun-
 dum conditae fuerint, deiectione refert, ea hic prudens
 omitto, quod pleraque & incerta & friuola sint, neque
 sacris scripturis consentanea, neque etiā ad explicatio-
 nem huius loci pertinere uideantur. Certum autem
 est graecam uocem καταβάλλομαι, idem significare
 quod latinis dicitur, fundamenta iacio, seu primordia
 constituo, ut καταβάλλομαι τὸ θεμέλιον, πλὴν
 ἀρχῶν, Plato ὅτιορ δὴ τις ναυπηγὸς ναυπηγίας
 ἀρχῶν καταβαλλόμενος. Et sicuti hic Paulus uti-
 tur, ita & Ioan. 17. Plane eadem significatione,
 ἀγάπησας με πρὸ καταβολῆς κόσμου, Item 1.
 Pe. 1. προεγνωσμένος μὲν πρὸ καταβολῆς κόσμου,
 φανερωθέντος δὲ ἐπὶ ἑκάτωρ τῶν χρόνων δι' ὑμᾶς
 Neg; haec est sententia, Paulum significare hic, ut Ma-
 nichoi

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Manichei somniant, materiam ex qua postea mundus
conditus sit, cum mundus ex nihilo factus sit, quæ ma-
teria coeterna conditori fuerit & mundum ante
cesserit, Sed plana & simplex sententia est, Electos nos
à Deo in Iesu Christo etiam ante mundum conditum,
sicuti alijs uerbis paulò ante in eo 17. cap. idem dicitur
δοξασον με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῶ, τῆ δόξης
εἰχον πρό τῶ τῶν κόσμου εἶναι παρὰ σοι.

Queritur autem quomodo elegerit nos ante mun-
dum conditum, qui nondum creati fuerimus? Sciens
dum igitur est, Deum, cui ab aeterno in aeternitatem
omnem, omnia patent, nota & semper in conspectu
sunt, Vidisse hominem ubi conditus foret, fore sibi
conditori inobedientem, & ideo ruiturum in damna-
tionem & mortem, & amissurum immortalitatem,
imaginem Dei, aeterna & coelestia bona, quibus Deus
ipsum erat ornaturus.

Contra hoc ingens malum & uulnus humani gen-
neris, quod erat à Diabolo & uno homine acceptum
rum, paratur iam longe ante remedium omnium praes-
sentissimum, nempe hoc, ineffabili & in omnem aeterni-
tatem sanctis etiam angelis admirando decreto sta-
tuitur, ut genus humanum, quod ad imaginem suam,
& immortalis uitæ hereditatem ac sanctorum angelo-
rum

EPISTOLAE AD EPHESIOS

lorum societatem condere decreuerat benignus Deus, si illa tanta bona per peccatum & inobedientiam amitteret, quod futurum uidebat, eterni patris, eternus filius humanam naturam adsumeret, & iram patris, per peccatum & inobedientiam hominis excitatam, cum morte pœna peccati, in sese deriuaret, & hoc modo generi humano iratum Patrem Filius Deus & homo mediator placaret, Ut sicuti per unum hominem Adam, peccatum in mundum erat ingressurum, & per peccatum mors omnes homines erat inuasura, ita & per unum hominem Iesum Christum fieret instauratio & reparatio uitæ, immortalitatis & innocentie.

Tantus erat amor Dei erga hominem adhuc creatum, ut prius quam conditus, lapsus & per peccatum mortuus esset, pararet ei uitæ & reconciliationis remedium, eternum filium suum, Sicut hunc amorem predicat Christus, Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum &c. Et Paulus. Proprio filio suo non pepercit Deus &c. Item S. Bernhardus, Ut seruum redimat non parcat filio.

Hos admirandum decretum factum est ante mundum eonditum in concilio habito à Deo patre, filio & spiritu sancto, nondum existentibus angelis aut ulla creatura, in quo decreto simul & hoc comprehensum est.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

est, Quod sicut filium uoluit assumere humanam naturam, ita uoluit ei adungere eternam hereditatem, ut filius in illa hereditate regnet, ut Psalm. 15. dicitur. Hereditas mea præclara est mihi. Hæc est æterna & immutabilis uoluntas Dei.

Vult autem, quod ad ipsius uoluntatem attinet, omnes homines saluos fieri, sed ita, si amplectantur promissionem de filio, Ideo dicitur. Sic dilexit mundum, hoc est, totum genus humanum à se conditum, & pios & impios hostes suos, ut filium suum unigenitum daret, ut OMNIS qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Et Ioan. 6. Hæc est uoluntas patris, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam æternam.

Videt Deus omnes homines fore peccato & mortis obnoxios, ideo decretum fit ante mundum conditum de toto humano genere, patri per filium reconciliando. Cupit enim neminem perire, sed omnes saluos benignus pater, sicuti hoc iureiurando affirmat. Vt ego nolo mortem impij, sed ut magis conuertatur & uiuat. Et Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, & cap. 5. Nos uidimus & testamur, quod pater misit saluatorem mundi, Et Baptista ait, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Quia autem tantum illi sunt hereditas filij, qui promissionem de filio amplectuntur, Ideo edita est promissio

EPISTOLÆ AD EPHESIOS

missio, primum in paradiso, ut & Adam & tota eius
 posteritas, promissione & spe futuri liberatoris, con-
 tra terrorem iræ Dei, peccati, mortis & contra Dia-
 boli ueteris serpentis morsus sese sustentaret. Ipsum
 semen mulieris conteret caput serpentis, Hæc promi-
 sio ad omnem Adæ posteritatē pertinet, qua qui con-
 fisi sunt, seruati sunt.

Ita & altera promissio Abraha facta, generalis est
 ad omnes homines pertinens, In semine tuo benedicen-
 tur uniuersæ cognationes terræ, Ideo ne patefactio
 huius arcani cōsiliij Dei intercederet ac obliteraretur,
 eligitur certus populus, cui datur lex, circumcisio, dan-
 tur certi ritus & ceremoniæ, signa & commune fa-
 ctiones promissionum de uenturo liberatore, quæ Pa-
 tribus erant factæ, ut in hoc populo doctrina & pa-
 tefactio de Semine mulieris conseruaretur usq; ad præ-
 sentum tempus ipsius aduentus.

AT ubi plenitudo temporis uenit, & liberatio
 ac reconciliatio, quæ ante mundum conditum
 statuta & decreta erat, per mortē & resurrectionem
 filij Dei facta & impleta est, Non uult diuina bonitas
 hoc ingens beneficium suum manere tectum & abscon-
 ditum, aut istud prædicari tantum in Iudaico populo,
 Sed iubet uoce Euangelij proponi omnibus, & spar-
 gi in omnes gentes per totum terrarum orbem, sicut
 sonat mandatum ite in mundum, uniuersam &

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Et predicare Euangelium omni creatura. Qui crediderit et baptisatus fuerit saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur.

Ita Apostoli habent mandatum, ut nomine Dei, cuius ipsi Legati sunt, uocent Euangelij omnes homines ad nuptias seu ad regnum Christi uocent et inuident, ut Paul. 2. Cor. 5. ait. Posuit in nobis sermonem reconciliationis, itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo uos obsecrante per nos, rogamus nomine Christi, reconciliemini Deo.

Semper autem in doctrina de Electione hæ sententia tenenda sunt. Prima, quod uerū est de effectu electionis loquendo, esse unam Ecclesiam propter filiū ab æterno electam, cuius membra omnia Deus postea iuxta temporum ordinem uocat, sanctificat et gubernat, Et de hoc electo coetu inquit Paulus, Fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Nouit Dominus qui sint ipsius, Item, antequam nascerentur, Esau odio habui, Iacob autem dilexi.

Hæc magna consolatio est de toto corpore Ecclesie, quod scimus semper mansuram Ecclesiam Dei sicut Esai. 59. dicitur. Hoc est foedus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, et uerba mea

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui dicit Dominus, deinceps & in sempiternum. Sic & Paulus hoc loco consolatur sanctos, deducens eos ad hanc eternam & immutabilem Dei sententiam, quod sit Ecclesia Electorum semper mansura.

Sed alia est questio de causa Electionis. Hic pie mentes docenda sunt, certo uerum esse, quod reprobationis causa est peccatum, in his qui reijciuntur. Sed electionis causa est misericordia Dei propter filium, recipiens eos qui hunc filium amplectuntur.

Et hic remouendi sunt duo errores. Nam humana ratio imaginatur, aut Deum eligere homines propter legem, id est, propter merita, sicut Iudaei, quos refutat Paulus Romae, 9. aut esse numerum particulariter excerptum, quos tanquam stoico fato, aut acceptione personarum Deus uelit saluos facere, ceteris exclusis, ut si ex cumulo lapidum aliquos exciperet & uerteret in gemmas.

Utraque imaginatio fugienda est. Est enim horribilis impietas, de hac arcana Dei uoluntate saluandi homines statuere sine uerbo Dei. Ideo enim filius patet factus est, ut hanc uoluntatem ostenderet. Non igitur de Electione cogitandum est, nisi simul comprehendamus

ENARRATIO CAPITIS PRIM

hendamus Promissionem de Christo, Et illa imaginatio particularitatis abiicienda est, qua fingis, Deum uelle quidem alios saluos facere, te non uelle. Hæc inæqualitas falsa est, & nequaquam Deo tribuenda.

Alij autem qui existimant propter futura opera quæ Deus ante mundum conditum in quibusdam præuiderit, quosdam electos, accumulunt uarij generis opera, quibus sese exercent, & confirmare uolunt, quod sint ex numero electorum, sed utut sese exercent, quia non intuentur promissiones gratiæ, & sint sine fide, ideò manent perpetuo in dubitatione, nequæ certò statuere possunt sese electos, & horum plurimi ruunt tandem in desperationem. Sunt igitur alie rationes, ex quibus de uoluntate Dei & nostri electione certò statuere possumus.

Prima est ipsum decretum Dei ante mundum conditum a Deo de liberatione & reconciliatione totius humani generis factum, & iam orbi terrarum patefactum, in quo decreto comprehensum est, non certos tantum quosdam amicos, sed & hostes Dei atq; adeò totum mundum morte & uictima unigeniti filij Dei, eterno patri fore reconciliandum, sicuti Rom. 5. dicitur, Si cum inimici essemus reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati

EPISTOLÆ AD EPHESIOS

ciliati seruiabimur per uitam ipsius. Et 1. Ioannis 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Si igitur mundus reconciliatus est Deo, ergo non est uoluntas æterni patris, ut quisquam pereat, sed ut credentes per unigeniti filij mortem se reconciliatos Deo, habeant uitam æternam. Ioan. 3. Ut OMNIS qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.

Qui credit in eum non iudicatur, Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei. Si qui igitur pereunt, non pereunt uolente Deo, Deus enim toti mundo per mortem filij sui reconciliatus est, neq; uult mortem impij, sed ut conuertatur & uiuat, Pereunt igitur sua culpa, quod sermoni reconciliationis non credunt &c.

Secunda ratio est, patefactio huius decreti per promissiones factas Adæ, Abraham & cæteris patribus, quæ sunt uniuersales, & concionantur fore ut filius Dei adsumpturus humanam naturam, ideò mittatur à patre, ut omnes cognationes terræ per ipsum benedicantur, hoc est, liberentur à peccato, æterna morte & damnatione, & sint filij & hæredes Dei, & sicuti supra ostensum est, completo opere reconciliationis per filium Dei, mandatur Apostolus, ut sermonem & doctrinam de reconcilia-

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

tione per mortem filij Dei facta, circumferant per totum terrarum orbem, ut omnes huic sermone & doctrinæ credentes salui fiant. Euangelium enim est potentia dei ad salutem omni credenti.

Sunt autem plurimæ uniuersales promissiones, quas prodest semper in conspectu habere, ut contra cogitationes & tentationes de prædestinatione, mutantur animi, quarum nos paucas colligemus.

Rom. II. Conclufit Deus OMNES sub inobedientiam, Horrenda uox est omnes homines, concludi in carcerem peccati, iræ & æternæ mortis, hoc est, uelle Deum, & ideo hæc concionari, ut mundus agnoscat errores & peccata sua, & sentiat se obnoxium Deo, dignum æterna ira & morte, Sed ut hæc prior pars horrenda auditu est, ita posterior dulcissima & plenissima consolationis est, cum addit, ut omnium misereatur, Ostendit enim non ideo omnes conclusos sub inobedientiam à Deo, ut omnes perdat, sed ut OMNES seruet. Hoc modo Deus uniuersaliter & omnibus uult prædicari poenitentiam, & eodem modo quoq; uniuersaliter OMNIBVS annunciari remissionem peccatorum in nomine Christi, sicuti Christus Luca ultimo inquit, Oportet prædicari in nomine eius

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

eius penitentiam & remissionem peccatorum in
OMNES GENTES.

Præterea ne quis cogitet propter propriam digni-
 tatem, merita aut obedientiam quosdam electos, claris
 uerbis omnium hominum inobedientiam taxat, &
 dicit omnes conclusos sub inobedientiam, ut omnes
 constituat coram Deo reos, & doceat non ex nostra
 obedientia aut meritis, sed solum ex Dei misericordia
 & gratia esse electionem & iustitiam. Idem & aliæ
 plurimæ sententiæ restantur Rom. 3. Non est iustus ne
 unus quidem, Omnes peccauerunt ac destituuntur
 gloria Dei, iustificantur autem gratis. Exod. 34. Nul-
 lus apud te per se innocens. 3. Reg. 8. Non est homo
 qui non peccet. Psal. 42. Non intres in iudicium cum
 seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo
 omnis uiuens &c.

Matth. 11 Christus omnes ad se uocat, Venite in-
 quit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis.

Rom. 10. Omnis qui fidei illi, non pudebit, Non
 enim est distinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idem do-
 minus omnium, diues in omnes inuocantes se, Quis-
 quis enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Acto 10. Huic omnes Prophætæ testimonium per-
 hibent, remissionem peccatorum accipere per nomen
 eius **OMNES**, qui credunt in eum.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Sicuti autem promissiones sunt uniuersales, ita & obseruandum est esse gratuitas, & omnibus promitti remissionem peccatorum & aeternam uitam, non propter sua merita aut dignitatem, sed propter Christum mediatorem gratis, & has promissiones, omnibus qui haec aeterna bona habere uolunt; fide acceptandas, & neminem sese ab his debere excludere, Offeruntur enim a Deo caelestia & aeterna bona sine aliquo discrimine & sine conditione quoque, gratis omnibus, tantum hic fide acceptante oblata bona opus est, Ideo Petrus ait, OMNES accipiunt remissionem peccatorum per nomen eius, qui credunt in eum.

Has suas promissiones & hanc suam uoluntatem per uerbum reuelatam, te intueri & considerare, & te his credere uult Deus, non uult te inquirere arcanam uoluntatem de ipsius praescientia aut praedestinatione qua ante mundum conditum quosdam elegerit, & hanc abiecto uerbo scrutari uelle, & dementia & impietas summa est.

Tertia ratio est haec ipsa consideratio uoluntatis Dei in diuinis promissionibus reuelatae, de qua modo diximus. Patefacta enim Dei uoluntas erga totum genus humanum est, misso filio redemptore mundi, & promulgato Euangelio, quod omnes ad poenitentiam uocat, & omnibus gratis propter filium Dei remissionem

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

remissionem peccatorum offert & annunciat, hanc uoluntatem Dei unigenitus filius ex sinu eterni patris reuelauit, cum Ioa. 6. ait. Hæc est uoluntas patris mei, qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam eternam &c.

Quarta ratio est præceptum & mandatū patris de cælo sonantis, ut credamus filio patefacienti nobis suam uoluntatem, cum inquit. Hic est filius meus in quo delector, hunc audite. Huius filij Dei hæc uox & concio est, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Qui uero non crediderit, condemnabitur. Qui credit filio, habet uitam eternam, Qui uero non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Hunc filium concionantem mihi de uoluntate patris erga me. & de mea electione & iustitia, mandatam mihi est ut audiam, non ut extra ipsius uerbum aliquid quæram de uoluntate patris erga me, sicuti inquit, Nemo uenit ad patrem nisi per me, & unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

Quinta ratio confirmans & certos nos faciens, quod simus electi & filij Dei, est spiritus sanctus arrabo & pignus nostrum, quem ex uerbo & fide concipimus, qui testimonium fert spiritui nostro, quod simus filij Dei Rom. 8.

Cū igitur de prædestinatione obrepunt cogitationes,

ENARRATIO CAPIST PRIM!

caue tuas imaginationes sequere, ne existimes hæc ar-
cana Dei ulla humana ratione aut sapientia inquiri
posse, ac contineas te intra septa uerbi & Euangelij,
ne inde longius euageris, Intuere & considera admi-
randum consilium æterni patris, quod mundum sibi
per mortem unigeniti filij sui uoluerit reconciliari,
eius mundi partem te quoq; esse & patri reconcilia-
tum constanter crede.

Veniant & in mentem promissiones esse uniuersa
Sales, & sicuti Euangelio omnes homines uocantur
ad pœnitentiam, ita & te uocari, & sicuti omnibus
eadem uoce Euangelij gratis propter Christum, non
propter nostram dignitatem annunciat remissio
peccatorum, donatio Spiritus sancti & uitæ æternæ,
ita & hæc dona TIBI offerri, cogita & certo crea-
de, Quia beati omnes qui confidunt in eo.

Noli existimare hæc frustra promissa à Deo, &
frustra præcipi ut credatur Euangelio, aut frustra
dari Spiritum sanctum credentibus uoci Euangelij,
Doctrinam cœlestem esse inanem sonum, sed cogita
ut maxime os hominis hæc uerba sonet, & te ad pœ-
nitentiam & fidem inuitet, esse tamen ipsius Dei &
Iesu Christi uocem, sicuti inquit Paulus 2. Cor. 5. Po-
suit in nobis sermonem reconciliationis. Itaq; nomine
Christi

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Christi legatione fungimur, tanquam DEO uos obsecrante per nos, rogamus loco Christi, reconciliemini Deo, Et 1. Thess. 2. Cum acciperetis sermonem à nobis, quo Deum disceratis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uere, sermonem Dei, qui & efficax est in uobis credentibus, Et hoc ipsum uerbum Euangelij cogita esse potentiam Dei, ad salutem omnium credenti,

Ne putes Sacramenta à Christo instituta, esse inania spectacula, sed & doctrinam Euangelij & sacramenta esse instrumenta, per quæ Deus in credentibus sit efficax, per quæ uere credentibus donet Spiritum sanctum, remissionem peccatorum & uitam æternam, per quæ colligat sibi æternam Ecclesiam in qua habitare uelit.

Certò statue non esse aliam uoluntatem aut electionem seu prædestinationem Dei de te saluando, tibi inquirendam, quam quæ tibi & Ecclesie Christi in uoce Euangelij patefacta est, & ideo patefactam ac præcipi tibi, ut huic credas, Quia certum est sicut Paul. Ro. 8. ait, quos elegit, eosdem & uocauit, & quos uocauit, eos & iustificauit, quos autem iustificauit, hos & glorificauit.

Dulcissima sententia est, quæ ostendit eandem esse causam

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

causam & fontem electionis quæ est iustificationis, Misericordiã nempe. Eligit Deus, sed non nisi eos quos prius uoce Euangelij ad agnitionem filij sui uocauit, & qui huic uoci obtemperant & credunt, Obtemperantes autem & credentes Euangelio iustificat, hoc est, gratis propter filium non imputat eis peccata, sed acceptat eos pro filijs & heredibus ac coheredibus Iesu Christi filij sui. Sic aut iustificatos glorificat, ita tamen ut antea subiiciat cruci & infinitis calamitatibus, ut prius fiant conformes imaginis filij sui. Ita extra Ecclesiam quæ audit uerbum & ei obtemperat, non est alia quis numerus electorum aut saluandorum.

Si qui igitur pereunt, non pereunt Dei, sed suis culpa, quia non obtemperant Deo eligenti & uocanti eos per uocem Euangelij, ut 2. Cor. 4 dicitur, Quod si adhuc uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est, In quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.

VT autem finiamus hanc de Prædestinatione doctrinam, in fine rursus moneo, pijs consolationem gratissimam propositam esse in hac sententia, quod toties inculcat scriptura, Deum seruaturum esse omnibus temporibus Ecclesiam, ac semper aliquam fore

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

fore Ecclesiam electam, de qua dicit, *Portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Item, Nemo rapiet eas de manu mea. Nihil optatius est omnibus Deum amantibus, quam ut ad posteros sit & maneat Ecclesia Dei, Et fiet hæc doctrina dulcior cum audimus hanc Electorum Ecclesiam non querendam esse extra cœtum uocatorum, sed tantum in cœtu uocato, id est, qui sonat & amplectitur uocem Euangelij.*

Mansura est igitur ibi uera Ecclesia, ubi retinetur incorrupta Euangelij doctrina, & ubi studia sunt doctrinæ. Hanc consolationem gratam esse omnibus p̄s in genere non dubium est.

Deinde pro se quisq; discat, ut dixi, de uoluntate Dei iudicandum esse, ex uerbo in quo se reuelauit, non ex ratione aut lege.

Nec dissentiant dicta Pauli ad Rom. cap. 9. ab hac nostra consolatione, Non omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël.

Hæc sententia & sequentes loquuntur de effectu electionis, ac testantur esse & mansuram esse aliquam Ecclesiam electorum, non alligatam stirpi, aut successioni ordinariæ, aut titulis ordinariæ potestatis, aut Legi, ut nunc acerrimè contendit Romanus Pontifex cum suo toto agmine, se & suum cœtum esse Ecclesiam, quia successione ordinariæ teneant sedem Petri.

Estq;

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Estq; omnino necessaria consolatio omnibus pijs
scire Ecclesiam non alligatam esse ad has prerogative
uas, stirpis aut successionis ordinariae, Ideo Paulus cola-
ligit exempla, inde usq; ab initio, ubi Deus praeiudicavit
non primogenitos, sed posteriores, contra humanum
iudicium. Ita dictum de iacob & Esau intelligatur. Iaco-
b dilexi, Esau autem odio habui.

Adfirmat Deus se elegisse Ecclesiam, sine respectu
prerogativae originis aut legis, Sed per misericordiam.
Et de effectu loquitur. Interea non hoc vult, iacob
fieri membrum Ecclesiae sine promissione, imò impie-
tas est fingere membra Ecclesiae, sine Christo. Necesse
est igitur in iacob accedere apprehensionem promissio-
nis.

Dictum vero Moysi planius est. Misereor cuius mi-
sereor. Hoc dictum adfirmat Ecclesiam per misericordiam
eligi, quod verissimum est, & adfirmat esse &
manere Ecclesiam electorum. Sed tamen non hoc cogi-
tandum est ullos fieri membra, sine apprehensione
promissionis.

Vt essemus Sancti & Irreprehens-
sibiles coram ipso per chari-
ritatem.

EPISTOLAE AD EPHESIOS

Paulus orsus est Epistolam à gratiarum actione, in qua ordine commemorat ingentia beneficia Dei patris, quæ Ecclesiæ suæ uberrime per filium suum contulit, quæ ideo proponit ab oculis spectanda, ut consideratione tantorum beneficiorum animos nostros & confirmemus, & ad gratiarum actionem exuscitemus. Vult enim Deus perpetuò hæc sua beneficia agnosci à nobis & uersari ob oculos & pro ijs sibi in Ecclesia gratias agi, Hoc enim iuge sacrificium est, quo cæli, quod offerri sibi uult Deus gratiarum actionem, nempe uitulos labiorum, inuocationem nominis sui, & propagationem uerbi ac celebrationem bonitatis & misericordiæ suæ per filium nobis exhibitæ.

Porro primum Dei beneficium est, quod per Iesum Christum filium suum, nos omni benedictione spirituali benedixit, & quidem non corporalibus & interituris bonis tantum, sed & cælestibus & æternis.

Secundum quod propter filium per uerbum uocat, eligit, colligit ac sanctificat benignus pater æternans Ecclesiam filio suo, quæ eius sit hæreditas & sponsa & quod non uult humanum genus, sicuti per peccatum meruerat, prorsus abiectum & damnatum sed saluos omnes qui fide hunc suum filium amplectuntur.

quæritur

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

quem ipse uictimam & mediatorem humani generis constituerit.

Porro quia homines carnales, cum de fide & electione audiunt, statim illa saluberrima doctrina de Dei erga nos misericordia ad securitatem & libertatem carnalem abutuntur, ac sibi ipsis fidem & nescio quam electionem sine nouitate spiritus fingunt, ac existimant licere sibi suo more uiuere, non opus esse reuouatione, Ideo Paulus addit occupationem, ne homines carnales hac dulcissima doctrina de Electione abutantur, sicuti & infra cap. 2. facit, cum ait, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quae preparauit Deus, ut in eis ambulemus, Solet enim ubiq; carnalem securitatem studiosè taxare, Ita & hoc loco ait, Electi sumus ante mundum conditi in Christo Iesu, & uocati ad coeleste consortium, sed non ideò ut in hac uita sit licentia scelerum & flagitiorum, sed ut simus sancti & irreprehensibiles coram ipso per charitatem, Sicuti etiam ad Titum cap. 2. scribit, Apparuit gratia Dei saluifera omnibus hominibus, *καταδουλοῦσα*, erudiciens, castigans, q. d. non licentiam concedens impie & iniuste uitae, sed castigans ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè uiuamus in praesenti seculo & c.

Erunt enim omnibus seculis carnales homines, qui

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ubi doctrinam Euangelij audierint, sicuti hoc nostro tempore quoq; magnam eorum multitudinem uidemus, ad carnalem licentiam ea abutentur, tales acriter exemplo Pauli & aliorum Apostolorum obiurgandi & reprehendendi sunt. Eligit enim, uocat, & per filium ab impietate & peccatis non ideo liberat, ut in impietate & peccatis uiuamus, sed ut peccatis moriamur, & ut simus sancti & irreprehensibiles coram ipso per charitatem.

Queritur ergo quomodo in hac corruptione & imbecillitate humanae naturae posimus esse sancti & irreprehensibiles coram Deo, cum certissima & uerissima sententiae sint. In conspectu tuo non iustificabitur omnis uiuens, Et Exod. 34. Nullus apud te per se innocens est, cum multis alijs similibus. Et pii ipsi agnoscunt suam immundiciam & imbecillitatem, sentiunt uarios motus & concupiscentias contra legem Dei, & se non posse satisfacere legi Dei, et illam ipsam obedientiam quam praestant renati, sentiunt adhuc imperfectam & miris modis contaminatam. Quis itaq; statuet se coram Deo qui solus sanctus & irreprehensibilis est, esse sanctum & irreprehensibilem? Et certe magna confidentia & temeritas esse uideatur, te hominem miserrimum, magna adhuc mole & labe peccatorum contaminatum, statuere uelle, quod coram Deo sis sanctus & irreprehensibilis.

Sciendum

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Sciendum igitur est nos esse sanctos, Primum imputatione, quod credentes, se per Christum reconciliatos & acceptos patri, reputantur sancti & irreprehensibiles, ut maxime hæreant adhuc in carne laebes originalis peccati, quibus pij resistunt, & eas per omnem uitam eluere student, tamen ille non imputatur eis, sed amplectentibus Christum, imputatur illius iustitia ac sanctitas, ut Rom. 8. dicitur, Nulla condemnationis ijs qui in Christo Iesu sunt &c.

Tales enim fide induerunt Christum, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, & sanctificatio & redemptio, ita propter filium suum nos adhuc peccato contaminatos, reputat & acceptat pater cœlestis pro sanctis & iustis, atq; hæc sanctitas est imputatiua, & non nostra, sed Iesu Christi, quam fide nobis induimus & adplicamus, cum credimus sanguine Iesu Christi nos ab omnibus peccatis mundatos, & illius sanctitatem & iustitiam, esse nostram, nobis per ipsam à patre donatam. Ita uera sententia Moysi est, Nullus per se coram te innocens est. Item, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Nostra enim sanctitas & iustitia coram Deo extra Christum, etiamsi uideatur splendidissima, nulla est, & nihil aliud est quam immundicia & impietas, imò nihil aliud quam peccata
tam

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tum & abominatio est. Sed credentes & amplectentes Christum, sunt sancti & irreprehensibiles, non sua, sed aliena, nempe Christi sanctitate & iustitia, quæ propter filium eis imputatur & donatur à Deo patre.

Hanc sanctitatem & iustitiam fidei quæ est ex Christo coram Deo patre, sequitur deinde alia quoque sanctitas & iustitia, quæ coram nobis & alijs hominibus, quibus cum in hac uita uiuimus, est, quæ est nouitas uitæ & iustitia bonæ conscientie, quod in reconciliatis, Deo grata est, propter filium, noua, quanquam imperfecta & adhuc contaminata obedientia, sed hæc sanctitas & iustitia quæ nostri operis est, nulla imò abiecta & damnata erit, nisi prior quæ ex fide Iesu Christi est, quæq; sola nos coram Deo iustos, sanctos & irreprehensibiles constituit, præcedat & præluceat.

Atq; hinc est cernere quod sit discrimen inter hominem Christianum & Ethnicum.

Non uidetur aliquod esse discrimen inter Abraham, Moysen, Iosuum, Samuelem ex populo Dei. Et ex gentibus inter Numam, Aristiden, Scipionem & Pompeium Atticū, Vtriq; enim propter summas uirtutes, moram integritatem ac uitæ innocentiam, iudicantur

ENARRATIO CAPITIS PRIMI
esse sancti & irreprehensibiles, & tamen maximam
discrimen est.

Abraham cum ceteris, qui ex populo Dei promissio-
nes de uenturo liberatore amplexi sunt, quanquam
sint uiri summis uirtutibus præditi, tamen quia sentia-
unt & agnoscunt se longe abesse ab ea perfectione
quam lex Dei requirit, quia sentiunt corruptionem
naturæ suæ, & se sepe ferri cæcis cupiditatibus con-
tra legem Dei, idcò uident se coram Deo non posse
esse sanctos & irreprehensibiles propria sanctitate
& iustitia, sed statuunt se propter alium sanctos, ius-
tos & acceptos Deo, nempe propter promissum se-
men, in quo sit futura benedictio & liberatio. Ita fide
illi, seminis promissi iustitiam sibi circumdant, & illa se
uestiunt ac muniunt, qua coram Deo sancti & iusti
sunt. De qua sponsi ueste illud apud Esaiam cap. 61.
Epithalamion Ecclesiæ est, Gaudens gaudebo in Domi-
no & exultabit anima mea in deo meo. Quia induit
me uestimentis salutis, & indumento iustitiæ circum-
dedit me, Quasi sponsum decoratum sacerdotali orna-
tu. Vestiti enim Christi sponsi & sacerdotis nostri
ornatu, sumus irreprehensibiles & sponsa sine rugis
& maculis.

E contra ex gentibus Numa, Aristides, Scipio, Pom-
ponius Atticus, ut maximè externa legis opera præ-
stent & excellant uirtutibus, & coram hominibus
sanctissim

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sanctissimi & integerrimi uiri existimentur, tamen quia sunt sine agnitione filij Dei, non credunt se propter filium recipi, exaudiri, iuuari, defendi. Ideo etsi propter externa opera legis coram hominibus iusti & sancti appareant, tamen quia corda uacant fide, timore, amore Dei, nec corruptionem naturæ, concupiscentiam, dubitationem de Deo, & interiora mala indicant esse peccata, ideo displicent Deo & sunt reprehensibiles. Quia certum est neminem sine agnitione promissi seminis filij Dei saluari, iuxta illud. Non est in alio salus &c.

In Charitate.

Addit autem in Charitate, Primum ut ostendat causam Electionis non esse nostram dilectionem aut dignitatem, sed ipsius Dei erga nos amorem, qui eligit & uoce Euangelij nos uocat, non propter nostram charitatem, qua nos cum amplectimur & diligimus, sed quia ipse diligit nos, & non uult nos perditos sed saluos, sicut i. Ioan. 4 dicitur. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propiciatorem pro peccatis nostris.

Hæc enim charitas qua ipse Deus in filio suo nos dilexit, reddit sanctos & irreprehensibiles coram Deo, non nostra, quæ, ut dictum est, in hac uita imperfecta & contaminata est. Deinde simul & hoc

ENARRATIO CAPIST PRIMI

monet, ut hanc charitatem Dei patris nostri, qua coram ipso sancti & irreprehensibiles propter filium ipsius constituimur, nos filij Dei erga fratres nostros imitemur, & ne eam mutuis odijs aut alijs peccatis effundamus, sed illum Dei erga nos amorem, quo propter filium suum nos complectitur, etiam mutua inter nos dilectione tueamur & perpetuò alere & conseruare studeamus, Sicuti ibidem à Iohanne precipitur, Charissimi, si Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere, Deum nemo uidit unquam, Si diligimus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius est perfecta in nobis.

προορίζας ἡμᾶς εἰς ἠοσιώσαν διὰ
ἰσοῦ χριστοῦ εἰς αὐτόν.

V Titur hic Paulus significanti uerbo προορίζας ἡμᾶς, quasi certo fine & termino nos circumscribens & determinans, seu predestinans, quo significat, Ecclesiam quam Deus ante mundam conditum in filio suo elegerit, certis limitibus & suis quasi terminis circumscriptam à Deo, & quidem erga se ipsum, sicuti terra Canaan, que duodecim tribubus populo Dei colenda datur, certis terminis & finibus definitur, ut hic populus sit segregatus ab alijs populis, qui idolatricis cultibus erant dediti, ne illorum com-
mercio

EPISTOLAE AD EPHESIOS,

merito & consuetudine pollueretur, & datur præceptum populo, ut cum Deum suum colere & inuocare uelit, faciat hoc in templo Hierosolymitano, ita in eo populo omnia erant destinata & alligata ad uerbum & templum Hierosolimitanum, in quo Deus pollicitus erat, se exauditurum inuocantium se preces.

Et Israelitæ cum proficiscerentur ex Aegypto, ubi statua habebant, ita certis finibus locabant castra, ut tabernaculum de quo oracula edebantur, in medio esset, & singula tabernaculi latera, terna tribus clauderent, quo sic Deus in medio populi habitaret, & totus populus erga ipsum tabernaculum esset conuersus & destinatus, & Deum ducem & defensorem suum respiceret & agnosceret. Quo significatum est, Ecclesiam Dei ab eterno electam certis finibus & limitibus circumscriptam, quibus distincta & separata sit ab omnibus alijs populis & nationibus terre.

Sunt autem hi limites quos pijs transcendere prohibitum est, & quibus ab alijs populis distincti sunt, Verbum Dei positum & circumdatum Ecclesie Dei, uoce & scripto Prophetarum & Apostolorum, sicuti præceptum est. Ne addas, nec minuas, Nec feceris quod bonum uisum fuerit in oculis tuis, sed quod

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

EGO præcipio tibi. Et si quis aliud Euangelium Euangeli-
gelizauerit, Anathema esto, Et infra cap. 2 Superstru-
cti super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum &c.

Verbo igitur quod audit & cui obtemperat ac sacra-
mentis, Ecclesia electa, est distincta ab alijs nationibus
& populis terræ, & quidem erga Deum ipsam
eligentem & sic circumscribentem Ecclesiam, ut do-
ctrinam, uitam, cultus præceptos, cogitationes, opera
& actiones omnes ad solum Deum celebrandum reser-
ferat, Idcò ait prædestinans seu prædefiniens nos erga
se ipsum, quo ostendat Ecclesiam electam esse coetum
uisibilem segregatam certis limitibus & terminis à
reliqua hominum multitudine in hac terra, in quo
coetu uerbum Dei purè docetur, & sacramenta iuxta
Dei mandatum administrantur, qui uerbo Dei obtem-
perat, in quo Deus per filium mediatorem inuocari,
laudari & celebrari uelit, sicuti alias domus & ciuitas
Dci appellatur Ecclesia.

Reliqua igitur multitudo orbis terrarum, quæ in
hoc termino seu orizonte uerbi Dei & uero Sacra-
mentorum usu, non est circumscripta & comprehen-
sa, quæ nullam cognitionem filij mediatoris habet, non
est de numero electorum seu ciuium Dei, neq; Deum
conditorem suum celebrat, sed impietate sua contra
melia

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

melia afficit, ideo est abiecta & damnata. Ita Paulus illustri uerbo $\omega\pi\omega\sigma\iota\zeta\alpha\varsigma$, Ecclesiam ab aliarum gentium impietate & contagio, à Deo ipso segregatam, ostendere uoluit, ut sciatur ubi sit uerus coetus Electorum.

Sic & Moyses *Deut. 32* ait. Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel. Pars autem domini populus eius, Iacob suniculus hereditatis eius &c.

Porro commemoratur hic tertium beneficium quod Ecclesia à Christo accepit, cum ait, nos per Christum Iesum à Deo patre præfinitos ad hoc, ut adoptione ius filiorum Dei per ipsum consequeremur. Cum enim Christus sit naturalis filius ex essentia patris ab eterno genitus, placuit eterno patri per ipsum adoptare nos, ut simus ipsius filij adoptiui, & eius hæredes, ac cohæredes Iesu Christi naturalis filij sui. Sic & Ioan. 1. dicitur. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, Et Gala. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui erant obnoxij redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus.

Quam uero ingens beneficium est, homines de luto terre conditos, ad hanc excellentiam uocari, ut

ENARRATIO CAPITIS PRIM

per Christum adoptemur in filios Dei, Quo quid mirius & præstantius diuina bonitas miseris mortalibus donare potest? Si enim per Christum filij Dei sumus, Ergo Christus sedens ad dextram Dei patris nostri, est frater noster, & illius sumus cohæredes, omnia cœlestia & æterna bona eum Christo pater nobis communia esse uoluit.

Has diuitias bonitatis Dei per Christum nobis exhibite, nulla humana mens satis intelligere potest, Ideo & Iohannes 1, Ioan. 3. admiratione tantarum rerum sic ait. Videte qualem caritatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur. Propter hoc mundus non nouit uos, quia non nouit eum, Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit id quod futuri sumus. Scimus autem quod si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est &c.

ἔἰς αὐτόν.

CUr uero addit, erga se ipsam? Ideo ut ostendat, nos primum ad hoc eligi & uocari, ut sicuti 1. Corinth. 6. dicitur, glorificemus Deum in corpore nostro, & in spiritu nostro, que sunt Dei, ut electa Ecclesia Deum suum celebret. Deinde quia ideo elegit Ecclesiam, ut sit ei peculium de cunctis populis & in regnum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

in regnum sacerdotale, & sit gens sancta, ac ut sit templum Dei uiuentis in quo habitare uelit. Ideò dicit Ecclesiam prædefinitam, ut adoptione ius filiorum consequatur per Christum erga se ipsum.

Præterea cum inquit nos adoptari in filios per Christum, ostendit non nostra dignitate aut nostris studijs quærendum esse ius filiorum, sed accipiendum esse per Christum, per quem solum, cum ipse sit naturalis filius Dei, ius adoptionis nobis & quidem gratuita donatur, Sicuti Ioan. 1. dicitur. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, Vbi clavis uerbis docet à Christo ius filiorum Dei per fidem accipiendum esse. Testantur & sequentia uerba, Secundum beneplacitum uoluntatis eius, nos non propter nostra merita, sed quia ita benigno patri uisum & placitum est, ad hanc excellentem dignitatem euectos, ut uocemur & simus filij Dei.

Vt lauderetur gloria gratiæ ipsius.

Immensa bonitas & gratia Dei est, quod per Christum nos benedicit omni benedictione spirituali, non in corporalibus tantum sed & in spiritualibus bonis, Deinde quod eligit nos ut simus eius peculium,

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

simus filij sui hereditas & possessio. Est & illud multo omnium maximum, ipsis etiam sanctis angelis admirandum, quod diuina maiestas nos ex pulueribus terræ conditos in filios & heredes suos adoptat.

Porro hæc tanta beneficia sua non uult contemni Deus, sed in suo populo magnificari, & perpetuo celebrari, & de hac excellenti gratia ipsius erga nos uult nos gloriari, Ideò addit hic, Ut laudetur gloria gratiæ ipsius, scilicet, quam gratiam Deus humano generi per filium suum donauit, dignissimam de qua omnes gloriantur, istam excellentem, gloriosam & inenarrabilem gratiam suam uult prædicari, uehi, ornari & quàm latissime spargi Deus.

Nulla enim sacrificia Deo sunt gratiora quam sacrificia prædicationis uerbi, confessionis, inuocationis, gratiarum actionis & laudis. Ita Esai. 49. dicitur. Laudate cœli & exulta terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Et Psal. 21. Narrabo nomina tua fratribus meis, in medio Ecclesiæ Laudabunt te, Qui timetis Deum, laudate eum, Vniuersum semen Iacob glorificate eum. Et Psal. 145. Generatio & generatio laudabit opera tua, Et potentiam tuam pronuntia-

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

nunciabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt, Et uirtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantie suauitatis tuæ crastabunt, & iustitia tua exultabunt. Item Psal. 149. Cantate Domino canticum nouum, Laus eius in Ecclesia sanctorum. Ideo etiam Paulus cum hanc Epistolam, tum serè alias omnes à prædicatione beneficiorum Dei & gratiarum actione orditur, ita & nos magnificamus hanc gratiam Dei per Christum nobis donatam. Ecclesiam enim & singula membra eius decet hæc sua bona agnoscere & intelligere, quæ mundus fastidit ac contemnit.

Qua gratiosos seu acceptos nos reddidit in dilecto.

Quartum beneficium Christi in Ecclesiam collatum.

Ingens & hoc beneficium est à Deo patre per Christum Ecclesie collatum, quod cum propter peccatum & inobedientiam, iræ filij, ut infra ait, & execrabiles deo essemus, ipse nos acceptos et amabiles sibi per filium suum fecit. Hic enim est filius solus dilectus, in quo

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

in quo solo patri complicitum est, & idem nobis placatus est. Deinde qui hunc dilectum filium Dei fide amplectuntur, & credunt propter hunc se esse acceptos, illi quia antea erant abominabiles, sunt iam amabiles Deo propter hunc filium. Reliqua uero multitudo hominum quæ hunc dilectum filium Dei contemnit, est execrabilis Deo, ut maxime uideatur excellere sapientia, iustitia aut sanctitate. Dicit enim, in dilecto, non nostris meritis aut uirtutibus nos effici amabiles & acceptos.

In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.

Hoc quintum beneficium Christi est. Ostendit autem quomodo superiora omnia quæ enumerauit, nobis contigerint, per Christum nempe hoc modo, quod cum captiui essemus peccati, mortis & Sathane, Christus filius Dei, factus mediator noster, nos ex his hostibus nostris redemit, ἀπολύτρωσις enim proprie significat redemptionem captiui ex hostibus, & λύτρον precium quod pro redinendo captiuo datur. Demosth. οἶσθε γὰρ ὅτι καὶ οἱ νόμοι κελεύουσι τὸ λυσαμῆναι ἐκ τῶν πολεμίων ἐνίοι τὸν λυθέντα, ἔστω μὴ ἀποδῶ τὰ λύτρα.

EPISTOLAE AD EPHESIOS

Per sanguinem eius.

Cum ait habemus redemptionem per sanguinem ipsius, significat precio omnium maximo & preciosissimo nos ab hostibus nostris, peccato, lege, morte, Diabolo & inferno redemptos & liberatos, Ideo etiam Apostoli toties in suis concionibus & scriptis sanguinis Christi, quo redempti sumus, meminerunt, ut consideremus magnitudinem beneficii & amoris Dei patris & ipsius filij erga nos, Qui pro proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, Et priusquam nos perditos uoluit filius, maluit uitam & sanguinem pro nobis redimendis profundere, dedit seipsum mactandum hostibus, ut nos redimeret, nobis securitatem & pacem parret, Sicuti inquit Propheta Correctio super eum, ut nos haberemus pacem. 1. Pet. 1. Scitote uos non caducis rebus, uelut argento & auro fuisse redemptos & c. sed pretioso sanguine, uelut agni immaculati & incontaminati Christi & c. Et Paulus Acto. 2. Deus redemit Ecclesiam sanguine suo, & Rom. 3. Iustificamur gratis, per illius gratiam, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem, per fidem interueniente ipsius sanguine.

Sicuti enim, ut Epistola ad Heb. cap. 9. inquit, in lege

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

lege omnia sanguine purificabantur, & absque sanguinis effusione non fiebat remissio, quæ omnia fuerunt umbra futurorum, ita æterna in Dei conspectu ablutio & purificatio facta est per sanguinem Iesu Christi, qui ut Iohannes ait, emundat nos ab omnibus peccatis. Simus igitur grati Christo, qui tanto precio nos redemit.

Proponitur autem hic ingens consolatio Ecclesie. Si enim Ecclesia & omnia ipsius membra sanguine filij Dei à tristissimis hostibus suis sunt redempta, itaque nos Christi sumus, & nihil amplius iuris in nostra capita habent hostes.

Sed queritur qui sit fructus huius redemptionis per Christum factæ, id subijcit Paulus, cum ait, Remissionem peccatorum. Dicit enim effusione sanguinis Christi partem hoc nobis, ut peccata non imputentur, ut apparet quam peccatum sit res execrabilis Deo, & quam horribilis sit ira Dei aduersus peccatum, quæ non potuit placari nisi morte & sanguine filij Dei. Blasphemi igitur & contumeliosi in Christum & ipsius mortem ac sanguinem sunt, qui docent peccata nostris operibus ac duris exercitijs delenda & iram Dei placandam. Præclare igitur ad Gal. 2. S. Ambrosius, Hic, inquit, non est ingratus Christo, qui in fide eius perdurat, sciens nullius se habere beneficium

EPISTOLAE AD EPHESIOS

nescium nisi huius & ad contumeliam eius proficere, si alterum ei comparat, cuius auxilium habere non potuit. Et Bonaventura, Homo non potest pro sua offensa satisfacere, Ideo Deus dedit ei mediatorem, qui satisfaceret pro offensa, unde in SOLA FIDE peccatis Christi remittitur omnis culpa, & sine fide eius nullus iustificatur.

Secundum diuitias Gratiae ipsius, quae exuberavit in nos.

Dicat hic aliquis, Miranda redemptio est, quae facta est morte & sanguine filij Dei creatoris rerum? Certe inquam res admiratione dignissima est, sed & hoc considerandum est, ingentes esse & amplissimas diuitias & opes gratiae & bonitatis diuinae. Estq; hic obseruanda amplificatio harum diuiciarum. Dicit nos hostes Dei, nullam gratiam sed aeternam iram meritos, habere redemptionem per sanguinem filij Dei, cuius haec uis est, quod gratis propter filium nobis remittit peccata pater caelestis, quos iure abijcere & damnare poterat, hanc bonitatem uocat diuitias, & quidem non huius seculi caducas & fragiles, sed Dei, quas opes necesse est esse constantes & aeternas, & diuitias non auri aut argenti, sed gratiae, fauoris & amoris Dei, & quae per Christum magna copia & abundantia in nos sunt effusa.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

effuse. Has Paulus Rom. II. quoque admiratur cum ait,
O profunditatem diuitiarum & sapientie, & cog-
nitionis dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, &
imperuestigabiles viæ eius &c. Quid enim admirabi-
lius esse possit, quam filios iræ agentes penitentiam
gratis propter filium recipi?

In omni Sapientia & prudentia

Sapientia & Prudentia, per quam diuitie gratiæ
Dei per Christum in nos exundarunt, est ipsa
uox & prædicatio Euangelij de Christo, quæ hos the-
sauros gratiæ Dei aperit, & dissipat. Ita I. Corin. 2.
inquit, Sapientiam loquimur inter perfectos, sapien-
tiam autem non seculi huius, neque principum seculi
huius, qui abolentur, sed loquimur sapientiam Dei in
mysterio, quæ est recondita &c. Ideo sequitur.

Manifestans nobis mysterium uoluntatis suæ.

Commemorat sextum beneficium, quod Ecclesia
à Christo accepit, patefactionem nempe arcani
decreti, ante mundum conditum, facti, de redimendo
genere humano per sanguinem filij Dei. Hoc arcantum
decretum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

decretum necesse fuit reuelari, sicuti supra indicatum est, ut sciret genus humanum, quæ esset Dei conditoris rerum erga se uoluntas, & ut haberet contra terrorem peccati & iræ Dei certam consolationem & spem, ne propter peccatum existimaret se perpetuo abiectum.

Igitur filius Dei statim post lapsum, hanc arcanam uoluntatem Dei patris reuelat Adæ & Eue primis parentibus, cum ait, ipsum semen conteret caput Serpentis, ut habeant quo sese sustentent, & ne in perpetuam desperationem ruant. Postea uero ubi propter impietatem hominum, hæc patefactio arcani decreti Dei est facta obscurior, Rursus accenditur temporibus Abrahæ, & conseruatur hæc patefactio in certo populo, posteritate Abrahæ, usque ad præfinitum tempus, seu ut hic & ad Gal. 4. uocat, usque ad dispensationem plenitudinis temporum. Ibi filius Dei assumpta humana natura ipse uoluntatem patris reuelat, quam esse ostendit, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam. Postremo ubi Spiritus sanctus missus est, reuelatio huius mysterii spargitur in omnes gentes per totum terrarum orbem, & manet & manebit hæc concio usq; ad aduentum liberatoris nostri Iesu Christi.

Est igitur amplissimum beneficium, quod filius ex

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

sinu aeterni patris hoc mysterium profert, & nobis patefacit, & quod Euangelij uox hanc uoluntatem Dei patris perpetuo sonat, qua aeterna Ecclesia colligitur, quaque certi reddimur & de uoluntate Dei patris erga nos, & de salute nostra.

Hanc enim arcanam uoluntatem patris, nisi per filium esset patefacta, quis unquam explorare, & quis unquam quicquam certo de sua salute statuere potuisset? Mansisset enim perpetua dubitatio in animis, quis scit an Deus uelit exaudire, respicere, saluare te, sed quia per filium Dei certi facti sumus, hanc esse uoluntatem patris, ut qui credit in filium non pereat, sed habeat uitam aeternam, igitur in hac fide & uoluntate patris reuelata, acquiescimus & de salute nostra certissimi sumus.

Agamus igitur gratias aeterno patri, quod hanc arcanam suam uoluntatem per filium reuelatam, & hanc patefactionem scriptis Prophetarum & Apostolorum conseruatam, ad omnem posteritatem in Ecclesia uoluit, & perpetuo ad finem rerum usque conseruabit, Nam & hoc ingens donum est, perpetua conseruatio doctrinae, quae certum Prophetarum testimonium habet, Sicut inquit Paulus Rom. 3. Nunc absque lege iustitia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis & Prophetarum.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ.

IN descriptione reconciliationis & Sanctificationis, numeratur & hic effectus septimus, seu hoc beneficium, quod Christus auulsum genus humanum, à uero capite, scilicet à Deo creatore, & dissipatum & subiectum tyrannidi diaboli, rursus adiunxerit Deo, & fecerit unam Ecclesiam in caelo & in terra Angelorum & hominum copulatam per ipsum cum Deo. Atque ita auulsa humana natura retracta est in eum ordinem ad quem condita est. Hæc est summa sententia Pauli, qui uno uerbo multas res maximas significauit.

Primum de conditione totius humani generis.

Secundo de auulsione hominum à Deo, & dissipatione humani generis, & de seruitute sub diabolo.

Tertio de reductione ad uerum caput, quæ dupliciter intelligatur. Reducimur quia remissione peccatorum reconciliamur Deo. Deinde uero, quia iam Deus in nobis est efficax, accendit nouam lucem, iustitiam & uitam.

Quarto, facta hac reductione, Deus caput, Ecclesiam defendit suis mirandis factis, & ita se patefacit, ut agnoscatur & glorificetur.

Quinto, facta hac reductione, tum demum hæc tota

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

uisibilis creatura, rursus non frustra esse cepit, quia si totum genus humanum perisset, tota hac uisibilis creatura prorsus frustra condita esset, imo non seruaretur eius ordo, nisi facta esset reductio ad caput.

Primum igitur creatio consideretur, ideo condita est hominum natura, ut esset templum Dei, in quo agnosceretur & celebraretur, uerus & uerus aeternus Deus, & natura sic est ordinata, ut Deus esset caput, regeret & defenderet hominum naturam, & largiretur ei aeternam uitam & iustitiam, & ut intelligerent homines hoc caput, nec ab eo se seiuungerent, nec discederent extra suum ordinem. Haec de creatione hic considerari uult Paulus.

Deinde antihesis fiat. Postquam uero homo reliquit deum, et se seiuunxit a deo, auulsus est ab hoc capite, Deus cepit horribiliter irasci naturae inobedienti, & eam reliquit, non rexit, non largitus est ei iustitiam, & uitam perpetuam. Ideo ruit natura hominum in uaria et horribilia scelera, & in primis uarij & reuerti errores de Deo excogitati sunt. Alij ut Epicurei furentes dixerunt nihil esse deum, alij ut cultores idolorum sinxerunt deos sua audacia, Venerem, Priapum, Bacchum.

In hac

EPISTOLAE AD EPHESIOS

In hac dissipatione manifeste conspici potest, quod genus humanum non fuerit adiunctum uni capiti. Et accedit horribilis seruitus, quod diabolus miseram hominum naturam relictam sine dei gubernatione & defensione, in furores tristissimos semper impulit & impellit, incitat Cain contra fratrem, accendit flammam turpissimarum libidinum in Sodomis, irritat animos ut seditiones & iniusta bella moueant.

Horum innumerabilium malorum etiam in hac uita fons est desertio illa, quod homo non regitur à deo, & tamen accedunt postea aeternae poenae.

Si igitur uolumus emphasin uerbi ἀνακεφαλαιώσασθαι recte intelligere, haec antihesis consideranda est, & primum magnitudo calamitatum intuenda.

Ita affirmatiua erit illustrior, uidelicet reductio ad caput, in qua primum necesse est intelligi, illustrari, & amplificari remissionem peccatorum seu reconciliationem. Hanc deinde sequitur gubernatio diuina,

Postquam enim per Christum & propter eum recepti sumus, & iam rursus adiuncti uero capiti per mediatorem filium, deinde incipit Deus reddere amissae beneficia, inchoat in nobis lucem, iustitiam, & uitam aeternam, ut iam ad haerentes capiti non aberrant ab eo in inuocatione, & coeteris operibus.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Ex illa immensa dissipacione, cum alij essent Epicu-
rei, alij cultores Bacchi, alij aliorum idolorum, que
sunt innumerabilia, rursus collecta est una Ecclesia,
ad uerum caput, scilicet ad Deum per filium adiuua-
ta, & congruens apto ordine cum Ecclesia in celo
cum angelis, & uni uero Deo seruiens, imo & fru-
ens aeterna uita cum eo, & effuso in corda Spiri-
tu sancto, facta particeps nature diuine, ut scriptum
est in epistola Petri.

In hanc sententiam infra Ephe. i. inquit, Christum
esse caput Ecclesie non ociosum, sed perficiens omnia
in omnibus, id est spiritu sancto. Christus est efficax,
in Moise, in Dauide, in Elia, Eliseo, Paulo & omnibus
membris, ut in eis inchoentur, noua lux iustitie & uita
aeterna, & fiant opera Deo placentia, Euangelij
propagatio, uictoria mirande, que testificantur de
doctrina.

Quarto loco dixi de defensione, Hec illustrata
ostendit quantum bonum sit illa reductio ad uerum
caput Deum. Intueamur ergo mente omnes mirandas
defensiones & liberationes Ecclesie, factas inde usque
que ab initio, ut in arca Noe, in eductione ex Aegyp-
pto, in repressione Sennacherib, in reductione ex Babi-
lone, in uictorijs Macabeorum, in resurrectione
Christi ex morte.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Hæc testimonia præsentie Dei ostendunt, Deum uere tanquam caput regere & seruare, corpus uidelicet Ecclesiam.

Cum autem recitantur exempla operum diuinarum erga uniuersum corpus, non sciungamus nos ab hoc corpore, sed fide per Christum statuamus nos quoque membra esse huius corporis adiuncta ad hoc ipsum caput, cogites te non esse sine duce, & capite Deo, non uagari sine defensione, sed fide statuas propter Christum te uere adiunctum esse capiti.

Cum hoc modo de nobis ipsis cogitamus, ac simul totam Ecclesie gubernationem, & defensionem inuenimus, sunt hæc dicta Paulina & dulciora & perspicua.

Circumspice, quere, quæ habeas firma præsidia in hac uita.

Etiã si quis magnas opes & fauorem potentum habet, tamen opprimi ingentibus ærumnis potest. Nec humana sapientia cauere omnes lapsus possunt. Sed hoc præsidium est firmum, Adiunctum esse capiti Deo, per Christum. Sicut in Psalmo dicitur. Pater & Mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Item, Dominus protector uitæ meæ, a quo trepidabo?

Omnes autem defensiones ac liberationes illas

ENARRATIO CAPIST PRIMI

gloriosas, ut liberationem Nohe, & eductionem ex Aegypto, sciamus ideo factas esse, ut in his Deus se patet faceret, & nobis certa testimonia exhiberet de uerbo suo, ne dubitet homines aut quis Deus sit inuocandus, aut an uera sit doctrina, quam tradidit. Cuiusque confirmati his testimonijs didicimus, & quis sit Deus, & quomodo sit colendus, uera inuocatione illam celebremus & ei obediamus iuxta Euangelium, & multos ad eius agnitionem, inuitemus. Singulorum etiam liberationes, in mentibus ipsorum fidem confirmant. Sicut Psalmus inquit, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me,

De Quinto membro non opus est longa declaratione. Totum hoc uisibile opificium mundi, factum est propter hominem, ut genesis primo dicitur. Iam si totum genus humanum in eterna damnatione relictum esset, tota hæc rerum natura uisibilis, frustra condita esset, & frustra à Deo regeretur, & seruaretur. Sed nec seruata esset nec genus humanum propagatum, nisi filius dei intercessisset. Postquam igitur intercedente filio, rursus Adam & Eua recepti sunt, iterum causa fuit seruandi huius opificij mundi. Ita omnia per Christum, & propter eum seruata sunt.

Huius mirandi consilij modam, in uita eterna in ipso

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ipso conspectu Dei prope aspiciemus, nunc utcumque obscure consideramus in fide & inuocatione, in qua reconciliationem Dei, gubernationem & defensionem nostri, propter filium & omnipotentiam ac praesentiam Dei in Ecclesia discimus.

VT igitur in fine huius loci, & nos breuissimam in hoc unico uerbo ἀνακεφαλαιώσασθαι doctrinam proposita est, qua monemur, qua lege & ordine, principio res omnes sint conditae, nempe ut agnoscerent se unum caput deum conditorem suum habere, ex quo ut originem, ita & gubernationem, & defensionem & omnia bona haberent, ac huic capiti suo obedirent, id quod perpetuo celebrarent, sicuti in Sanctis Angelis hoc apparet, qui ab hoc capite non sunt auulsi.

Deinde quam horribilis & miseranda calamitas sit, quod humanum genus à capite suo, deo conditore rerum, insidijs diaboli distractum & auulsum est, quam auulsionem, secuta statim est impietas, & contemptus Dei, & miseranda dissipatio ac cecitas, ut sicuti Paulus Roma. 1. ait, mutarent gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis, hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & serpentium,

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

penitentium, hanc impietatem secuta sunt postea alia mala, ut traderet illos Deus in desideria cordis eorum in immundiciem &c. Ut sic auulsi à Deo, essent membra & uasa diaboli, quibus diabolus pro suo furore & libidine abuteretur.

Hic ne uniuersum genus humanum periret, missus est filius Dei, qui horrendam iram Dei patris, propter hanc auulsionem generis humani, excitatam, suo sanguine & morte placaret, ut per ipsum nobis placatus pater, peccata remitteret & condonaret, & sic Filius nos huic capiti rursus uniret, & coniungeret.

Insertis igitur per Christum, remittuntur primum peccata, deinde donatur noua lux, iustitia, & uita, ut audeant Deum, quem antea cum organa Satanae essent, fugiebant, caput suum inuocare, & ab eo petere & expectare defensionem, & omnia bona corporalia & caelestia.

Ita posteaquam genus humanum per reconciliationem reductum est ad caput suum, non frustra cepit esse creatura, & omnia in suum rursus sunt redacta ordinem & legem. Sic & ad Coloss. cap. 1. ait, placuit patri per eum reconciliare cuncta erga se, pacem faciens per sanguinem crucis eius per eundem, siue que in terra sunt, siue que in caelis.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Magna uero reductis iterum sub hoc caput po-
 sita est consolatio. Ita enim per Christum uniti & ad-
 iuncti capiti nostro sumus, ut simus membra ipsius
 corporis, imo ut unum simus cum Deo Patre & Do-
 mino nostro Iesu Christo, Sicuti Christus Ioan. 17.
 Orat pro corpore suo Ecclesia, dicens. Pater Sancte,
 serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint
 unum sicut & nos, Et Paulo infra, Non pro eis rogo
 tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per uerbum
 eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu pater in me,
 & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Sicuti &
 2. Petr. 1. dicitur, Preciosa nobis, & maxima pro-
 missa donata sunt, ut per hac efficeremini, diuinae con-
 sortes naturæ.

Nam cum baptisati sumus, & uerbo reconciliatio-
 nis credimus, ita capiti Deo copulamur, ut cum eo
 unum simus, ut peccata, infirmitates & lapsus nostros
 deleat, & nobis non imputet, imo propter filium pro
 iustis & sanctis acceptet, & nobis iustitiam & im-
 mortalitatem, in quam principio ab ipso conditi su-
 mus, donet, & omnia aeterna bona nobis cum sanctis
 Angelis communia sint, & ut una sit societas, & he-
 reditas Angelorum, & nostra, cum unius corporis
 membra simus.

Quare ut maximè in hac uita nos terreat
 peccata

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

peccata & mors, & sunt infinite miserie & calamitates, quibus premimur, tamen certi sumus propter filium Dei, eternam uitam & iustitiam, & omnia celestia bona, á deo capite nostro nobis donata, & iam fide & spe, illa bona nos tenere, & possidere, neque aliud expectandum, quàm ut manifestatio filiorum Dei fiat. iam enim filij Dei sumus, sed hæc gloria nostra adhuc tecta & abscondita est, propter carnem peccato contaminatã, quæ ubi fuerit abolita, & filius Dei in illustri & glorioso aduentu suo, ad colligendam Ecclesiam, eternam possessionem, & hereditatem suam, uenerit, ibi fiet reuelatio filiorum, ac tunc quidem filius tradet regnum Deo Patri, ut sit Deus omnia in omnibus.

Per quem etiam hæreditatem adepti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium uoluntatis suæ.

E Numeratur & octauus effectus reconciliationis, seu octauum beneficium Christi, quod est ipsa eterne uite hæreditas, per Christum nobis parata, & propter ipsum donata Est uero hic ordo obseruandus.

Primum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Primum enim facta est redemptio, & reconciliatio per sanguinem filij Dei, quæ à Deo patre impetrat nobis remissionem, & condonationem peccatorum. Deinde per uocem Euangelij ea reconciliatio per Christum facta nobis annunciatur, & peccatorum remissio offertur. Credentes igitur Euangelio copulantur rursus capiti suo Deo, accepta remissione peccatorum, per fidem propter Christum, & fiunt filij ac heredes dei, ac ita per Christum fit restitutio, ut quæ antea corrupta & amissa erant, rursus restituantur & donentur.

Fide igitur primum ad acceptandam hereditatem opus est, qua primum regeneremur, & constituamur filij & heredes Dei, Deinde ultro sequitur & donatur hereditas promissa, sicuti & Paulus Romanos. 4. ait, Ex fide datur hereditas, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio, & ideo promittitur hereditas, ut fide acceptetur. Ita & hic ait. Per quem etiam hereditatem adepti sumus, ut significet hereditatem æternæ uitæ promitti & donari gratis propter Christum, non propter nostram dignitatem aut meritam, & credentes in Christum iam hac fide consecutos hereditatem. Errant igitur omnes qui lege & operibus docent hereditatem parandam, sicuti tales copiose Rom. 4. & Gala. 3. à Paulo refelluntur.

Prædestinati

ENARRATIO CAPITIS PRIMI
Prædestinati secundum propositum
eius, qui operatur omnia secundum
consilium uoluntatis suæ.

Subinde repetitur uox prædestinationis. ut signifi-
ficet causam reconciliationis, acceptationis seu
hereditatis, non esse nostram dignitatem, sed miseria-
cordiam Dei, qui etiam indignos gratis propter fili-
um elegerit, & heredes sibi constituerit. Ideo addit,
qui operatur omnia secundum consilium uoluntatis
suæ, q. d. non secundum nostra merita, aut secundum
consilia nostræ uoluntatis. Humana enim ratio iudica-
t hæreditatem non debere dari, nisi dignis &
qui meruerint, sed aliud est, & longe diuersum consi-
lium uoluntatis diuinæ, qui etiam indignos, ueluti la-
tronem in cruce, blasphemum & persecutorem Pau-
lum, agentes poenitentiam propter filium recipit. Quia
re non est uolentis aut currentis sed misericordis Dei.

Vt simus nos in laudem gloriæ illius.

Hæc uox iam aliquoties repetita est, & mox
iterum repetetur. Ideo autem toties hanc repe-
tit, quod cum maxima pars generis humani furenter
contemnat Deum conditorem suum, & per flagitia
& scelera probro afficiat, Vt Ecclesia ac singula eius
membra.

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

membra, meminerint, se ad hoc eligi uocari, & sanctificari, ut Deum conditorem & caput suum honorificis actionibus ornare & celebrare studeant. Sic & ad Titum. 2. precipitur, seruos hortare, ut doctrinam seruatoris nostri Dei ornent in omnibus.

Qui priores sperauimus in Christo
in quo & uos &c.

Posteaquam ordine recensuit beneficia Christi, ostendit iam ad quos ea pertineant. Et primum quidem ait ea precipue pertinere ad gentem Iudaeam. Nam illis erat promissus, & ex illis natus erat Christus, horum erant patres, testamenta, promissiones, Lex.

Itaque hi primum sperarunt in Messiam ipsis promissum, & ex ipsis nasciturum, ideo etiam per Prophetas predictum fuit, fore ut uox Euangelij primum in illo populo sonaret, ut Esa. 2. & Michea 4. dicitur. De Sion exibat Lex, & uerbum Domini de Ierusalem, & ex illo populo prodiret primum, & spargeretur in gentes, & totum orbem terrarum, sicuti Paulus Acto. 13. inquit, uobis oportebat primum loqui sermonem Dei.

Deinde ostendit ista beneficia Christi pertinere
stians

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

etiam ad gentes, sicuti hic & ibidem in Actis dicitur. Sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis eterna uita, ecce conuertimur ad gentes, sic enim nobis præcepit Dominus Esai. nempe 49. posui te in lucem gentium, ut sis salus usq; ad extremum terre, & additur ibidem, audientes gentes, gauisæ sunt, & glorificabant sermonem Domini.

Audientes uerbum ueritatis Euangelion salutis uestræ.

PAulus hic duobus insignibus epithetis doctrinam Euangelij ornauit, quæ præcipue sunt obseruanda, quod & uerbum ueritatis, seu uerax uerbum, & Euangelium salutis, seu salutiferum sine saluificum uocat.

Primum enim cum ingentia & eterna bona promittat Euangelium, præcipue mens humana, de hoc argitur, sint ne uera, certa & firma, quæ in hoc uerbo promittuntur, & quam diu hæc dubitatio hæret in animis, nulla potest certa & constans existere fides. Neesse enim est fidem nisi promissione, & statuta re hoc uerbum quod audit, esse uocem ipsius Dei, qui ut ad Titum ait sit & uerax qui cum sit ueritas ipsa non mentiatur, neq; sibi credentem fallere uelit, &

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

prius ruiturum cœlum & perituram terram, quam
pereat iota aut minimus apex de promissionibus diuini-
nis.

Fidelis enim & uerax Deus, qui quod promisit
certo prestat, ut testantur omnes promissiones imple-
te quæ ab initio mundi factæ sunt. Ita fides certo &
secure nititur & confidere diuinis promissionibus po-
test, quia sunt uerba ueracia seu ueritatis, ut hic uo-
cat. Ita Iacob iussus à Deo egredi ex Mesopotamia à
socero suo Laban, cum periclitatur propter Esau fra-
trem, sola promissione, ut uerbo ueritatis sese susten-
tat & confirmat, certus Deum quod promississet præ-
stiturum. Gene: 32.

Ita cum inopia aut fames te premit, age pœnitenti-
am, ac noli desperare, etiamsi non uideas unde te
tuosque pascas, sed complectere promissionem, & illam,
non inopiam tuam intuere, cum inquit Christus, Non
in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod pro-
cedit de ore Dei, Aut illam, Querite primum regnum
Dei, Deinde cetera omnia adicientur uobis, sis pius
& urge diligenter uocationem tuam, simul inuoca
Deum, ut subueniat inopiæ tuæ, aut te ex periculis li-
beret, & quanquam differat ad exercendam fidem
tuam, auxilium suum aliquando Deus, tamen noli fran-
gi animo, sed sustine & confirma te uerbo Dei ad

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

perge in inuocatione, tum certo experire, nihil esse certius & ueracius diuinis promissionibus.

Eodem modo cum propter peccata expanseſſam iram Dei, & uidetur Deus irasce tibi, & te uelle abiectionem, ac cor & conscientia tua idem tibi proponunt, neque aliter sentire, uidere aut intelligere potes, quam te perpetuo damnatum a Deo. Hic in talibus duris agonibus, conscientia non ex suo sensu aut intellectu, sed ex uerbo Dei, & propter uerbum, quod ipsa ueritas Dei est, statuere & certo credere debet, etiam contra sensum proprii cordis, Deum agentibus poenitentiam, & confugientibus per filium ad misericordiam suam, esse non crudelem aut iratam, sed benignum patrem. Ut tum dicas etiamsi cor aliud mihi dicat, tamen mihi præceptum est, ut diuinæ promissioni, non meo sensui credam.

Quare etsi cor meum dicat, te, mi Deus, non respicere, non curare, sed abiecisse me, tamen non meo cordi sed uerbo ueritatis, promissioni tue credam, que sonat, uiuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut magis conuertatur & uiuat. Item conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Item, Lauamini, mundus estote, auferte malum & c. Si fuerint peccata uestra ut cinis, quasi nix dealbabuntur & c.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Has promissiones necesse est esse ueras, certas firmas, & non frustra à ueraci Deo, atque ideo quidem factas, ut suæ erga nos uoluntatis & iudicium & piagnus certum sint, Quare fide his inuitentes, uincimus non modo peccatum, mundū, Satanam, sed & Deum ipsum, & gratum est Deo se suo umci gladio, uerbo ueritatis, quod ideo dedit, ut eo armati, etiam ipsum uincamus, ut testantur historiæ Abraam, Isaac, Iacob, Ioseph, Moise & aliorum innumerabilium.

Hoc modo uocat hic Euangelium uerbum ueritatis, quo omnes tuto considerare possint, cum à ueraci Deo sit profectum.

Diabolus nero (ut Christus Ioannis 8. ait) mendax est, atque eius rei pater, cum ueritas non sit in eo. Sola igitur Ecclesia, quæ amplectitur uerbum ueritatis, ut 1. Tim. 3. dicitur, Est columna & firmamentum ueritatis, cum sit edificata super uerbo ueraci Prophetarum, & Apostolorum, & si qui cultus Dei, extra hoc uerbum, instituantur aut mandantur, aut si quid huic uerbo, contrarium docetur, necesse est, esse uerbum mendax.

Non igitur illa congregatio esse potest Ecclesia Dei, quæ etsi titulum Ecclesiæ & successionem ordinariæ iactet, tamen impios & idolatricos cultus, Prophætionem missarum, prohibitionem coniugij & ciborū, inuocatio-

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

inuocationem mortuorum Sanctorum, contra Euan-
gelium afferit & defendit.

Alterum epitheton est, quod uocat uerbum salu-
tis. Ita enim à Deo statutum est, ut nemo saluetur, nisi
qui ex hoc coetu sit, qui Euangelij Doctrinam fide am-
plectitur. Est enim Euangelium potentia Dei, ad salua-
tem omni credenti. Gratissima igitur Euangelij doctri-
na omnibus esse debet, cum credentibus afferat salua-
tem, & nemo non saluari cupiat. Monemur autem si-
mul ne in ulla doctrina, aut re alia salutem, quam in
uoce Euangelij queramus.

Per quem etiam credentes obsignati
estis Spiritu Sancto promissionis.

Postremus effectus reconciliationis est donum
Spiritus sancti, quod credentibus Euangelio, do-
natur Spiritus sanctus. Ostendit autem hic propter
duas causas precipue dari Spiritum Sanctum credenti-
bus. Primum, ut sit sigillum credentibus, Deinde pia-
gnus hereditatis nostrae, quae infra postea explicabis
erunt.

Hic enim initio dicendum est, quomodo & quibus
datur Spiritus sanctus, Fuerunt enim & erunt semper
per omnibus seculis, sicuti & hoc nostro tempore
plurimi

EPISTOLAE AD EPHESIOS

plurimi sunt, qui iactant se Spiritum sanctum habere atque ideo noua dogmata spargunt. Contemnunt scripta Prophetarum & Apostolorum, & conantur hominibus persuadere, se habere nouas illuminationes, & reuelationes diuinitus per spiritum sanctum.

Fingunt ita dari Spiritum sanctum, querendum esse secessum & locum solitarium, ab hominum congressu segregatum, ac docent sedentem ita debere primum diuina contemplari, ex qua contemplatione uenturum ad altiorem gradum, ut postea res diuinas admiretur, & omnia humana contemnat. Tum demum sequi ut ita contemplabundus & admirabundus adfletur & impleatur Spiritu sancto.

Hec sunt illorum deliria & prestigia Satanae, quibus miseris hominibus multis imponit, per quos postea multos perniciosos errores serit, seditiones & bella mouet, ut est homicida Satan.

Talia prophetarum & Enthusiastarum & adstantorum monstra, multa haec aetas nostra, non sine graui motu & incommodo, tum religionis uerae tum reipublice uidit & experta est, quorum plurimi, cum sibi tum multis alijs exitium ac interitum accersierunt.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Quo modo & quibus detur Spiritus sanctus.

Sciendum igitur est Spiritum sanctum non dari alia ratione aut modo quam per ministerium uerbi, neque ullis nisi ijs qui credunt Euangelio seu uerbo, uel de uenturo uel iam exhibito liberatore Christo.

Certum enim est Spiritum sanctum non dari nisi filiis Dei, hoc est, credentibus. Fides enim constituit nos filios Dei, iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Oportet enim uocem Dei in Euangelio sonantis audiri, & eam fide accipi, quo audito et fide apprehenso, datur Spiritus sanctus, qui nos regenerat, & nouam lucem, uitam & iustitiam accendit & donat.

Nam regulariter sine uerbo & fide, non datur Spiritus sanctus cuiquam sicuti hic inquit, posteaquam credidistis, obsignati estis Spiritu sancto. q. d. antea non habuistis Spiritum sanctum, et nisi credidissetis Euangelio, non essetis obsignati Spiritu sancto. Et ad Gal. 3. inquit. Promissio Spiritus accipitur fide, & ibidem quarto. Quoniam estis filij, emisit Deus Spiritum filij sui in corda uestra clamantem abba pater, q. d. nisi filij essetis facti fide, non fuisset missus Spiritus sanctus. Et Acto. 10. scribitur. Adbuc loquente Petro uerba haec cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant uerbum.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Nulla modo igitur audiendi sunt qui contempto uerbo alijs modis adfirmant dari Spiritum sanctum. Sed necesse est si Spiritu sancto obsignari uelis, ut audias uerbum & ei credas. Ita breuiter ostendimus quomodo & quibus detur Spiritus sanctus. Restat igitur ut indicemus cur detur, & postremo quomodo amittatur.

Cur detur Spiritus Sanctus.

Quanquam multae causae sint, cur Spiritus sanctus detur credentibus, tamen Paulus hoc loco duas praecipuas enumerat, quas postea considerabimus. Primum obtemperandum est mandato Dei Patris praecipientis nobis, ut filium in uoce Euangelij audiamus & ei obtemperemus, quod cum sit, datur simul Spiritus sanctus credentibus, & primum quidem ad hoc ut in animis nostris nouam lucem & notitiam Dei accendat, ut corda assentiantur Euangelio & incipiant nosse Deum, & credere quod per filium mediatorem sit placatus pater, quod propter filium sint remissa peccata et recepti simus a patre, quae notitia Dei, non est in ijs, qui Euangelium Dei non audiuerunt, itaque ut maxime sint uiri uel apud Iudeos, uel Ethnicos praestantes uirtute, tamen quia Deum & eius uoluntatem per filium, & per Euangelium de filio Dei non norunt, ideo talibus non datur Spiritus sanctus, & carent iusticia. Scripturae

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

enim est Esa. 53. Notitia sui seruus meus iustus multos iustificabit, ipse enim portat peccata ipsorum.

Deinde ubi hæc lux & notitia est in animis accensa, simul & hæc operatur Spiritus sanctus, ut corda incipiant uere timere & diligere Deum, & ei tum in uitæ actionibus, tum in cruce & afflictionibus obtemperare, & ut audeant, eum per mediatorem & pontificem suum accedere & inuocare. Hæc atq; alia plura sunt officia Spiritus sancti, quæ in impijs uere existere non possunt, Sed Paulus sicuti dixi hoc locodus potissimum ostendit causas, cur detur credentibus Euangelio Spiritus sanctus, nempe ut sit primum sigillum, deinde etiam pignus hereditatis nostræ, quo significat credentes esse certos, de sua in Euangelio promissa, hereditate & salute.

Primum uero cum ait audientes uerbum ueritatis, & Euangelio salutis credentes obsignari Spiritu sancto, significat, nos esse epistolam, & quidem scriptam à Christo ipso, non atramento neque in membranis aut charta, Sed uoce Euangelij in cordibus nostris, ut uox Euangelij nihil aliud sit, quam scriptum, epistola seu diploma æterni patris, scriptum in cordibus nostris, quo testatur se propter filium nos recipere & saluare.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

saluare, sicuti quoque Hierc. 31. dicitur. Post dies illos
 dicit Dominus dabo legem meam in uisceribus eo-
 rum, & in corde eorum scribam eam.

Ambabus igitur manibus & grato pectore hoc
 diploma Dei uocem Euangelij accipiamus, quo tan-
 quam certissimo scripto, quod obliterari & deleri non
 possit, & quod scriptum & exaratum est manu Chri-
 sti filij Dei, & digito Spiritus sancti in cordibus no-
 stris, testatur Deus se hereditatem aeternae uitae dona-
 re gratis propter filium, & diligenter hoc diploma
 adseruamus, quo Deus ita se erga nos obligauit, & no-
 uum foedus & pactum sempiternum nobiscum inijt,
 Sic 2. ad corin. 3. ait, Epistola nostra uos estis inscripta
 in cordibus nostris, quae intelligitur & legitur ab om-
 nibus hominibus, dum declaratis, quod estis Epistola
 Christi, subministrata, à nobis inscripta, non atramen-
 to sed Spiritu Dei uiuentis, non in tabulis lapideis, sed
 in tabulis cordis carneis.

Quia uero magna imbecillitas humani cordis est,
 & humanae mentes subinde de Dei erga se uoluntate,
 dubitare solent, ideo benignus Deus, ne de sua erga se
 misericordia homines dubitent, addit suo chirographo
 aut diplomati, per Christum scripto, sigillum quod
 appendit, & imprimit cordibus, cum nempe ut ad

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Gala. 4. ait, mittit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba pater, qui Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quod simus filij Dei.

Quaquam enim in renatis maneat magna infermitas, & hæreat adhuc peccatum, cum quo pijs perpetuo luctandum est, tamen quia credis in Christum, & non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulas, Spiritus Christi, quo ipse te obsignavit, reddit testimonium tuo cordi & Spiritui te esse filium & heredem Dei, & illas reliquias peccati propter Christum tibi non imputari, & de hac tua salute certo sine ulla dubitatione statuere potes.

Habes enim incertum testimonium salutis tue literas & sigillum, à Christo ipso tibi data, diploma tu est scriptum & preparatum à Christo per uocem Euangelij & fidem, Deinde Spiritus sanctus qui testatur te propter filium Dei, in gratiam à patre receptum & factum heredem Dei, est sigillum, quod Christus cancellarius diuinae maiestatis suo diplomati appendit, & cordi impressit, Sic inter præcipua opera & officia Spiritus sancti, & hoc est, quod credentes certos de promissa in Euangelio hereditate, facit, Vocat autem Spiritum promissionis ideo quod Deus promiserit se eum daturum credentibus, ut Ioel. 2. Acto. 2. & Esa. 44.
effundatur

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam &c.

Qui est pignus hæreditatis uestræ.

Altera causa cur præcipue Spiritus Sanctus datur credentibus est, ut sit pignus hæreditatis nostræ. Nam per fidem factis filijs Dei, donatur hæreditas, sicut Roma s. ait, Quod si filij, igitur & hæredes, Hæredes quidam Dei, cohæredes autem Christi.

Quia uero nostra hæreditas adhuc tecta & abscondita est, & eam in hac uita tantum in fide & spe tenemus, neque præstantiam eius hæreditatis capere & intelligere possumus, ideo ne de ea dubitemus, sed certissimus bonus pater noster Deus, non solum de hac hæreditate literas sua manu scriptas, uocem Euangelij, quæ illam hæreditatem credentibus in filium suum promittit, in testimonium certæ fidei nobis filijs hæredibus suis dat, sed & appenso proprio sigillo Spiritus sancto in cordibus nostris obsignat, qui mentes piorum certas facit, quod sint filij & hæredes Dei, Imo tanta bonitas erga nos patris est, ut Spiritum Sanctum tanquam certissimum & præciosissimum pignus promissæ hæreditatis nobis donet, qui in cordibus credentium, interim in hac uita habitat, dum, ubi aduenerit

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

aduenerit Christus, hereditatem promissam adeamus,
& re ipsa adsequamur, quam in hac uita tantum ^{filii}
& spe possidemus.

Ita bonus Deus satis nos certos reddidit, de hereditate nostra, primum per literas uocem Euangelij, quam cordibus inscribit, deinde per sigillum Spiritus sancti, quem credentibus imprimit, & postremo dato pignore Spiritu sancto, qui habitat in cordibus nostris, & testatur nos esse filios, & heredes Dei. Nam Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei, item qui Spiritum Christi habet, hic est eius Rom. 8.

Quæ sint signa præsentia Spiritus sancti in nobis.

Sed dicat hic aliquis, magnum est habere literas à Christo ipso filio Dei scriptas, & eas quidem ob signatas, habere item Spiritum sanctum, certum pignus illius pulcherrimæ & amplissimæ hereditatis Dei, sed quis me certum faciet, me habere has literas, hoc sigillum, & pignus hoc? Nam cum etiam in peccatis adhuc hæreat peccatum, maneat dubitatio, cum quibus perpetuo eis luctandū est, ideo non facile est certo statuere te esse filium Dei, te habere Spiritum sanctum.

Sciendum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Sciendum igitur est duplici modo dari Spiritum sanctum, primum uisibili specie sicuti apparuit in Christo, in specie columbae, & datus est Apostolis in specie ignis, deinde etiam credentibus uerbo Apostolorum in primitiua Ecclesia, ita dabatur Spiritus sanctus, ut in ijs sese exerceret & ostenderet. Varijs enim linguis loquebantur, habebant dona curationum, edebant ingentia miracula &c.

Hac uisibili specie, ut mitteretur Spiritus sanctus initio opus fuit ad confirmandam & stabilendam doctrinam Euangelij, & ad inuitandos homines, ut eam doctrinam amplecterentur, per quam Spiritus sanctus dabatur, Sicuti 1. Corin. 14. dicit, linguae signi uicè sunt, non his qui credunt, sed incredulis, postea confirmata doctrina, desijt hoc modo uisibili nempe specie, mitti Spiritus sanctus.

Altera ratio est qua Spiritus sanctus mittitur, cum, ut hic ait, credentes uerbo, obsignantur Spiritu sancto, qui ueram agnitionem, timorem, & amorem Dei in piorum animis exuscitat. Hæc missio non est uisibilis, sed tamen sentiunt piorum corda, sese accendi ac inflammarî noua luce notitiæ & amoris Dei, sentiunt se regenerari & renouari, Vt qui antea Deum uel contemnebant, uel fugiebant, nunc amare & ei obedire.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI.

obedire, & qui antea peccatis delectabantur nunc peccata odisse incipiant.

Sunt igitur certa indicia habitantis in nobis Spiritus sancti, primum regeneratio & renouatio, cum audito & credito uerbo, noua lux, depulsa caligine, ignorantia, contemptu, et odio Dei, in mentibus piorum oritur, et succedunt motus congruentes legi Dei, ita ut quanquam caro reluctetur Spiritui, tamen cogatur obedire, & cum in alijs sit peccatum regnans, in pijs sit seruiens.

Vt Abel quia audit uerbum Dei & agnoscit suum & parentum suorum lapsum & peccata, & credit propter promissum semen sibi ea non imputari, & se gratum & acceptum Deo, ideo instituit & regit uitam & mores iuxta mandatum Dei, uidet fratrem erga sese accensum, & suae uitae nullo suo merito insidiari, hunc studet quibus potest officijs placare, & lenire, & amanter adiungere sibi, non parat contra arma aut dolos, sed habet in conspectu semper praecipuum Dei, non occides, & ita regitur Spiritu sancto, & quanquam interdum sentiat quoque, flammam odij erga fratrem insidiatorem, tamen eas, quantum potest, ut obediat Deo, extinguit, se cohibet & reprimat uirtute Spiritus sancti, cuius motibus obtemperat.]

E contra

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Et contra Cain quia non audit neque Deum neque parentes precipientes & monentes, ne fratrem innocentem opprimat, & ne patiatur Dominari sibi furorrem semel aduersus fratrem conceptum, sed ut eum coherceat. Hanc concionem quia furenter contemnit Cain, ideo non regitur Spiritu sancto, sed fertur cæco impetu contra fratrem ac innocentem occidit.

Sunt preterea plurima alia quoque signa Spiritus sancti habitantis in nobis, ut est iudicium de rebus spiritualibus, cognitio & interpretatio cœlestis doctrine, Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus, & Spiritualis dyjudicat omnia 1. Cor. 2. Confessio deinde & studium propagandæ & conscrvandæ cœlestis doctrine, patientia & obedientia in afflictionibus, Inuocatio & gratiarum actio, Diligenter facere & urgere opera uocationis &c. Hæc omnia & alia plurima sunt Indicia Spiritus sancti. Et qui sunt fructus Spiritus, & quæ carnis opera, enumerat Paulus Gala. 5.

Cum igitur sentis ex uerbo apprehenso, noua luce agnitionis, timoris, & amoris Dei te accendi, & te delectari uerbo & mandato Dei, & odisse peccatum, certo statuas, te obsignatum Spiritu sancto, & eum te pignus hereditatis in corde tuo habere, &
te esse

ENARRATIO CAPITIS PRIMĪ

te esse habitaculum Spiritus sancti, & Dei uiuentis. Videmus enim, qui contemptus Dei, qui fador contra Deum, sit in impijs. Et quanquam in quibusdam quodamque similes uirtutes quales sunt in pijs, esse uideantur, ut est cernere in Hypocritis & Phariseis, tamen quia fide & notitia Dei carent, qua sola purificantur corda, tales non possunt esse habitacula Spiritus sancti. Promissio enim Spiritus, fide accipitur & non datur nisi credentibus, in filium Dei ut supra ostensum est.

Doctrina contra dubitationem.

Cacterum perniciosus error Sophistarum est, qui docent semper dubitandum esse, de Dei erga nos uoluntate & gratia, etiamsi maxime pie & sancte uiuas, quem errorem ex sententia illa Ecclesiaste nono male intellecta hauserunt. Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, quae sententia non de Dei, sed de hominum erga nos iudicio & uoluntate loquitur, iustos & sapientes, & simul eorum seruos & subditos esse in manu Dei, Neque tamen quaequam certo scire posse, utrum quibus cum uiuendum est, nos ament uel oderint.

Vere autem diabolica doctrina, & Sacris literis maxime contraria est, docere dubitandum esse as
simus

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

simus in gratia, filij & haeredes Dei, & habitacula
Spiritus sancti,

Primum enim necesse est si ita docendum sit, irri-
tas & uanas esse omnes promissiones Dei, quibus
Deus & se & suam uoluntatem erga nos patefecit,
ut cum iureiurando affirmat hanc esse perpetuam
& immutabilem uoluntatem suam, quod nolit mor-
tem impij, sed ut magis conuertatur & uiuat. Item
cum Christus ait, hanc esse uoluntatem patris, ut om-
nis qui credit in filium non pereat, sed habeat uitam
eternam, An non impium scelus est uocare in dubium
tam certas & firmas promissiones, quasi Deus tam sit
fallax & inconstans, ut cum aliqua promittat, deinde
praestare nolit, hoc est, Deum facere mendacem, quo
quid magis horrendum excogitari potest? Sed ita sta-
tuendum est, Deum cum sit ipsa ueritas, in suis pro-
missionibus esse ueracissimum, neque quenquam falli
aut decipi posse, qui illis confidat.

Neque enim hic nostra indignitas & immundicia,
sed sola promissio intuenda, & secundum eam iudi-
candum & certissime statuendum est, ut cum sic pro-
mittit. Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur
& uiuat. Hic opus est ut non de tua mundicia uel
immundicia, sed solum de conuersione tua cogites,
hoc est,

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

hoc est, ut agas poenitentiam, agnoscas infirmitatem
 & lapsus tuos et eos deploras. Deinde ut credas Deum
 sicuti se tibi in promissione sua patefecit, & in illa, se
 erga te obligauit, nolle ut conuersus pereas, sed ut ui-
 uas. Blasphemi igitur in Deū sunt quotquot docent de
 bitandum esse de Dei erga nos uoluntate, cum eam in
 promissionibus nobis patefecerit.

Deinde & hoc necesse est, non frustra filium Dei
 missum in hanc acerbissimam mortem, sed ideo hoc factum
 etiam, ut ad Gala. 3 & 4. Paulus inquit, ut eos qui legi
 erant obnoxij, redimeret ut adoptione ius filiorum
 acciperemus, Item Christus ideo pro nobis factus est
 maledictum, ut nos a maledicto legis redimeret. Si igitur
 certo mihi statuendum non est, me esse sub gratia,
 me esse filium & heredem Dei, & coheredem Iesu
 Christi, frustra igitur Christus missus, passus, mortuus
 & resuscitatus est, & sublata & inania erunt omnia
 beneficia Christi qui ideo uenit, ut certi redderemur,
 iuxta promissiones Dei de ipso traditas patribus, &
 iuxta Prophetarum uaticinia, per ipsum peccata dele-
 ta & donatam nobis iustitiam & uitam, ut Ro. 4. dicitur,
 & excitatus est propter iustificationem nostri.

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Non igitur Christiani sed diabolici omnes existimandi sunt, qui docent dubitandum esse de gratia Dei. Christiani enim sunt & ideo appellantur, qui certo propter Christum filium Dei statuunt sese receptos à patre se exaudiri, respici, defendi & seruari.

Postremo necesse & hoc est, non frustra à Deo ipso ministerium uerbi institutum, sed esse aliquam eius uim & efficaciam, sicuti Paulus concionatur, Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Certum enim est non ideo Ecclesiæ traditum & commissum ministerium, ut in perpetua dubitatione de Dei erga nos uoluntate maneamus. Ea enim dubitatio naturaliter nobis congenita & maxima pars corruptionis nostræ, & peccati originalis est. Ideo non opus est docere, ut dubitemus de Dei erga nos uoluntate, cum hæc ipsi ex corruptione nature nimium faciamus, sed ideo Deus instituit Ministerium, ut sit contra hos morbos originis certissimum remedium.

Videt Deus eos qui agnoscunt peccata & infirmitatem suam, aut dubitare de ipsius erga se uoluntate, aut ruere in horrendum contemptum sui, aut desperationem. Hoc ne fiat, ideo per uocem Euangelij uocat

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

homines ad poenitentiam & agnitionem peccatorum
& deinde certo propter Filium promittit, & simul
donat remissionem peccatorum, dat praeterea in eius
rei certissimum pignus Sacramenta & Spiritum sanctum,
ut & uoce Euangelij tanquam literis, deinde
Sacramentis & Spiritu sancto obfirmati, confirma-
mur & certissimi reddamur, de iustitia & salute nos-
tra.

Erunt enim & Doctrina Euangelij inanis sonus,
& Sacramenta plane inania spectacula, sine ullo fru-
ctu, si nihil certi ex illis nobis statuendum sit. Et con-
tra hos assertores dubitationis imprimis clara & cer-
ta sententia Pauli obseruanda est. Ro. 8. Si quis Spiritum
Christi non habet hic non est eius, ipse Spiritus
dat testimonium Spiritui nostro quod simus filij Dei.
Restat ut dicatur, quomodo amittatur Spiritus sanctus.

Quomodo amittatur Spiritus sanctus.

Magna & praecleara res est, esse obfirmatum
Spiritum sancto, Habere Spiritum sanctum cer-
tum pignus hereditatis nostrae, Ideo modis omnibus
opera danda est, ut tantum pignus adseruemus &
custodiamus.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

eustodiamus, & ne per securitatem carnalem amittamus.

Porro sicuti ostendimus non alia ratione dari Spiritum sanctum quam si audiamus uocem Euangelij, & huic obediamus, hoc est, si agnoscentes corruptionem & peccata nostra agamus poenitentiam & credamus nos propter mediatorem filium Dei receptos, ita & contrario modo amittitur Spiritus sanctus, cum nempe impulsus & uictus à Satana & carne nostra contra, conscientiam ruimus in peccata ac contemnimus Deum, uerbum & mandata eius.

Duplicia esse peccata.

ATque hic quidem sciendum est duplicia esse peccata, uenialia & mortalia, peccata uenialia sunt corruptio naturæ remanens etiam in renatis, cæcigo nempe in mente, quod quanquam per uerbum & Spiritum sanctum noua lux agnitionis timoris & amoris Dei in mentibus piorum est accensa, tamen cæcitas in hac uita tanta non est, quanta esse debebat. Incidunt p̄ys etiam sæpe dubitationes de Deo, sæpe cogitant se non respici, non curari, non exaudiri, ut ostendunt quærele plurimæ in Psalmis & scriptis Prophetarum. Deinde in uoluntate manet concupiscentia &

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

*Inclinatio ad peccandum, oriuntur sepe in animis
flamme libidinum, uindictæ, odij, & incendiâ uario-
rum scelerum, quæ ignita Satanae tela tamen Sancti,
uirtute & auxilio Spiritus sancti habitantis in ipsi,
scuto fidei (ut infra capite 6. dicitur) extinguunt.*

Sentit Ioseph ut adolescens cum ab heræ ad adulterium inuitatur, se inflammari, sed has flammæ aditus Spiritu sancto extinguit, & hoc modo Spiritum sanctum retinet. Sentit Dauid se conuicijs et contumelijs Semei commoueri, sed hos motus reprimit, non laxat frena cupiditati uindictæ, sed se cohibet, & obsecrat Deo, sustinet patienter præsentis ærumnæ.

Præterea multa sunt ignorantie & omissionis non affectate peccata, Multa facit non facienda, multa negligit & omittit facienda in scijs & ignorans Dauid in uocatione sua. Sicuti omnium, etiam Sanctissimorum multiplicia sunt peccata & errores, quos etiam ignorantes & imprudentes, sepe in sua uocatione committunt.

Hæ inclinationes & flammæ ac motus contra legem Dei in impijs sunt uere peccata mortalia, ut quanquam Socrates, Aristides, Xenocrates & ipsi iniiciant frena libidini, iracundiæ, & regant mores suos,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

suos, tamen ipsa interna immundicia & concupiscen-
tia, etiam cohibita, est in ipsis peccatum condemnans
seu mortale, sunt enim motus contra legem Dei, sicuti
testatur præceptum. Non concupisces. Et Rom. 7. Vi-
deo aliam legem in membris meis rebellantem legi
mentis mee. Ac Christus Matth. 5 inquit Quicumq;
aspexerit uxorem alterius, ad concupiscendam eam,
iam adulterium cum ea commisit in corde suo.

In pijs uero talia peccata non sunt mortalia, sed
uenialia, hoc est, sunt peccata condonata, remissa,
recta, non damnantia seruitutia ut Paulus uocat non
dominantia. Quia enim sunt baptizati, & credunt
in Christum, & non secundum carnem sed secun-
dum Spiritum ambulant, & agnoscunt hanc imbecilli-
tatem suam esse peccatum, & pro hac orant, sicuti
Sanctis præcipitur, Pro hac orabit ad te omnis San-
ctus, & iam amplius non sunt sub lege condemnante,
sed sub gratia saluante & iustificante, Ideo hæc pecca-
ta pijs sunt uenialia, & condonata propter filium
Dei, cui per baptismum & fidem insiti sunt iuxta
illud Rom. 8. Nulla condemnatio his qui insiti sunt
Christo Iesu. Nam talia peccata piorum sunt tan-
quam morbus quidam congenitus, quem cum

ENARRATIO CAPITIS PRIM

ita corrupti inuiri ferre cogantur, tamen quibus possunt remedijs lenire, arcere, & sanare, non eum fouere student.

Hunc morbum in Sanctis suis, quia persona fide reconciliata placet Deo, propter Filium, sicut maritus uxoris morbum, tolerat & fert Deus, non eis imputat, Itaque tales propter hoc malum originis, propter hos morbos, quos inuiri ferunt, & quibus liberari prorsus in hac uita si fieri posset, cuprent, non amittunt Spiritum sanctum.

Dolet enim uehementer pijs ita grauius sese corruptos, & illis malis originis sese oppressos. Et quibus his, conscientia non polluitur sed piorum corda propter haec mala anguntur, quod cogantur haec pati & ferre, Sicut propter haec querulans exclamat Paulus, Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Ideo tales retinent Spiritum sanctum, sicuti prolixa illa & grauisima querela ipsius Pauli de sese. Rom. 7. satis clare ostendit. Vbi tantus Apostolus, tot donis Spiritus sancti ornatus tamen conqueritur, se non reperire in carne sua bonum, sed adesse sibi istud ingens malum originis, cum quo ei perpetuo bellum gerendum sit. Ita dimicantes contra hoc malum, ut maxime infirmi sint, quia tamen bonam

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

bonam & impollutam conscientiam retinent, manent
habitacula Spiritus sancti, Filij & heredes Dei.

In hac enim uita nulla erit perfectio, sed semper
manebit etiam in omnibus sanctis imbecillitas & cor=
ruptio; Non enim in nobis sed in Christo Iesu, ut ad
Colloss. ait, sumus consumati. De hoc malo originis et
Ioannes in sua canonica conqueritur, cum ait, si dix=
rimus peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, &
ueritas in nobis non est. Tota Ecclesia orat cotidie,
dimitte nobis debita nostra.

Atque hoc quidem malum sicuti Augustinus in=
quit per baptismum non ita tollitur, ut non sit, sed ut
non imputetur. Neque enim Deus prorsus hunc mor=
bum in hac uita uult tollere, ut hoc modo suos exer=
ceat, retineat in agnitione sui, in timore, in inuocatio=
ne, & in perpetuo certamine, in perpetua conuersio=
ne, ut agnoscentes has suas ingentes infirmitates, hu=
milientur coram Deo.

Mortalia uero peccata dicuntur cum scientes
& uolentes contempto Deo, contra legem
& mandata Dei facimus, quibus polluitur conscien=
tia, amittitur fides & Spiritus sanctus.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Certum enim est, quanquam magna sit humana natura infirmitas, tamen requiri bonam conscientiam ne scientes contra Deum peccemus, Sicut 1. Timo. 1. precipitur. Milita honestam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, & 2. Corin. 3. Hæc est gloria nostra testimonium conscientie nostrae &c. Qui enim scientes & uolentes contempto Deo legem uiolant, illorum conscientias necesse est sauciari pollui & contaminari.

Deinde amittitur quoque fides & Spiritus sanctus, Qui enim sunt sine poenitentia, & ruunt in peccata, aut perseuerant in peccatis, in illis non possunt esse fides & Spiritus sanctus. Quicumq; enim Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei Rom 8. Qui uero peccatum facit ex diabolo est. 1. Ioan. 3. Fidem enim præcedit agnitio peccati, & dolor ac terror de commissis peccatis, postea audita uoce Euangelij, quod Deus propter filium mediatorem, uelit remittere peccata, concipimus fidem, hoc est, acquiescimus in misericordia Dei propter filium promissa, & in donata remissione peccatorum, ac simul donatur quoque sic crementibus Spiritus sanctus, qui odium peccati, & nouam uitam, novos motus in nobis exuscitat, ut non carni sed Spiritui ducenti & regenti nos obtemperemus.

Manifesta

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Manifesta autem sunt opera carnis (ut Ga. 5. dicitur) que sunt adulteriū, scortatio etc. Et qui talia agunt, regni Dei heredes non erunt: contra fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, lenitas &c. Et 1. Cor. 6. Ne erretis, neque scortatores, neque adulteri &c. Possidebunt regnum Dei, Et infra cap. 5. Omnis scortator aut immundus &c. non habet hereditatem in regno Christi & Dei, Et Psalm. 16. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam &c.

Extant autem certa & clara exempla in sacris literis summorum uirorum, qui lapsibus contra conscientiam, Spiritum sanctum, quo antea donati erant, amiserunt.

Mirabilis historia Samsonis est, in libro iudicum. Apparet angelus sterili uxori Manue, & prædicit fore fecundam, et parituram filium, qui ab oppressione Philistinorum uicinorū hostium, sit liberaturus Israel, quem ubi peperit, & ubi creuit puer, benedixit ei (ut historia refert) Dominus, cœpitq; spiritus Domini esse cum eo, Excitatus igitur & incensus Spiritu sancto ad defendendū populum & Ecclesiam Dei, primum specimen roboris edit, cum Leonem obuium discerpit, & deinde unus uir incrimis, sola mandibula

sini

ENARRATIO CAPITIS PRIM!

asini mille uiros occidit, neq; ullis uinculis uinciri potest, & ingentem terrorem hostibus inijcit. Et dum fidem & Spiritum sanctum retinet, dum in timore Domini uiuit, & bonam conscientiam retinet Samson, non solum has tantas strages in hostes, sed & oratione sua miracula edit, ut ex cadauere Leonis a se discerpti, & prostrati, apes & mella oriantur, & cum ex pugna fessus & lassus, siti fere periret, impetrat oratione ut ex molari dente maxilla asini largus fons scaturiat, quo sitim restinguat.

His tantis successibus clatus Samson, cum suae industriae, suis uiribus haec gesta esse, non Deo duce & subministrante uires, statuit, & se admirari incipit, securus iam & contemptor Dei foedis libidinibus sese contaminat. Amittit igitur, cum ita conscientiam & corpus polluit, fidem & Spiritum sanctum, a quo antea corroborabatur, & qui ab hostibus inuictus erat, uictus meretricis blanditijs, & libidine in hostium manus ac potestatem uenit. Nam cum irruerent super ipsum Philistini, & ille sicuti antea, putaret se suo robore eos repressurum, ac diceret, Egrediar sicut antea feci, et me excutiam, Additur in textu, nesciens quod recessisset ab eo Dominus.

Postea uero ubi erutis oculis, in miserrima seruitute captus,

EPISTOLAE AD EPHESIOS

captus, agnoscit lapsus, & peccata sua & agit poenitentiam, rursus datur illi Spiritus sanctus, ac redit pristinum robur. Ita & David adulter & homicida amittit fidem & Spiritum Sanctum, sed acta poenitentia iterum orans, & gemens sibi dari quem amiserat, impetrat Spiritum sanctum, ideo orat cor mundum crea in me, Deus q. d. iam cor & conscientia mea polluta est, per haec atrocissima scelera, quare rogo, ut uerbo, fide & Spiritu sancto tuo, illud adeo contaminatum repurges, & Spiritum rectum, hoc est, firmum, certum non dubitantem de tua misericordia, innoua in uisceribus meis.

Qui enim pollutam mentem habent, non possunt certo statuere se habere propiciam Deum, sed fugiunt Deum, non audent eum inuocare. Ne proicias me a facie tua, sicuti proiecisti Saulem, Et ut uisus sum proiectus a te, posteaquam per uocem Nathan Prophetæ peccatum meum patefactum est. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me, sicuti ablatum est mihi ubi hisce sceleribus me pollui.

Ita & Saul, cum initio obediens Deo ingentes in regno successus haberet & regeretur Spiritu sancto, posteaquam contempsit mandatum Dei, de delendis Amalechitis, qui antea gubernabatur Spiritu sancto,

missus

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

inuaditur à malo spiritu, sicuti i. Reg. 16. scribitur. Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam à Domino. Obtemperemus igitur Deo, & studeamus sigillum, & tantum pignus hereditatis nostræ Spiritum sanctum retinere, ne lapsibus contra conscientiam eum excutiamus.

HAËTENUS enumerauit Paulus in exordio epistolæ beneficia, quæ Ecclesia à Christo habet. Estq; hæc enumeratio pulcherrima & copiosissima descriptio & definitio Ecclesiæ. Est enim Ecclesia cætus seu congregatio collecta uoce Euangelij, quæ non corporalibus (Nam in hac uita subiecta est cruci, iuxta illud, omnes qui in Christo uiuere uolent, persecutionem patientur, Et in mundo pressuram habebitis) sed spiritualibus cælestibus & æternis bonis, remissione peccatorum, iustitia, uita æterna benedicatur, ornatur & cumulatur, quæ liberatur à peccato morte, à potentia et furore diaboli, à maledicto Legis & inferno, Deinde quæ electa est à Deo, ad æternæ uitæ societatem ante mundum conditum, ut sit Sancta et irreprehensibilis, coram ipso per charitatem.

Præterea quæ ad hoc à Deo prædestinata est, ut per Christum eius membra adoptentur in filios Dei
& quæ

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

& que dilecta, grata, & accepta Deo est propter
 Iesum Christum filium Dei, per quem Christum, &
 redemptionem, hoc est, remissionem peccatorum ha-
 bet, per sanguinem eius, ac cui soli Deus mysterium de
 humano genere, per filium reconciliando, promulgan-
 tione Euangelij patefecit. Qua uoce Euangelij sonan-
 te in hoc electo coetu, ea membra, que per peccatum
 a suo capite auulsa & distracta, & tyrannidi diaboli
 subiecta erant, rursus copulantur & adiunguntur ean-
 dē Deo creatori, ut una sit Ecclesia in caelo &
 terra, Angelorum & hominum per Christum copu-
 lata cum Deo, que & praedestinata & uocata est ad
 aeternae uitae hereditatem, ac in eius rei certissimum
 signum, ne de promissa hereditate dubitet, obfirmata
 est Spiritu sancto, quem & pignoris loco interim ha-
 bet donec reuelentur, ea que in hac uita in fide & spe
 tenet.

Reliqua autem pars humani generis, que non est in
 hoc coetu, qui amplectitur sinceram Doctrinam Euan-
 gelij, & Sacramenta iuxta institutionem Christi ha-
 bet, etsi sit benedicta benedictionibus corporalibus, etsi
 floreat opibus, potentia & honoribus, et fruatur hu-
 ius uitae uoluptatibus, tamen manet sub peccato, lege,
 morte, & tyrannide diaboli. Neque ad aeternam
 uitam

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

uitæ societatem electa, neque sancta & irreprehensibilis, sed ut uarijs sceleribus polluta, & execrabilis Deo, & quæ auulsa à Deo, nolit copulari creatori carni suo, sed eum furenter contemnat, neque uocata ad æternæ uitæ hereditatem, neque Spiritu sancto, sed diabolo à quo ducitur & regitur, iam à Deo ad mortem & cruciatum inferni æternos damnata est, sic in Exordio Epistolæ Paulus pulcherrimè Ecclesiam designauit, & eam à reliqua parte humani generis segregauit. Sequitur iam narratio.

NARRATIO.

Posteaquam Paulus in Exordio Epistolæ beneficia Christi erga Ecclesiam recensuit, & per hæc hunc cœtum amplectentem Euangelium à cæteris hominibus sciunxit, ut tantarum rerum memorations, omnes ad doctrinam Euangelij amplectendam inuiteret, subiicit iam narrationem, & à genere quasi ad speciem descendit, ostendens huius æternæ Ecclesiæ Dei, quæ tanta beneficia Christi à Deo habet, & Ephesios esse partem ac membra, & illa omnia beneficia Christi, ad eos quoque pertinere, & illis cum omnibus sanctis esse communia atque hoc ideo quod credant in Christum Iesum, & exerceant charitatem in sanctos, pro quibus duabus uirtutibus, cum eas in Ecclesia Ephesiorum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Ephesiorum florere uideat, dicit se gratias agere; & orare ut Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriae, det eis Spiritum sapientiae & reuelationis, ut ipsum agnoscant &c.

Hic uero obseruandum est, quod sit officium Episcopi seu pastoris, nempe, ut cum ipse doctrinam Euangelij, quantum pro suo studio potuit plantarit ac rigauerit, & iam uidet Deum hisce laboribus dedisse incrementum, uidet homines & in fide & in Charitate, ac ceteris uirtutibus crescere, ut Deo gratias agat, quod labor ipsius non fuerit per Satanam factus irritus, sed felicem successum ex Deo habuerit. Sic enim non modo Paulus serè omnes suas epistolas, sed & Petrus à gratiarum actione orditur. Quid enim pio Episcopo dulcius contingere potest, quum suum laborem, cui tot tanta & tam uaria impedimenta Satanam obijcere conatur uidet non esse inanem, & per se organon Dei, homines ex peccato & morte, ad agnitionem Christi ad iustitiam & uitam perduci?

Sunt igitur duo praestantissima dona, quae credentibus uerbo Euangelij à Deo donantur, & pro quibus perpetuae gratiae patri domini nostri Iesu Christi sunt agenda. Primum est fides qua ex promissionibus & uerbo, quo se Deus patefecit cognoscimus Deum.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Nosse autem Deum, ut sapientie 15. dicitur, consonantia
 ta iusticia est, & scire iustitiam & uirtutem Dei, que
 est Euangelium potentia Dei ad salutem omni creden-
 ti, radix est immortalitatis. Qui enim Deum ex uoce
 Euangelij, annunciare gratis propter Christum remissa-
 tionem peccatorum, norunt, illi possunt esse certi de
 sua iusticia salute, & uita, sicuti inquit Christus Iou. 17.
 Hec est uita eterna, ut cognoscant te solum uerum
 Deum, & quem misisti, Iesum Christum, Et Esa. 53.
 Notitia eius iustificabit multos. Que igitur sit uis fidei
 apparet quod ex fide oritur cognitio Dei, cognitio
 autem Dei parit iustitiam, iustitia uero adfert dona-
 tionem Spiritus sancti & uitae eterne.

Porro haec fides & cognitio Dei, non est litera,
 non mortua & inanis opinio, in animo languida,
 dubitans an nos curet, respiciat, aut exaudiat Deus,
 non historica aliqua cognitio, sed est Spiritus, uita
 seu uiuifica persuasio, seu fiducia, qua mens ex promi-
 sionibus Dei & Spiritu sancto excitata & accensa,
 certo statuit sibi ut sonat uox Euangelij, gratis pro-
 pter Christum & remissa peccata, & donatam ius-
 titiam & uitam eternam, & audet iam magna
 cum libertate & fiducia per hunc pontificem &
 mediatorem

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

mediatorem suum, quem fide apprehendit, accedere ad thronum gratiæ, ut Epistola ad Heb. inquit, petere & expectare à Deo defensionem & auxilium, sicuti infra capite 3. dicitur. Per Christum habemus audaciam & aditum cum fiducia, quæ est per fidem illius.

Hæc, ut maxime terreat peccatum, mors, sentiat mundus, & grassetur diabolus, tamen manet semper certa, constans firma etiam in mediâ morte, ut est cernere in sanctis Prophetis & martyribus, qui in confessione & constantia fidei, omnes cruciatus, omnia mala & mortem ipsam uicerunt. Hanc igitur fidem qui habent, iam sunt filij et hæredes Dei, & in fide ac spe possident uitam æternam.

Hanc fidem sequitur statim & altera uirtus charitatis, & primum quidem erga Deum, illa enim cognitio amoris Dei erga me, si uera, si Spiritus, non languida opinio, non litera mortua est, cum uideo Deum ita amasse mundum, ut filium suum unigenitum dederit &c. Accendit rursus igniculos quosdam in animis nostris, ut non patiamur nos ullis malis à Deo auelli. Et ut patienter omnia

○ ●

mala

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

mala sustineamus, Sicuti Rom. 8. ait, Quis nos separabit à charitate Dei & c.

Deinde exuscitat & Studium ac benivolentiam erga quosuis homines tam amicos quam hostes, ut cum uenit in mentem, me hostem & contemptorem Dei, tamen morte filij sui redemptum, atque hoc ideo factum ut cogitem sicuti 1. Ioan. 4. precipitur, Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere, hic statim incipit de flagrare odium erga hostem conceptum, & succedit amor uoluntas & studium uiuandì omnes.

Hæc tanta dona cum in Ecclesijs suis Apostoli florere uideant, ideo tanto studio agunt gratias Deo, quod hæc maxima beneficia sint, quæ homini diuinitus contingere possunt. Ex fide enim oritur notitia Dei, quæ iustitiam salutem & uitam adfert. Et deinde fidem sequitur charitas, quæ pro coelestibus bonis per Christum gratuito acceptis, est testificatio gratitudinis, tum erga Deum tum erga homines.

Præterea testatur Paulus se sedulo orare pro Ephesijs, neque enim docendi cura solum incumbit Episcopo, sed ut etiam oret Ecclesias proficere in sana doctrina & in ea conseruari, ne in sectas & hereses prolabantur, & ut prouehantur in studio bene agendi.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Sunt enim duo precipua officia sacerdotis, ut scilicet deat propagare Doctrinam coelestem, & eam sinceram & puram conseruare, deinde sacrificia offerre.

Doctrinae propagatio & conseruatio mandata sacerdotibus in lege, manet perpetuo in Ecclesia, nec est mutata, Sed ratio sacrificiorum in nouo Testamento mutata est. Nam cum Sacrificia ueteris Testamenti fuerint typus & umbra illius unici & aeterni sacerdotis, & pontificis nostri Iesu Christi, qui seipsum pro genere humano redimendo obtulit, non offerimus corporales hostias, sed Spirituales acceptabiles Deo per Iesum Christum, & uitulos labiorum nostrorum, hoc est propagationem & confessionem doctrinae, laudes & inuocationes Dei, & gratiarum actiones & corda humiliata agnoscencia peccata sua, quae sacrificia Deo sunt gratissima, iuxta illud, Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, Item imola Deo sacrificium laudis, & inuoca me in die tribulationis & eruam te, & honorificabis me. Item. Sacrificium laudis honorificabit me,

Vt Deus Domini nostri
Iesu Christi.

Hic fortassis obijciat aliquis, si Christus habet Deum ut hic affirmat Paulus, Et Christus ipso

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Ioannis 20. dicit, Ascendo ad patrem meum & patrem
 uestrum, & Deum meum, & Deum uestrum. Ergo
 necesse est ipsum non uerum & eternum Deum, sed
 patre minorem & minus potentem esse, sicuti & Arianus
 contendebat, Christum appellari Deum, non proprie-
 tate nature, sed largitate gratie sicuti & prin-
 cipes, Deus Dei appellatione dignatur, cum inquit,
 Ego dixi uos dii estis, & filij excelsi omnes, & adde-
 bat Arius, Christum non fuisse ab eterno, dicebat
 enim, Fuit quando non fuit. Est enim creatura & fa-
 ctura filius, neque similis est patri secundum substantiam.
 Hæc horribilis blasphemia in filium Dei est.

Sciendum igitur (sicuti supra initio Epistolæ ostensa
 sum est) Christum natura Deum esse ab eterno, ex
 essentia patris genitum, ὁμοὸς ὅσιον consubstantialem &
 æqualem patri secundum diuinitatem, minorem pa-
 tre secundum humanitatem & officium, quo missus
 in carnem ut ad redimendum genus humanum, huma-
 nam naturam adsumeret uerius Deus, ex uero Deo.

Testimonia clara & certa supra ostensa sunt,
 Michæ 5. Egressus eius ab initio, a diebus eternitatis,
 Et Esa. 9. Vocatur Deus fortis, Pater futuri seculi,
 Et Psal. 2. Filius meus es tu ego hodie genui te, Item
 Ioan.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Ioan. I. In principio erat uerbum, Et Ro. 9. Paulus, & Thomas Ioan. 20. claris uerbis appellant Christum Deum.

Quare cum Paulus hoc loco uocat patrem, Deum Christi non intelligatur patrem tantum uocari Deum Christi secundum humanam naturam, sed omnium maxime secundum diuinam. Non enim à filio pater, sed ex patre aeterno Deo, aeternus Deus filius genitus est.

Qui igitur diuinam naturam filius à Patre habet, igitur uocat patrem Deum suum, sed ita ut pater non sit alius Deus, quam est Deus filius, Vnus enim est Deus, pater filius & Spiritus Sanctus, & una omnium trium personarum essentia, ita ut quanquam essentia diuina non absolute sed relatiue intelligendo, ut est essentia in patre generans, gignat essentiam diuinam filium, tamen una & eadem est essentia patris, quæ est filij, ita & unus Deus gignens & genitus, sed tamen alia persona est gignentis & alia geniti, & alia Spiritus Sancti procedentis ex utroque, una tamen omnium trium personarum communis est essentia absolute, sed relatiue intellecta pro ut est essentia in patre generans filium, est distincta.

ENARRATIO CAPITIS PRIM

Quaquam enim una communis sit trium personarum essentia, tamen filius & Spiritus sanctus non generant sed solum essentia in patre generat. Necessse enim est talia intelligi subiecta, quibus conuenire possunt prædicata, Generare autem prædicatum non conuenit filio neque Spiritui sancto, Ergo necesse est intelligi de ea essentia, quæ relative patri conuenit. Et tamen inde non sequitur, diuersas esse essentias. In diuinis enim utraque propositio est uera, Essentia est una & tamen distincta. Nec est aliud exemplum simile.

Generare igitur uox statim respicit essentiam patris relative, ita tamen ut non sit alia essentia patris, quam filij aut Spiritus sancti.

Pater itaque intuendo & intelligendo sese, gignit ab eterno de sua essentia Deum filium imaginem suam, in quem transfundit essentiam suam diuinam, ita ut una quidem sit patris & filij essentia, sed tamen ut alia filij, ut geniti, hypostasis & persona sit, quam patris.

Hæc quaquam in hac uita perfecte intelligi non possint, tamen simpliciter ita credenda sunt, sicuti se Deus in uerbo suo patefecit.

Christus igitur filius Dei æternus Deus, uocat patrem ideo Deum suum, quod diuinam essentiam ex
Deo

EPISTOLAE AD EPHESIOS

Deo patre ab eterno per generationem habet, & ita filius non est Deus patris, quia pater non habet diuinam essentiam à filio, sed filius à patre, Et tamen unus & idem eternus Deus est, pater filius & Spiritus sanctus.

Pater Glorix.

Pater gloriæ non eo nomine tantum appellatur, quod infinita eius sit potestas & maiestas, superans cœlum & terram, & omnem uim humani ingenij, sed propter Christum, qui ut est sapientia, ita gloria patris uocatur, ita enim epistola ad Hebræos de filio loquitur, Qui est splendor gloriæ, & expressa imago eius. In Christo Iesu enim pater excellentem gloriam suam ostendit mundo, dum mundum sibi per filium reconciliatum uoluit, ut omnis qui credit in filium, non pereat sed habeat uitam eternam. Hæc tanta gloria est, ut ipsis Sanctis Angelis etiam sit admiranda, in hac gloria patris reconciliantis nos sibi per Christum, & nos stamus & gloriamur.

Det uobis Spiritum sapientiæ & reuelationis ut ipsum cognoscatis.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Hic ostendit causas cur pro Ephesiis oret. Est autem hæc causa, quod orat Ephesius amplectentibus doctrinam Euangelij, donari Spiritum Sanctum, Duo uero epitheta tribuit hic Spiritui Sancto, Vocat primum Spiritum Sapientiæ, deinde & reuelationis. Cum uero precatur eis primum donari Spiritum sapientiæ significat, ut maxime in mundo sint uiri præstantes sapientiæ, eruditione & uirtute, & summis dotibus ingenij præditi, tamen illam sapientiam humanam in rebus diuinis & Spiritualibus esse meram stultitiam, sicuti uidemus summa ingenia Græcorum & Romanorum, & tamen summam & portentosam & horribilem stultitiam & cæcitate eorum in cultu Deorum fuisse, ut finxerunt Deos, Priapum, Subigum, Premam, Sterculium, Cloacinum & nescio quæ alia horribilia portenta Deorum.

Tanta est corruptio & infirmitas & cæcitas humanæ naturæ, etiam in summis ingenijs, tum cum de uero cultu Dei, & de uera agnitione Dei agendum est.

Vbi igitur doctrina Euangelij non sonat, ubi hic Spiritus sapientiæ non est, ibi mera stultitia & cæcitas est, quanta quanta sit humanæ mentis acies. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Dei, uocat autem $\Psi\upsilon\chi\lambda\omicron\sigma$ eum qui omnibus naturæ
& ingenij dotibus ornatus est.

Graviter autem magni uiri accipiunt suam sapi-
entiam appellari stultitiam, Ideo doctrinam Euangelij
oderunt & persequuntur & eam iudicant summam
stultitiam. Sed tales scire oportebat, ingens donum
Dei esse, ornatum esse magna prudentia, sed illud do-
num dari diuinitus ideo, ut etiam in hac uita corporali
tantum sit usus, in moribus regendis, in gubernanda
familia & republica, in Deo uero cognoscendo &
colendo esse opus alia præstantiore non humana sed
diuina sapientia, quam Deus ipse uoce et scripto, Pro-
phetarum & Apostolorum orbi terrarum patefecerit, & donarit.

Hæc sapientia non nascitur nobiscum, neque paratur
nostro studio aut industria, sed ut hic testatur
Apostolus datur à Deo per Spiritum sanctum. Hæc
sapientia est uox Euangelij de filio Dei qui est sapien-
tia Dei ut 1. Corin. 1. dicitur, Predicamus Christum
crucifixum, iudæis quidem offendiculum, Græcis uero
stultitiam, sed iisdem uocatis iudæis, pariter & Græ-
cis, Christum Dei potentiam & sapientiam.

Audienda igitur doctrina Euangelij est, per quam
solam

ENARRATIO CAPITIS PRIM

Solam donatur Spiritus sapientiae ad cognoscendam Deum. Humana enim ratio & sapientia caeca est, necque Deum sine Evangelio cognoscere potest.

Alterum Epitheton Spiritus sancti est, quod uocat Spiritum reuelationis, est enim mysterium absconditum à seculis, quod nulla mens humana inquirere capere & intelligere potest, Deum morte unigeniti filij sui placatum, uelle gratis propter filium credentes in ipsum saluos facere.

Hoc mysterium & haec uoluntas Dei, nisi per filium esset patefacta, perpetuo mansisset tecta & abscondita, Sicut Ioan. 1. dicitur. Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu patris ipse enarrauit.

Fit autem reuelatio, per Spiritum dupliciter. Principio cum audis Euangelium, uides argui immunditiam & peccata tua, & illa quae antea in corde tuo tecta latebant, reteguntur uoce Euangelij, ita ut totus tibi displiceas, & incipias iam exhorrescere iram Dei, quam antea caecus non uidebas, nec sentiebas, atque haec est reuelatio peccati & irae Dei.

Deinde cum audis & credis Iesum Christum in hunc mundum à Deo patre missum, non ut iudicet & perdat,

EPISTOLAE AD EPHESIOS

perdat, sed ut sanet & seruet peccatores, ibi in Christo Iesu per Spiritum sanctum fit altera reuelatio, retegitur splendor, hoc est, ineffabilis bonitas & misericordia Dei, qui omnium ad ipsum per filium consurgentium uult misereri.

Hanc reuelationem per Spiritum sanctum factam sequitur & transformatio, ut exuto ueteri homine, induamus nouum, ut accendatur in nobis fides, & uera notitia & inuocatio Dei, cum timore & amore Dei, & odio peccati & haec dona cotidie in nobis magis ac magis lucere & crescere incipiunt, Sic 2. Corin. 3. dicitur, Nos omnes resecta facie gloriam Domini in speculo representantes, ad eandem imaginem transformamur, a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu.

Illuminatos oculos mentis uestrae.

Precatur dari Ephesijs oculos non corporis, sed mentis illuminatos, ergo necesse est in rebus diuinis & Spiritualibus, rationem esse caecam, & lumine naturae esse tenebras, non posse agnosci, non colui non inuocari Deum, nisi corda per Spiritum sanctum luce Euangelij sint accensa & illuminata sicut quae inquit Christus Ioan. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. **Trahit autem**

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

autem per uerbum & Spiritum sanctum. Errant igitur liberi arbitrij assertores, & qui rationi humane, tanquam pulcherrimæ luci tantum tribuunt, ut per se possit agnoscere, colere Deum, & ei obedire, Si enim ea uis esset humanæ naturæ, non essent hæc petenda à Deo.

Docet igitur hoc loco Paulus, si uelis cognoscere Deum, ne afferas humanam rationem & sapientiam, quam ostendit in rebus diuinis & Spiritualibus stultam & cœcā, sed opus esse ut audias Euangelium, in quo se & uoluntatem suam Deus patefecit, & simul petas à patre donari tibi Spiritum sanctum, qui te nebras, à natura nobis congenitas depellat, & nouam lucem agnitionis, timoris & amoris Dei in mente tua accendat.

Qui enim Euangelio non credunt, & per spiritum sanctum non sunt illuminati, quanquam uideantur sancti, & fulgere præ alijs singulari sapientia & notitia Dei, tamen ea in rebus diuinis nihil nisi cœcitas & caligo est, atque eius rei illustre exemplum Paulus ipse est, qui Phariseus accensus, ut sibi ipsi uidebatur, ingenti zelo Dei, existimat se eminere sanctitate & innocentia uite, & se habere præ alijs omnibus præcipuè illustrem notitiam Dei, & singularem sapien-

tiam

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

tiam in regenda uita, & colendo Deo, christianos amplectentes Euangelium de filio Dei nuper crucifixo, persequitur ut cæcos, amentes, furiosos, ac blasphe- mos. Cogitat enim cum lex diuinitus data sit, ideo datam, ut ex eo petatur iustitia & uita, Quare aliam, extra legem, iustitiam docentes persequitur, ac cæco furore ac impetu ruit ac fertur aduersus stimulum, dum Christum & suos euertere conatur.

Hic Paulus non habet oculos mentis illuminatos, sed fascinosos dum ex lege iustitiam querit, sicuti & Ro. 10. testatur cum ait, Testimonium illis perhibeo quod studium Dei habent, sed non secundum scientiam, Nam ignorantes Dei iustitiam, & propriam iustitiam querentes constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subditi, Nam perfectio legis Christus, ad iustificatio- nem omni credenti. Squamæ igitur quibus oculi mentis Pauli caligant, & obtenebratæ sunt, sunt illæ opinio- nes de iustitia ex operibus legis, ita qui se præ alijs ac- tiosissimum uidere putat Paulus, prorsus cæcus & amens est, in qua cæcitate omnes omnium temporum hypo- critæ uiuunt, qui non cognito Christo ex operibus ius- titiam querunt.

Porro

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Porro ubi Christo uocanti ad poenitentiam obtemperat & credit, & per manuum impositionem ab Anania factam Spiritu sancto impletur, ibi & squamae de oculis corporis decidunt, & simul oculi mentis illuminantur, ut quem antea persequabatur, incipiat iam seruatorem agnoscere & celebrare eius nomen per orbem terrarum, & quae antea lucra, caecitadina & reiectamenta arbitretur, & querat iustitiam, non quae est ex lege, sed eam quae per fidem est Christi, ita resecta per legem nostra facie & immundicie primum, Deinde agnitione mediatoris Christi, illuminantur oculi mentis nostrae, ut intueamur gloriam Domini, quae in Christo, qui est splendor gloriae patris, lucet, dum gratis propter ipsum remittit peccata & donat uitam & iustitiam. Christus enim est lumen accensum ad reuelationem gentium & gloriam plebis Israel. Hac luce qui carent sedent in tenebris & in umbra mortis &c.

Vt sciatis quae sit spes ad quam
ille uocauit.

Ostendit Paulus se orare ut Deus Domini nostri Iesu Christi det Ephesiis Spiritum sanctum, qui nouum lumen in ipsorum mentibus accendat, Querat igitur

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

igitur aliquis quæ sint causæ propter quas Spiritus sanctus illam lucem in animis piorum accendit? Enumeratur vero hic ordine tres. Prima est ut ex illa luce intellegamus ad quam spem Deus Pater per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum nos uocarit. Neque enim homines carnales, qui non sunt membra Ecclesie, quorum oculi per Spiritum sanctum non sunt illuminati, hanc spem in quam uera Ecclesia uocata est, intelligere possunt.

Est autem hæc spes cum pii credunt se habere remissionem peccatorum propter Christum, & se per ipsum esse filios & heredes Dei, quanquam sit hæc uita plena miserijs & ærumnis, quanquam multi sint morsus serpentis Diaboli, & miserrima uita piorum esse uideatur, tamen sustentant se spe futurae liberationis, ac reuelationis filiorum Dei, & uitæ æternæ donandæ propter Christum, stant in certa fiducia, expectatione & spe, hæc mala præsentia, non fore perpetua, sed uenturum liberatorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui sicuti uoce Euangelij nos uocat, & nobis promittit, ita ex huius uitæ ærumnis in æternam uitam nos sit traducturus, sicuti & ad Tit. 2. ait Expectantes beatam illam spem & apparitionem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Hanc spem Paulus Spiritu sancto illuminatus uidentis, illa se confirmat & sustentat, & exilia, pericula, & omnia mala uincit. At Nero coeca mente hanc spem eternæ uitæ ignorans, credit nullam aliam quam presentem uitam restare, Ideo huius uitæ uoluptatibus immergitur, & ubi aduersa uidet, desperat, ac sibi ipsi mortem consciscit. Ita soli pij a Spiritu sancto illuminati spem suam, ad quam per Christum uoce Euangelij uocantur, uident.

Et quam opulenta gloria hæreditatis illius in Sanctos.

HAec est secunda causa lucis per Spiritum sanctum, in credentium cordibus accensa, ut uiderent & agnoscere possint pij, quæ sint diuitiæ gloriæ hæreditatis ipsius erga sanctos. In quibus enim hæc lux non est accensa magnificiunt huius uitæ fluxas & fragiles opes, quærent huius uitæ præsidia & uoluptates, quas tamen simul cum hac uita deponere & relinquere coguntur, & tamen has solas sectantur & admirantur.

At pij etiam si diuitiæ adfluant, tamen illis non offeruntur, non abutuntur, non fidunt, sed querunt & admirantur alias maiores & nunquam interiturat
opes,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

opes, partas nobis per Christum, ineffabilem bonitatem Dei, quod in hac uita gratis propter Christum remittit peccata, donat Spiritum sanctum credentibus, & quod Sanctis promittit etiam diuitias gloriosas hereditatis suae in altera uita, quae tantae erunt, ut nemo ne scintillam quidem gloriae huius aeternae hereditatis qua caelestis pater sanctos suos cumulaturus & ornaturus est, nisi Spiritu sancto illuminatus sit, uidere possit.

Imo sancti ipsi qui hic tantum primitias Spiritus habent, non satis immensam & ineffabilem opulentiam gloriae hereditatis suae uidere & intelligere possunt, sicuti 1. Corin. 2. dicitur. Oculus non uidit, & auris non audiuit, et in cor hominis non ascenderunt, quae preparauit Deus diligentibus se. Ideo addit, nobis autem reuelauit per Spiritum sanctum suum, hoc est, uident pii per Spiritum sanctum illuminati, aliquid de his tantis & aeternis bonis, de quibus impij nihil prorsus intelligunt, sed tamen in hac corruptione naturae totum apprehendere non possunt, ut ipse 1. Cor. 13. ait Cernimus autem per speculum in enigmate, & cognoscimus ex parte.

Quis enim excellentes diuitias gloriae hereditatis Dei explicare possit, ubi non erit peccatum, non morbus

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

aliquis, non fames, non miseria aliqua, non mors, neque morsus diaboli, non terrens lex, sed aeterna societas & consuetudo cum omnibus sanctis patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, cum omnibus sanctis angelis, denique cum Deo patre, filio & Spiritu sancto. Vbi pij sicuti Dani. 12. ait, Fulgebunt sicuti splendor firmamenti, & quasi stelle in perpetuas aeternitates, & sicuti Christus Matth. 13. inquit, Vbi iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui.

Has diuitias gloriae hereditatis Dei erga sanctos quas impij prorsus non curant, neque intelligunt, ut pij aliquomodo, in hac uita uidere & intelligere possint, ideo datur eis uox Euangelij, quae hos tantos thesauros Dei circumfert, & propter Christum offert credentibus. Deinde datur & Spiritus sanctus credentibus, qui hos thesauros aperit, ut pij in uerbo oblatos, complectantur per fidem & spem, donec in aduentu liberatoris nostri Iesu Christi reipsa promissam in uerbo hereditatem adeamus & possideamus.

In sanctos.

Cum addit (in sanctos) significat ad quos gloriae hereditatis pertineat nempe non ad quosuis, sed ad sanctos tantum, qui credunt se sanguine filij Dei

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Dei à labe peccatorum suorum Sanctificatos & mun-
datos, & factos filios & heredes Dei, alijs enim qui
non sunt filij & heredes Dei, non datur hereditas.

Et quæ sit excellens magnitudo po-
tentia illius in nos, qui credimus se-
cundum efficaciam roboris fortitu-
dinis eius &c.

Dicat aliquis magna est præstantia & gloria
hereditatis piorum, quam prædicas, & res
admiranda imò humanæ rationi omnino incredibile
& impossibile uidetur, homines miseros è luto terræ
factos, & rursus sublata uita in putrem terram solu-
tos, ad tantam excellentiam posse exuscitari euehi, &
ita transformari, ut fulgeant sicuti sol & fruantur
eterna uita & sint una cum Deo patre Domino om-
nium rerum in omnem eternitatem. Quis tantam uim
in miseros homines terræ pulcres exercere possit?
Quis credet hæc unquam à quoquam fieri posse?

Verum est inquit Paulus, hæc non perspicuntur
oculis carnalibus, neque res tantas, humana mens per
se capere & intelligere potest, & si rationis iudicium
sequere, statuas necesse est, hæc nunquam futura, &
impossi-

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

impossibile esse, ut ita aliquando fiant. Sed credentes quorum mentis oculi à Spiritu sancto sunt illuminati, vident infinitam & excellentem magnitudinem potentie Dei, qui non modo ex nihilo hoc pulcherrimum opificium mundi, & hominem ex pulueribus terræ, ad suam imaginem & æternam uitam, condidit & omnia mirabiliter sustentat & gubernat, sed in hoc tanquam præcipuo & præ omnibus insigni facto et miraculo efficaciam roboris fortitudinis sue ostendit, exercuit & exeruit, dum Christum ex mortuis excitauit, & ad dextram suam omnia illi subiciens collocauit.

Hæc est illa excellens & magnifica magnitudo potentie Dei excitantis Christum à mortuis, quam ideo ostendit & predicari uult mundo, ut omnes tam pii quam impij considerent efficaciam roboris fortitudinis eius, ne putent nullam uitam aliam, nullum iudicium, nullas pœnas impiorum, aut nulla præmia piorum fore, & existiment se ubi uitam reliquerint, se iam omnibus malis perfunctos, et mortuos non exuscitari posse, sed cogitent, Deum eam efficaciam roboris fortitudinis sue, quam in Christo exercuit, ostensuram quoque suo certo tempore in toto humano genere exuscitando.

Quemadmodum enim per Adam omnes mortuati, ita

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur. Et
Ioan. 5. inquit Christus. Venit hora, in qua omnes qui
in monumentis sunt, audient uocem filij Dei, & pro-
cedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitae,
qui uero mala fecerunt in resurrectionem iudicij.

Deinde etiam ideo suam potentiam in Christo ex-
citato ostendit Deus, ut cum credentes audiunt uoce
Euangelij aeterna, caelestia & incomprehensibilia bo-
na sibi propter Christum promitti, ne putent haec
uana & impossibilia, sed cum Christum, primogeni-
tum ex mortuis, & qui primicia eorum qui dormie-
rant fuit, & qui caput nostrum est, excitatum & ad
dextram patris exaltatum uideamus, certo statuamus
fore, ut sicuti in Euangelio promittit, hanc suam po-
tentiam etiam in nobis, qui sumus membra corporis
Christi, exuscitandis, & ad aeternam gloriam euehen-
dis, excitaturus sit benignus pater noster, ut ubi est ca-
put & Dominus noster, ibi & nos membra & mini-
stri Domini nostri Iesu Christi simus, Ideo Apostoli
toties in suis scriptis resurrectionis Christi memine-
runt, ut eius consideratione fidem nostram exuscite-
mus & confirmemus, ut credamus quam in illo exci-
tando potentiam declarauit, in nobis quoque sit osten-
surus.

Resuscitationes igitur mortuorum, quae factae sunt in
Ecclesia,

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Ecclesia, & in primis resuscitatio Christi, sunt certissima indicia & testimonia infinitæ & incomprehensibilis potentie Dei. Hæc enim propria & solius Dei, non conueniens angelis aut diabolis aut ulli creature uirtus & potentia est, resuscitatio mortuorum, sicuti etiam conditio rerum, quod mundum ex nihilo condidit, εἰς ὕμῶς τῆς ἐνοουτας.

IN Christi igitur resuscitatione excellentem magnitudinem efficacie sue ostendit erga credentes Deus, quod hoc facto resuscitato nempe filio suo testatur Deus credentibus destructam & absorptam per Christum mortem, fractam & sublatam potentiam & tyrannidem diaboli, deuictum mundum, deleta peccata, legem damnantem abrogatam, & donatam nobis iustitiam & uitam æternam. Sed hæc omnia impij non credunt, nec intelligunt, ideo ait Paulus se orare ut dono Spiritus sancti credentes illuminati, uidere ac intelligere possint, quæ sit excellens magnitudo potentie Dei erga credentes, quam efficaciam roboris fortitudinis sue declarauit Deus, dum Christum à mortuis excitauit.

Cum suscitaret eum à mortuis & sedere fecit ad dextram suam &c.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Tres sunt præcipui loci primi capituli. Exordium in quo beneficia Christi ordine copiosissime, & illustribus uerbis commemorantur. Deinde est narratio, in qua ostendit et se gratias agere pro Ephesijs quod & fidem & charitatem ipsorum celebrari audiat, & orare pro ipsis, ut Spiritu sancto illuminati excellentem spem in quam uocati sint cognoscant &c. Hic uero orditur tertium locum, qui est primum descriptio personæ Christi, & deinde eius regni.

Possent enim aliquis dicere multa & magna prædicantur de Christo Iesu, quis igitur est Christus? quæ eius uis & potentia. Ostendit igitur Paulus primum Christum esse uerum hominem, cum ait per excellentem potentiam Dei, ex mortuis suscitatum, quo conficitur antea conceptum de Spiritu sancto, & gestatum in utero materno ut omnes infantes alij solent, natam ex Maria uirgine, passum sub pontio pilato, crucifixum, mortuum & sepultum, sicut omnes homines necesse est nasci & mori, Significat igitur uerum hominem, non spectrum hominis esse Christum, cum ex mortuis resuscitatum affirmat, & complectitur simul omnes articulos alios, qui ad humanitatē Christi pertinent.

Idem & promissiones de Christo factæ docent

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

uerum hominem fore sicuti illa. Gene. 3. Ipsam sementem conteret caput serpentis. et Gen. 22. In semine tuo benedicentur uniuersae gentes terrae, semen enim in scripturis significat prolem naturalem ex parentibus natiuam, uerum hominem habentem carnem & sanguinem ex parentibus. Ita in principio in Christo humanam naturam describit.

Deinde ostendit non solum uerum hominem, sed & uerum Deum esse, eadem natura, substantia, potentia & maiestate cum Deo patre, cum addit, Deum hunc hominem Christum, à mortuis resuscitatum, collocasse ad dextram suam in caelestibus supra omnem principatum & potestatem &c. Sicuti haec ante praedixerat Propheta Dauid, cum ait, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Cum Deus Pater iubet filium hominem resuscitatum, sedere non ad pedes sed ad dextram suam significat eum pari gradu naturae, potentiae & maiestatis cum ipso, & illi sicuti sibi Deo patri, omnia subiecta esse, neque quicquam supra Christum, & cum in summo potentiae & maiestatis gradu cum ipso esse, sicuti & uox ^{uox} ^{uox} ^{uox} ostendit, quo summus gradus significatur.

Angeli enim sunt quidem in magno dignitatis & potentiae gradu, sed sedent infra Deum, non sedent ad dextram Dei. Quia igitur Christus sedet ad dextram patris,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

patris, Vbi non homini alij, præter Christum, ubi non Angelo aut ulli creaturæ, sed soli & unico Deo sedere licet, ideo necesse est Christum uerum & naturam non adoptione Deum esse.

Sedere enim significat habere imperium, Dei uero sessio seu thronus summus, est habere imperium supra caelos, Angelos omnem principatum, potestatem & uirtutem &c. Ac sedere ad dextram Dei, in pari gradu & in eodem throno, est idem imperium cum Deo habere. Scriptum uero est Esa: 42. Gloriam meam alteri non dabo, Christo uero datur à patre ex gloria, Igitur Christus in natura & substantia, est unus & æternus Deus, sed quo ad personam, eo quod ex patre ab æterno genitus est, distinctus.

Præterea angeli neminem Dominum suum agnoscunt, neque quenquam præter solam Deum uerum adorant. Christum uero sedentem ad dextram patris adorant, sicuti Psal. 97. testatur. Adorate eum omnes Angeli eius. Ergo Christus uerus & natura, non adoptione Deus est, & Luc. 2 agnoscunt eum Dominum suum cum inquit, Vobis natus est seruator hodie, qui est Christus Dominus &c. Vocant autem Christum infantem iacentem in præsepì Dominum suum.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Item quia Christus ad dextram patris super angelos euectus sedet, ideo necesse est esse Deum, neque enim ullus gradus præterquam ipsius Dei conditoris, angelorum & omnium creaturarum supra angelorum naturam est. Ita & Epistola ad Heb. 1. ait, Constitit in dextra maiestatis in excelsis, tanto præstantior factus Angelis quanto excellentius præ illis sortitus est nomen, neq; ad angelos sed ad Christum dicit, Filius meus es tu Ego hodie genui te, Ac rursus, Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius, Et ad filium Christum, non ad aliquem angelorum dicit, sede à dextris meis. Et Matth. Vlti: ait Christus, Data mihi omnis est potestas in coelo & in terra, Si illi omnis potestas data est, ergo non est aliqua potestas Dei quæ non sit data Christo. Atque ideo quoq; dicitur exaltatus ad dextram patris, sicuti hic ait, ut habeat Dominum in coelestibus super omnem principatum & c. Sed hoc Dominium solus Dei est, habet autem Christus. Sic & ad Philip. 2. Dedit ei nomen quod est super omne nomen & c. 1. Pet. 3. Qui est ad dextram Dei, profectus in coelum, subiectis sibi angelis & potestatibus & uirtutibus.

Obseruandum uero est Apostolos discrete loqui de humana natura, sunt enim in Christo due nature, sed ita unite ut unus sit Christus. Diuina natura

EPISTOLAE AD EPHESIOS

natura quam Filius ab aeterno ex patre habuit, non est exaltata & collocata ad dextram patris, quia sicuti ab aeterno unus Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus fuit, est & erit, ita & omnium trium personarum patris & filij & Spiritus sancti, una est diuinitas, equalis gloria, coaeterna maiestas & potentia.

Sed quia filius humanam naturam adsumpsit, ideo secundum eam dicitur resuscitatus ex mortuis & collocatus ad dextram patris, & ei subiecta omnia, cum tamen hoc inde habeat, quod ab aeterno Deus uerus ex Deo uero natus est, pari natura, potentia & maiestate cum patre. Cum igitur ex mortuis resuscitatur & collocatur ad dextram patris, & ei subiiciuntur omnia, non hic primum accipit Christus diuinam naturam & potestatem à patre, quam ab aeterno ex patre semper habuit. Sed declaratur hic Christus uerus & aeternus esse Deus cum patre, & quod iam etiam secundum humanam naturam ad eam gloriam sit exaltatus, sedeat ad dextram Dei patris Dominus caeli & terrae.

Ita confitemur Christum uerum Deum & hominem sedentem ad dextram patris, Dominum angelorum & omnium creaturarum, qui & in diuina maiestate, & tamen quoque in humana natura omnia
dispensat

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

despensat, & gubernat, nos ut rex & sacerdos nosse
regit & defendit.

Sed in hunc articulum incurrit ratio humana &
eo grauitur offenditur, ut uidemus in Iudeis, Maho-
metistis & hereticis plurimis. Qui inquit fieri po-
test ut una persona sit & Deus & homo, & ut Deus
conditor rerum miseram & fragilem humanam na-
turam creaturam adsumeret, & se ita deijceret, ut
omnium hominum seruus & minister fieret? Qui in-
quirit, dicitis hunc esse Deum, qui etiam non Deus
sed homo est, aut qui potest esse homo, qui tamen non
homo sed Deus est, Et tamen ipsi fatemini unum tan-
tum esse Deum, cur ergo duos constituitis deos, homi-
nem & Deum, imo ex unico Christo fingitis homi-
nem & Deum? Hec sunt humane rationis deliria.

Nos uero non ex iudicio rationis, sed ex uerbo Dei
de hoc articulo et alijs omnibus iudicare debemus. Ideo
enim Deus dedit uerbum, ut cum ratio humana tantas
res percipere non posset, hoc suo uerbo sese nobis pate-
faceret. Testatur autem scriptura Deum, uerbum, fia-
lium Dei, adsumpsisse humanam naturam, Et Thomas
hominem Christum a mortuis resuscitatum, uocat
Dominum & Deum suum, & Paulus hoc loco &
scriptura passim testatur, Christum Deum et hominem
sedere ad dextram patris, Ideo simpliciter scripturae
contra omne humane rationis iudicium credendum est.

Non

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Non igitur fingimus alium Deum in Christo, aut plures Deos, sed asserimus & confitemur unum aeternum Deum in essentia & tamen distinctum in personis, ut Filius ex patre genitus, factus homo, quamquam quo ad personam sit distinctus, neque enim pater aut Spiritus sanctus est genitus, neque factus caro, tamen in essentia sit unus, & uerus Deus cum patre & Spiritu sancto, & unus Christus non Duo, ita ut humana natura unita diuinæ & exaltata, sedeat ad dextram Dei patris.

Hoc modo confitemur iuxta scripturam Christum Deum & hominem & tamen unum Deum in essentia, patrem, filium & Spiritum sanctum & ita breuiter Paulus Personam Christi descripsit.

CAeterum cum ait Christum sedere ad dextram Dei in caelestibus supra omnem principatum &c. Ostendit quale sit ipsius regnum nempe non terreste aut mundanum in quo sint opes, gloria & potentia aliqua mundana, sed esse regnum diuinum, aeternum, Spirituale & caeleste, sedere enim ad dextram Dei (ut supra ostensum est) significat habere regnum diuinum & administrare non tantum res corporales & interituras sicuti Reges & Principes huius mundi, sed quoque diui-

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

diuinas, spirituales, æternas & cœlestes. Ideo addit, *sedet ad dextram Dei in cœlestibus*, nempe quod hic rex subditis suis non tantum corporalia, sed & cœlestia & æterna bona impertit, quod abolet & remittit peccata, destruit mortem & diabolum qui mortis imperium habet, & donat iustitiam & uitam. Ita opes & potentia regis Christi, superant omnem omnium regum mundi potentiam, & ab hoc rege reges omnes & principes, hæc bona petere & expectare debent sicuti in Psal: præcipitur. Adorent eum omnes reges terre & Psal. 2. *Osculamini filium.*

Impie igitur & scelerate faciunt, Papa, Anabaptiste, Iudei, Chiliaste, Pepusiani & multi alij, qui regnum Christi in regnum corporale & mundanum transformant, & asserunt postremis temporibus fore ut tale regnum hic in terra constituatur, in quo delectis omnibus impijs soli pijs sint regnaturi. Sic enim Christus ait, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et ad Apostolos ait, *Reges gentium dominantur, uos autem non sic. Hoc est, non licet nobis occupare regna. meum enim est spirituale, est iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto.*

Cur sedeat ad dextram Dei Patris.

porro

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Porro Christus uerus homo & Deus sedet ad dextram patris, non ut ociosus, isthic cum angelis sese oblectet, sed cum imperium occuparit & data illi sit omnis potestas in caelo & in terra, ut Ecclesiam corpus suum et nos membra sua contra mundi seuitiam & satanae furores defendat, regat nos uerbo suo, donet spiritum sanctum, iusticiam & uitam, sicut infra capite 4. ait, Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus, alios quidem Apostolos, alios uero Prophetas &c.

Sedere enim significat non ociosum, sed potentem & efficacem esse, exercere uires regni, ita Christus sedens ad dextram patris cum diabolos & tyrannos oppugnantes Ecclesiam reprimat, & cum tollit hereticos serentes impia dogmata, & seruat Ecclesiam & pios doctores, ac artes Ecclesiae necessarias, ostendit se sedere ad dextram patris, sibi Ecclesiam & pios curare esse, & ut maxime pij membra sua hic affligantur, se tamen fore ultorem uindicem, & liberatorem piorum, sed necesse tamen esse, ut sicuti ipsum oportuit haec et multo maiora pati, et sic per crucem & ignominiam & mortem intrare in gloriam patris, ita & Ecclesia hic subiecta sit cruci, & reddatur conformis imaginis illius, ut uere cum ipso glorificari possit.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Quare in his malis non debent pii frangi animo aut desperare, sed intueri Christum sedentem ad dextram patris, & cogitare eum ideo isthic sedere, quod eos sit liberaturus, & donaturus eis æterna bona, & æternam uitam, sicut i Stephanum fecisse & cogitasse uidemus, qui dum iam lapidibus obruitur, & presentem mortem uidet, tamen credit se habere liberationem Dominum Iesum Christum sedentem ad dextram patris. Quare ut erat plenus Spiritu sancto intentis in cælum oculis, uidet gloriam Dei, & Iesum opitulatorem suum stantem à dextris Dei. Ita & nos credamus sedere Christum regem nostrum ad dextram patris, ut nos regat ac defendat, & ab omnibus malis peccata & morte, & diabolo liberet, & hæc ab eo expectemus & pijs precibus petamus.

Secunda causa cur resuscitatus ex mortuis ascenderit ad cælos, & sedeat iam ad dextram patris, ut cum non tantum sit Rex & defensor, sed & sacerdos & pontifex noster, isthic apud patrem pro nobis intercedat, & interpellet, sicut Heb. 4. dicitur. Habentes igitur Pontificem magnum qui penetravit cælos, Iesum filium Dei, teneamus professionem. Non enim habemus pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum sed tentatum per omnia iuxta similitudinem

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

similitudinem absq; peccato, Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ ut consequamur misericordiam & gratiam inueniamus ad oportunitum auxilium. Et cap. s. Talem habemus pontificem, qui consedit ad dextram throni maiestatis in coelis, sanctorum administrator &c. Et Ro. s. Christus est qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis.

Tertia causa cum ex mortuis Deus & homo Christus resurgit, ascendit ad coelos, sedet ad dextram patris, testatur ipso hoc facto suo, abolita peccata, deletam legem, destructam mortem à qua teneri non potuerit, & euersam potentiam diaboli & reconciliationem inter Deum & genus humanum per suam mortem factam, et iam omnia per se restaurata, Sanata & restituta, ita ut in se credentibus nulla iam sit condemnatio, sed sint condonata peccata, & parta salus, & hic in hac uita per uerbum & Sacramenta, & nouitatem uitæ ac Spiritum sanctum inchoari quoque in nobis renouationem, quæ in altera uita demum perficietur ubi sicuti ipse à mortuis excitatus, & supra coelos exaltatus est, ita & nos à mortuis excitabimur, & ad eternam uitam & gloriam exaltabimur.

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

Hæc tertia causa est cur exaltatus homo Christus Iesus sedeat ad dextram patris, ne cogites te miseram terræ massam, nullam spem & nihil nisi uarias erumnas & misérias habere, & nullam aliam uitam nullam gloriam expectandam tibi, sed cum Christum, nostram carne indutum, fratrem nostrum sedere ad dextram patris sciamus, ut certi simus nos quoque (quoniam eiusdem ex carne eius, & ex ossibus eius per baptismum & fidem illi insiti) per ipsum factos immortales, filios Dei & cohæredes eius, & hoc corpus nostrum mortale transfigurandū in immortale et cœlestic corpus sicuti & ad Philip. 3. dicitur, Nostra conuersatio in cœlis est, ex quo & seruatores expectamus, Dominam nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso secundum efficaciam, qua potest etiam sibi subicere omnia.

Hoc modo Paulus descripsit personam Christi cum ostendit, Et uerum hominem resuscitatum ex mortuis, deinde quoque uerum Deum, cum sit exaltatus ad dextram patris, & ei tanquam Deo creatori & Domino subiecta sint omnia.

Supra omnem principatum & potestatem & uirtutem, & Dominationem.

EPISTOLAE AD EPHESIOS

Sunt qui putant Paulum hoc loco de choris & Hierarchijs angelorum loqui, sed qui sint chori, & que aut quot Hierarchie angelorum, nemo in hac uita certo affirmare potest, sed illa in altera uita coram intuebimur. Certum est autem supra omnes angelos exaltatum Christum, & angelos agnoscere Christum Dominum suum, & ipsum adorare ut supra ostensum est.

Intelligatur igitur Paulus hoc loco loqui de ijs principatibus, qui hic in terra sunt, ut Principatus sint Cæsares & Reges, qui in supremo dignitatis & potentie gradu sunt constituti. Potestates uero sint principes proximi à regibus, Virtutes ciuitates, respublice, que quoque in alias urbes & populos dominia exercent. Dominationes autem sunt qui in inferiori gradu imperant, ut sunt comites & nobilitas atque alij similes. Non uero hos omnes tantum, sed & omnem uim & potentiam, siue in hoc presenti seu futuro seculo sit longe uincit & superat, Christus ad dextram Dei exaltatus.

Hanc uero uim sepe declarat Christus, dum Satanam & tyrannos reprimat, dum transfert & euertit regna, dum deponit potentes de sede, & exaltat humiles, sed in aduentu eius glorioso, tum demum hæc sum-

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

ma eius potentia conspicietur à toto humano genere, cum omnes sistemur ad tribunal Christi regis, reddaturi de factis nostris & omni uerbo ocioso rationem.

Et omnia subiecit sub pedes eius.

Querat aliquis quomodo ex Psalmo octauo dicat hic Paulus omnia subiecta Christo cum I. Cor. 15. & Psal. 110. dicatur oportere cum regnare donec posuerit omnes inimicos suos sub pedes suos. Ergo habet adhuc Christus inimicos, qui ei nondum sunt subiecti? Respondeo breuiter. Inimici Christi sunt peccatum, lex, mors, diabolus, & mundus impius, sed hos hostes suos iam diu deuicit, cum à mortuis resurgens ascendit in altum, & captiuam duxit captiuitatem, dum ut ad Colos. 2. ait Expoliatos principatus ac potestates ostentauit palam, triumphans de illis per semet ipsum.

Hi itaque hostes iacent iam deuicti & prostrati sub pedibus Christi sedentis ad dextram patris, per mortem enim ut Heb. 2. scribitur aboleuit eum qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum. Et Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi amplius non dominabitur, sed ipse iam Dominatur morti.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

morti. Itaq; recte & uerè dicitur, Christo capiti nostro sedenti ad dextram patris omnia subiecta esse, sicuti & ipse testatur cum inquit data mihi est omnis potestas in coelo & in terra, Et res ipsa loquitur, Christum dominum omnium esse & manere.

Quaquam enim contra ipsum furenter sauiat mundus & diabolus, tamen manet ad dextram patris, non potest ulla humana aut diabolica ui, de illa sede deiici, manet manebitq; Ecclesia ad finem mundi usq;, contra quam ne inferorum portæ quidem preualere possunt, quia habet defensorem suum Christum sedentem ad dextram patris.

Sed quod ad Ecclesiam, corpus, & ad nos membra Christi attinet, habet adhuc Christus Rex noster inimicos à quibus oppugnatur in nobis membris suis. Mundus enim cum audiat per ministerium Euangelij argui peccata, & reijci suam, quam ratio humana & sapientes existimant esse iustitiam, & in Euangelio proponi aliam, non uult reprehendi neque damnari, Ideo sicuti Psal. 2. ait, Astant reges terræ & principes conueniunt in unum aduersus Dominum & aduersum Christum eius.

ENARRATIO CAPITIS PRIM

eius, ac nolunt ferre illa uincula & iugum illud (ut ipsi uocant) quæ Euangelium ipsis iniicit, sed uolunt ea disrumpere & abicere, Multa conantur & moluntur contra Christum, sed quia hic Rex habitat in caelis, sedens ad dextram patris, ridet uanos & irritos conatus stultorum, regum, principum et omnium horum suorum, qui cum habitent ut locustæ in terra, de caelo rerum Dominum deturbare frustra conantur.

Patitur igitur quidem ut contra se & suos seuiant in hostes, & interdum aliqua corporis Ecclesie sue membra, trucidant, sed habet tamen Euangelium in regno Christi suum cursum perpetuum, quem impedire aut tollere prorsus inimici Christi minime possunt, euertuntur ordine subinde hostes Christi & interdum tota regna, ut est cernere in euersione Hierosolime & regni Romani qui Euangelium persecuti sunt. Et manet tamen salua Ecclesia, ut hoc modo Christus rex testetur sibi corpus suum curæ esse. Sunt tamen semper reliqui hostes Christi, & erunt usque ad finem mundi, iuxta illud, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius.

At hic dicat aliquis, cum tanta sit patientia Christi sedentis ad dextram patris, ut uno momento omnes hostes

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

hostes suos delere & euertere possit, cur hoc non facit? Sunt autem inter plurimas duæ præcipuæ causæ, cur patiatur suos hic affligi, & non statim perdat hostes suos.

Primum ut quod deest afflictionibus Christi, suppleatur in carne nostra, ut cū Christus caput nostrum tulerit horribiles afflictiones, corpus & singula corporis membra fiant conformia capitis sui, ut ita & cum capite glorificari possint. Deinde ideo non simul omnes hostes suos perdit Christus, quod multi ad huc restant saluandi, quod electorum numerus nondum est impletus, Sicuti Apoca. 6. scribitur, Vbi iubentur sancti propter Verbum Dei interfecti, quiescere donec compleantur conserui eorum & fratres eorum qui interficiendi sint sicut & illi, qui numerus ubi erit impletus, ibi sicuti iam capiti & regi nostro Christo, ita & tum omnia erunt subiecta sub pedes nostros, & inimici nostri erunt scabellum pedum nostrorum, ut psalmus inquit.

Et eum dedit caput super omnia ipsi
Ecclesiæ, quæ est corpus eius.

Nihil potuit dici dulcius, neque ulla firmior
consolatio proponi nobis miseris hominibus,
quam cum inquit Christum filium, sedentem ad dex-

ENARRATIO CAPITIS PRIMI

tram patris Dominum cœli & terræ, & coram omnium que uel in hoc, uel in futuro seculo nominari possunt, esse caput nostrum, & nos ipsius membra & corpus, Quid enim augustius dici potest, quam miserum hominem esse tanti & tam prestantis capituli membrum?

Néque uero eius Ecclesiæ caput est, quæ contenta nit & persequitur (nam illa non est Christi sed Sathanæ corpus) sed quæ amplectitur purum uerbum, & retinet uerum usum Sacramentorum, Hæc autem conclusio proponitur, si Christus est caput Ecclesiæ, necesse est cum non sit caput mortuum & ociosum sed uiuum & efficax, ut omnia capituli officia faciat ut gerat curam pro corpore, & pro singulis membris, pro ijs agat excubias, ea defendat, & membris suis impertiat uitam, & omnia bona sua.

Néque enim maior coniunctio esse potest, quam quæ est capituli & corporis ac omnium membrorum inter sese. Non potest esse caput sine corpore, nec corpus sine capite, & altero sublato, necesse est perire utrunque, & omnia bona utrisque intra sese sunt communia sicuti etiam omnia mala, ut quæ corpori, simul & capiti accidunt.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Ideo etiam Paulus uocat Ecclesiam comple-
 mentum Christi, quod quanquam coelum & terra
 & omnia quæ sunt uiuunt & mouentur sint com-
 plementum Christi eo, quod cuncta sint ab ipso creata
 & adhuc omnia ab ipso sustententur & regan-
 tur, sicuti & Paulus ex Arato Acto. 17. ait, Per ipsam
 uiuimus & mouemur & sumus, tamen præcipue
 Ecclesia est complementum Christi, quia ea à capite
 suo omnibus cælestibus & æternis bonis cumulatur
 & impletur, ut crescat & sit deinde perfectum &
 absolutum corpus coniunctum & copulatum cum
 capite in omnem æternitatem, Ideo implet Eccle-
 siam suo sanguine quo eam redemit & eam sibi
 tanquam nouo fœdere & tanquam coniugem con-
 iungit, Sicuti Esa 54. dicitur, maritus meus qui fecit
 te, cuius nomen est Dominus exercituum, & redemp-
 tor tuus, Sanctus Israelis, Deus uniuersæ terræ uo-
 cabitur, complet eam deinde uerbo suo, Sacramen-
 tis & Spiritu sancto, & quod donat illi suam iusti-
 tiam uitam & immortalitatem.

Complet item singula membra corporis sui, ut
 eum effuso Spiritu sancto in singulis nouam lucem
 & uitam

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Et vitam accendit, ut fiant Deo opera grata & placentia, ut Moyses impletus à capite Christo gerit res admirandas, dum populum educit ex Aegypto, ita & per Eliam Eliseum, Esaiam, Paulum à Christo impletos & excitatos propagatur uera doctrina & res maxime geruntur, sed de his infra cap. 5. iterum & copiosius dicendum erit.

Finis Primi Capituli.

CAPVT SECVNDVM AD EPHESIOS.



POSTEAQVAM
Paulus copiosa oratione, & uerbis maxime significantibus & illustribus ordine beneficia Christi erga Ecclesiam primo capite commemorauit, Messiam non ideo missum (sicuti Iudei dei somniabant) ut benedictionem corporalem, sed spirituales afferret, non ut externum sed spirituale regnum institueret, & deleret peccatum & mortem & destrueret Diaboli potentiam, & ut genus humana

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

num à capite suo per peccatū & Diabolum auulsum,
rursus copularet & coniungeret Deo, ostendit iam
quo modo hæc tanta Christi beneficia nobis adplicen-
tur, & quomodo ea consequamur, fide nempe, cum
hæc gratuito nobis ab ipso collata credimus & fide
acceptamus.

Prius tamèn quam doceat unde contingat nobis
Iustitia & Vita, ostendit quæ sit corruptio humane
nature facta per peccatum, qui sit morbus quo natura
humana à Deo bene condita destructa sit. Seruat au-
tem Paulus planè eandem rationem (quæ omnium
accommodatissima est) quam in Epistola ad Roma-
nos.

Sicuti enim ibi initio docet tam gentes quàm Iu-
deos esse peccatores, ita & hic disputationem ordi-
tur & inquit. Deus qui diues est in misera-
cordia, propter multā charitatem suam,
qua dilexit nos, conuiuificauit & re-
suscitauit unā cum Christo & uos gentes
scilicet, qui non estis semen Abrahe, ac quibus, nulla
de Christo facta est promissio, cum essetis mortui de-
licis ac peccatis, in quibus aliquando ambulastis &c.
Deinde & nos, Iudeos conuiuificauit, qui quoque
conuersabamur aliquando in concupiscentijs carnis
nostræ

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

nostræ &c: Ita utriq; tam gentes quam Iudæi mortui
in peccatis, & natura filij iræ in Christo Iesu resuscita-
tati sumus, q. d. ut in Romanis ait: Iudæi & Græci
omnes peccato sunt obnoxij, Omnes peccauerunt ac
destituuntur gloria Dei, & sicuti ibi inquit iustifican-
tur autem gratis, per illius gratiam etc: Ita hic subi-
cit Deus qui diues est in misericordia &c. Coniunxi-
cauit nos Iudæos & Gentes una cum Christo (per
gratiam estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit &c.
Ita præmittitur concio poenitentiae & agnitionis pec-
catorum, Doctrina de remissione peccatorum & ius-
tificatione, iuxta præceptum Christi Luca, 24. Nunc
de locis huius capituli.

DE PECCATO ORIGINIS

Primus locus huius Capituli est de peccato origi-
nis, seu de corruptione humane naturæ, quæ ut
clarius intelligi possint, dicendum initio est, quæ fuit
excellentiæ & præstantiæ hominis, ad quam à Deo
primum conditus est homo.

Genesis 1. sic scribitur: Et creauit Deus hominem
ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem
Dei creauit illum.

Et si autem in hac corruptione naturæ nostræ
plenè

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

plene & perfectè intelligere non possumus, quæ fuerit illa præstantia hominis & imago Dei in homine, id quod in altera uita demum uidebimus, ubi illa renouatio ad imaginem Dei, quæ hic tantum inchoatur, perficietur, & tota natura instaurabitur, tamen sacre literæ, eius rei quasi gustum aliquem hic præbent, & umbras quasdam depingunt, quo nos ad futuram & perfectam instauracionem suspirandam, expectandam & sperandam excitent.

Fuit igitur homo ad imaginem Dei initio ita conditus, ut in intellectu perfecta cognitio luxerit, et uoluntas tota fuerit conuersa ad Deum, & legi Dei summa cum uoluptate obedierit.

Agnoscit Adam Deum conditorem, itaq; libera & recta uoluntate toto pectore amore Dei accensus ad illum amplectendum, colendum, timendum fertur. Nulla hic dubitatio de Deo, nulla diffidentia de Deo erga se bonitate est, certissimè scit esse Deum, illum conditorem & patrem suum præsentem uidet, Cum eo uinit & colloquitur, uidet & experitur se illi cura esse, se ab illo amari foueri, defendi, Quare Deum ita se amplectentem rursus ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus uiribus suis, complectitur & diligit.

Pulcher

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Pulcherrima uero imago integritatis hominis, qua ante lapsum ornatus fuit, depicta in Decalogo est. Statuit Adam solum hunc Deum conditorem & benignum patrem suum sibi summo amore & timore colendum, in illo omnem fiduciam collocandam, illius nomen perpetuo celebrandum & sanctificandum, Doctrinam & uerum cultum Dei summa cura propagandum ad omnes posteros.

Deinde quod ad secundam tabulam & ad precepta quo ad proximum attinet, sentit debere obedientiam, honorē et obsequia omnibus ijs quos Deus honorandos censet. Non ardet odio, iracundia, inuidia, iniquam, sed ducit omnes tanquam liberos suos paterno amore, ac non secus atq; seipsum sibi comprehendendos. Non sentit aliqua incendia libidinis, sed uxori iuxta mandatum Dei, tantum propter propagationem generis humani coniungitur, non sectatur ocia, non uoluptates, sed laborat & rebus omnibus tantum ad necessitatem presentis uitae animalis nempe, in qua conditus in spiritualem postea transferendus erat, utitur, ueritatem in primis tuetur & abominatur mendacia, dolos, malas artes, periuria, uacat prorsus omni concupiscentia praua & inordinata, & habet uoluntatem respondentem non repugnantem legi Dei.

Hec

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Hæc fuit imago Dei ad quam initio homo conditus fuit, sicuti & Paulus infra cap. 4. & ad Coloss. 3. interpretatur. Et eam imaginem ad Decalogi præcepta refert cum ait. Deponite ueterem hominem etc.

Præterea quanquam Christus secundum diuinam naturam sit expressa imago substantiæ Dei, tamen etiam secundum humanam naturam refert illam imaginem Dei, ad quam initio homo creatus est. Nam cū conceptus sit de Spiritu sancto sine originali peccato, manet natura integra & incorrupta, lucet in eo perfecta cognitio Dei, tantus est amor, tanta erga Deum patrem obedientia, ut obediens sit usq; ad mortem, mortem autem Crucis, tantus item erga proximum imò hostes suos amor, ut animam pro illis redimendis profundat, & pro crucifigentibus se oret, nihil in eo prorsus est quod cum Lege & uoluntate Dei pugnet, sed omnia & interiora & exteriora sunt conuersa ad Deum & ei parent, suntq; omnia perfectissima.

Sed quod dolores cruciatus & mortem acerbissimam, a quibus Adam ante lapsum liber erat futurus, sustinet, illa mala nostra causa, pro nostris peccatis delendis sustinet, cum ab his omnibus pro sua innocentia liber esse omni iure deberet.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Ita & in Christo secundum humanam naturam imaginem Dei uidemus ad quam conditi fuimus, ad quam in ipsum credentes in hac uita incipimus renouari & transformari, quæ renouatio in altera ætatem uita perficietur.

Fuerunt præterea ante lapsum, & corporis bonissima & perfectissima, nulli morbi infestarunt corpus, uires corporis fuerunt integerrimæ & florentissimæ, aberat deniq; mors extremum malorum & summa tura erat uita immortalis & omnium dulcissima sine omnibus doloribus miserijs & calamitatibus.

Hæc de integritate nature ante lapsum, nunc etiam de corruptione nature, quæ lapsum secuta est, breuiter dicendum est.

CAeterum cum homo tantis bonis à Deo cumulatatus libera uoluntate uteretur, & ad hoc esse conditus ut Deo conditori, sicuti ceteræ creature, obediret, Eum perpetuò coleret & celebraret, atq; ut haberet in quo obedientiam erga Deum exerceret, datur ei præceptum ne de fructibus Arboris scientiæ boni & mali comederet etc.

Sed hæc tanta bona quibus ipse exciderat, homini inuidit Satan itaq; quæ bona gratuito & ex sola misericordia Dei data, sua obedientia, timore & amore Dei

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Dei homo retenturus erat, ea ut per inobedientiam, contemptum & odium Dei amittat fraudulenter in-
sistit Satan.

Auferit à conspectu mandatum Dei, et uoluntatem hominis, antea ad Deum conuersam auertit, ut potius mendatio ipsius, quam Dei uerbo & præcepto obedire uelit homo, Et simul in cor instillat contemptum & odium Dei, quo cum hominem deduxit, ut iam uoluntas sit auersa à Deo, corrupta & deprauata, impellit simul ut & ipso facto transgrediatur mandatum Dei.

Quæ ubi facta sunt mox sequitur pœna peccati quam prædixerat Deus, ut qui antea immortalis erat iam opprimeretur morte, quæ pœna, Mors nempe, uniuersa mala complectitur, quæ peccatum secuta sunt. Corruptitur enim hoc ueneno peccati tota natura hominis & interiora, & exteriora omnia, extinguitur illa pulcherrima lux qua antea Deum cognoscebat, extinguitur & timor & amor Dei, & qui antea natura, sua Sponte ac toto pectore Deum complectebatur, & eo solo ut summo bono & Creatore suo delectabatur, illum iam fugere & odisse incipit sicuti inquit textus, Abscondit se Adam & uxor eius à facie Domini Dei.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Ita pulcherrimarum uirtutum quibus ante lapsum ornatus erat, uix scintilla aliqua remanent, uoluntas quæ antea ad Deum tota conuersa erat, aueritur à Deo, sicuti & Moyses Genesis s. testatur, sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia, quo testatur nos ita nasci, ut uoluntas sit auersa à Deo. Ut enim corrupti sunt parentes, ita & tales nasci liberos necesse est. Et Paulus Rom. s. Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nam Legi Dei non subditur, siquidem non potest quidem. Ita qui ante lapsum habebat uoluntatem consentientem Legi Dei, nunc habet repugnantem.

Traxit autem mors, poena peccati, non tantum corruptionem interiorum sed & exteriorum uirium, secuta sunt uaria morborum genera quibus labefit corpus, innumerabiles miserie, & calamitates, Denique mors ipsa, quæ corpus ita peccato corruptum, totum destruit & absorbet, quod quanquam initio de massa terre edificatum erat, tamen non erat ante lapsum, morti aut ulli calamitati obnoxium, & illud terrenum erat in spirituale & cœleste corpus transmutandum, quod iam post lapsum in putrem glebam & puluerem terre iterum resoluitur.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Quid sit Peccatum?

Est igitur peccatum horribilis destructio & corruptio pulcherrimi operis diuini, hominis ad imaginem Dei, ad innocentiam et ad aeternam uitam conditi, quae quidem destructio & corruptio talis est, ut homo illa perfecta luce cognitionis timoris & amoris Dei, pulcherrimisq; uirtutibus quibus ante lapsum fuit ornatus iam sit exutus & spoliatus, & in illarum locum successerit dubitatio de Deo, contemptus & odium Dei, ut qui antea motus habebat congruentes Legi Dei, nunc habeat repugnantes, quibus uictus, cum eos regere & frenare sua imbecillitate non possit, sepe contra Legem Dei fertur, atq; ita cum propter illam lepram seu corruptionem, quae ab Adam in omnes propagatur, tum propter actiones illas quae illud contagium postea in sic contaminatis & corruptis sequuntur, offenditur Deus, et homo fit reus aeternae irae & damnationis, nisi fide in Christum sit renatus & factus noua creatura, & consecutus remissionem peccatorum.

Porro qui negant hanc corruptionem & adfirmant naturaliter mansisse integra, conuincuntur hic aperto Pauli testimonio, cum ait natura nos esse filios irae, quo non negat initio naturam ut à Deo condita est, fuisse bonam ac integram, sed significat postea uia

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

corruptam per peccatum, ut quotquot nascuntur, nati
sunt filij iræ, id est, destinati iræ & maledictioni.

Idem etiam hæc sententia Ioannis tertio probat, Nisi
si quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest
introire in regnum Dei, quo ostenditur totum homi-
nem ex natura & natiuitate asserre secum iram &
damnationem, & esse cum omnibus uiribus suis abie-
ctum à Deo nisi renatus fuerit. Significat igitur &
intellectum & uoluntatem ac cor hominis atq; adeo
totum hominem corruptum & opus habere renas-
centia.

Quotuplex peccatum.

Breuitè hic ad declarationem textus doctrinæ
& consideranda est, attingenda fuit, quæ quia in lo-
cis Philippi Melancthonis & copiosè & eruditè ex-
plicata est, ideo hic breuiores sumus. Est autem duplex
peccatum. Originale (ut hoc loco Paulus definit) est
quo homo, qui, ut principio à Deo conditus fuerat,
natura filius gratiæ & uitæ & heres Dei erat, iam
post lapsam natus, efficitur natura filius iræ. Erat enim
antea natura bona, perfectè cognoscens Deum &
obediens Deo, ideo grata & accepta Deo ut pulcher-
rimum opus ad ipsius imaginem conditum. Nunc autem
semper peccatum & inobedientiam primorum pa-
rentum

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

rentum destructum & deformatum displicet Deo, ideo est abiectum & damnatum.

Actualia uero peccata, originalis tanquam fructus, sunt interna & externa opera omnia, cogitata dicta aut facta omnia contra Legem Dei.

Cum igitur Paulus in initio huius capituli ait. Et eramus cum essetis mortui delictis ac peccatis etc. Et eramus natura filij iræ, concionatur de utroque peccato, originali & actuali, & uult ab Ecclesia utrunque tanquam perniciosissimos morbos ac pestes humani generis conspici & considerari, ut earum consideratione magnitudo remedij & beneficij Christi fiat conspectior & omnibus charior, ut inde incipiamus odisse tanquam pestem & mortem nostram, peccatum, & amplecti toto pectore Christum uitam & iustitiam nostram.

Ideo initio ponit nobis ob oculos destructionem, corruptionem et deformitatem nature nostre per peccatum factam, ut cogitemus quam difficilis fuerit huius operis diuini, ita deformati, restauratio, que aliter fieri non potuit, nisi morte unigeniti filij Dei, propter quem solū docet tolli utrunque peccatū & originis & actuale, et nos gratis sine nostris meritis, sola gratia et misericordia ex filiis iræ fieri filios gratiæ et misericordie, et nō imputari nobis deformitatem per peccatū factam, sed

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

sed propter propiciatorem nos gratis recipi, exaudiri
ac saluari.

Hæc de Corruptione humane nature ideo prodest
considerari, ne, ut scholastici somniant, fingamus na-
turalia mansisse integra, & nos legi Dei posse satis
facere.

Et uos cum essetis mortui delictis
ac peccatis &c.

Pincipio hic obseruandum d'scrimen est peccata
torum traditum à Paulo, alia peccata esse mor-
talia, quæ mortem & damnationem adferunt, Alia
esse uenialia ut uocant, Peccatum mortale in non re-
natis, est ipsum originale peccatum, cum quo in hunc
mundum ita nascimur, ut simus filij iræ, afferentes
ex utero materno corruptionem nature & reatum
ac damnationem, sicut Rom 5. dicitur, Per unum ho-
minem peccatum in mundum introijt, ac per pecca-
tum mors, & sic in omnes homines mors peruasit,
quatenus omnes peccauimus. Id est, rei sumus, Et Psal.
50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in
peccatis concepit me mater mea,

Quare ut maxime fuerint olim, aut hoc tempore
sunt

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

sint uiri præstantes magnis uirtutibus, quorum magnæ innocentia fuisse aut esse putatur, tamen tenenda regula est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnū Dei, neminem sine cognitione Christi saluari posse, ut testantur sententiæ Acto. 4. Non est in alio quoquam salus, neq; aliud nomen datum est inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri, & Roma. 8. Nulla condemnatio his qui in Christo Iesu sunt, Ergo qui extra Christum sunt, sunt sub condemnatione & morte, ut maximè uideantur sancti & uiri boni. Hæc obseruanda sunt contra eos qui docent quosq; suam professionem et legem naturæ seruantes posse seruari.

Cum igitur Paulus ait eratis mortui delictis ac peccatis intelligatur primum de peccato originali, propter quod, quicumq; renati non sunt, sunt mortui & abiecti, & filij iræ. Viuificantur autem & resuscitantur una cum Christo, cum per baptismum fidem & Spiritum sanctum renascuntur, ibi quanquam originale peccatum remaneat etiam in renatis, tamen tollitur reatus, seu mors seu condemnatio sicuti inquit Paulus, Nulla condemnatio his qui in Christo Iesu sunt. Remanet autem ideo ne sint securi sancti sed habeant eam quo per omnem uitam luctentur.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Sic Augustinus contra Iulianum inquit, Lex ista quæ est in membris, remissa est regeneratione spirituali, & manet in carne mortali, Remissa est, quia reatus solutus est Sacramento quo renascuntur fideles, Manet autem, quia operatur desideria, contra quæ dimittantur etiam fideles, Idem ait, Dimittitur concupiscentia carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur in peccatum, Hoc est enim, Non habere peccatum non esse reum peccati.

Sed hic obijciunt aduersarij. Peccatum remissum, non est peccatum, originis peccatum remissum est per baptismum, Ergo concupiscentia illa remanens in renatis, non est peccatum. Ad maiorem respondendum est, Duplex esse peccatum regnans & condemnans, Deinde seruiens, remissum & non condemnans, Verum igitur est, peccatum remissum non est peccatum scilicet condemnans, sed inde nõ sequitur concupiscentiam remanentem in renatis, cum remissa sit, non esse peccatum, Quia non solum id uocat scriptura peccatum, quod mortem & condemnationem adfert, sed et id malum, quod cum Lege Dei pugnat.

Sic enim ait Paulus Rom. 6. Ne regnet igitur peccatum in mortali corpore uestro, ut obediat illi per cupiditates eius, et Cap. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captiuum reddentem

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Vocat illud malum pugnans cum lege Dei, peccatum, sicuti & præcedentia uerba ostendunt, non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum, sed hoc peccatum quod in non renatis mortale et condemnans est, in renatis est remissum, & quanquam sit remissum, tamen adhuc luctatur & pugnat in carne nostra contra legem Dei, sed propter Christum, cui imferti sumus, non imputatur nobis hoc malum in condemnationem, uerum remittitur. Quare taxandi errores Sententiariorum sunt, qui docent homines in hac natura corruptione, posse legi Dei satisfacere, & homines iustos esse propria impletionem legis.

Ceterum quanquam in renatis peccatum originis non sit mortale, neque condemnans, tamen si contra conscientiam ruant, & polluant se uel internis uel externis peccatis, committunt actualia peccata mortalia, amittunt fidem & Spiritum sanctum, sicuti de Saule 1. Reg. 16. scribitur, Spiritus Domini recessit à Saul, et exagitabat eum Spiritus nequam à Domino. Sunt præterea mortalia peccata, Affectata ignorantia, & affectata omisio.

Venialia uero peccata sunt in renatis ipsum peccatum originis, caligo in mente & in uoluntate pugnans aduersus legem Dei, manens reliqua etiam in sanctis, & peccata

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

peccata ignorantie & omissionis non affectata. Hec peccata quia sancti in se agnoscunt, & ea deplorant, ac credunt sibi remissa propter Christum, ideo sunt uenialia, condonata, non damnantia, Et hec peccata in sanctis non regnant, non dominantur, sed seruiunt, Sed de hoc discrimine peccatorum supra cap. i dictum est, in explicatione uerborum, *Obsignati estis Spiritu sancto.*

Intelligatur igitur dictum Pauli, cum ait, *Et uos cum essetis mortui delictis ac peccatis, de peccatis mortalibus, ut est peccatum originale & omnia actualia in omnibus non renatis, & de ijs etiam qui post agnitam ueritatem & regenerationem, contra conscientiam ruunt & iterum conscientiam pollunt.* Hi enim omnes mortui sunt in delictis ac peccatis.

CAeterum est & hoc hic obseruandum, duplicem esse mortem, Spiritualem & corporalem. Spiritualem mors est qua homo ut maxime secundum corpus uiuat, floreat uiribus, opibus, honoribus, & potentia, tamen coram Deo mortuus est, tum propter originis peccatum, tum propter alia peccata actualia, mortalia & lapsus contra conscientiam.

Ha maxima pars humani generis, que non agnoscit

EPISTOLAE AD EPHESIOS

scit Originale malum, & furenter contemnit Deum,
 & eius praecepta uiolat, sectatur uoluptates, neq; ulla
 peccata curat, in conspectu & iudicio Dei iam mor-
 tua, & ad aeternos cruciatus destinata est, quanquam
 h soli sibi uiuere, & sancti Dei homines mortui esse
 uideantur, sicuti piorum uita in hoc mundo, reuera
 nihil aliud est quam perpetua quaedam mors, ut
 Psal. 43. dicitur, Propter te mortificamur tota die, Pij
 enim quia se & carnem suam cum adfectibus & con-
 cupiscentiis suis crucifigunt & mortificant, ideo in
 conspectu Dei uiuunt, & iam ad consortium aeternae
 uitae uocati & electi sunt, Impij autem, quia secundum
 carnem hic uiuunt, ideo coram Deo iam sunt mortui,
 Stipendium enim peccati mors, Donum autem Dei ui-
 ta aeterna, per Christum Iesum Dominum nostrum,
 Rom. 6. Et cap. 8. Si secundum carnem uixeritis mor-
 riemini. Quod si Spiritu facta corporis mortificabi-
 tis, uiuctis, Gala. 6. Qui seminat per carnem suam, de
 carne metet corruptionem, sed qui seminat per Spiritu-
 tum, de Spiritu metet uitam aeternam.

Altera mors est corporalis, qua haec uita corpora-
 lis extinguitur, quae ad Spiritualem mortem, quae om-
 nium maxime horribilis est, collata, ita terribilis in pijs
 non est, quibus mors nihil aliud quam somnus & ex
 hac

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

hac misera in eternam uitam transitus est. Spirituale uero & Corporalem mortem quoque esse poenam peccati testatur hæc uox Dei, In quacumque die comederis morte morieris, Fuit enim Adam mortuus spiritualiter, sed excitatus est rursus uoce Euangelij de semine mulieris, & Dauid uoce Prophetæ Nathan sciscitatur cum ait, Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.

Sicuti autem duplex mors est, ita & duplex resurrectio prior est spiritualis, cum mortui in peccatis nostris per prædicationem Euangelij ita excitamur ut primum agnoscamus peccata & ingentes morbos nostros, qui nobis mortem adferebant, & eos quibus antea delectabamur, incipimus tanquam pestem nostram fugere & detestari, Deinde fide amplectimur Christum filium Dei medicum nostrum, qui languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, ac suis liuoribus nos sanauit.

Hæc fides ubi ex uerbo per Spiritum sanctum sic est concepta, ubi antea mera tenebræ & nihil aliud quam tristissima mors erat, ibi in cordibus piorum excitatur & succedit noua lux & uita, uidet homo sanguinem filij Dei deleta peccata, & morte ac uictima eius placatum eternum patrem, & restitutam sibi uitam per peccatum antea amissam, ideo sic ex morte ad uitam
Christum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Christum resuscitatus, acquiescit & uiuit in Christo Iesu, exiit ueterem hominem, ut infra cap. 4. dicitur, & per fidem induit nouum, qui iuxta Deum conditus est per iustitiam & sanctitatem ueritatis.

De hac resurrectione spiritali saepe loquitur scriptura & imprimis Paulus hoc loco & ad Colos. 3. Et in pluribus locis alijs. Hinc ortus est error Hymenei & Phileti 2. Timo. 2. qui docebant non esse aliam quam spiritali resurrectionem, & nullam corporum seu carnis resurrectionem expectandam, quem errorem Paulus grauissimè 1. Cor. 15. refellit.

Est igitur altera resurrectio Carnis seu corporum nostrorū, ubi in aduentu filij Dei, qui in hac uita passi sunt sese uoce Euangelij ex morte spiritali, hoc est, ex peccatis ad iustitiam & uitam resuscitari, excitabuntur cum corporibus suis in resurrectionem aeternae uitae, Quibus uero hic gratum fuit uiuere in morte peccatorum, & Euangelio ad uitam uocanti optemperare noluerunt, suscitabuntur in resurrectionem iudicij, & aeternae mortis.

Quod discrimē sit inter ἀγαπώματα et ἀμαρτίας, ostendit hoc loco S. Hic: Aiunt, inquit quod ἀγαπώματα, quasi initia peccatorū sint, cum cogitatio tacita subrepat, et ex aliqua parte conuenientibus

uobis.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

nobis, nec dum tamen nos impulit ad ruinam, unde & in Psal. 18. scribitur. Delicta, hoc est, *ωαζαντία* peccata quis intelligit? quia scilicet difficile sit radices & initia intelligere peccatorum.

Peccatum uero esse, cum quid opere consummatum peruenit ad finem, Ac uidetur sane per uocem *ωαζαντία* peccatum originis, & per uocabulum *αμαρτία* omnia peccata actualia mortalia significare.

In quibus ambulastis, iuxta seculum mundi huius &c.

HActenus ostensum est quod sit discrimen peccatorum, Nunc etiam docet quae sit causa peccati, & unde oriatur. Commemorat autem ordine tres. Initio autem statuendum est, Deum non esse causam peccati, sicuti inquit Psal. 5. Non Deus uolens iniquitatem tu es, Et Deum execrari & nolle peccatum testatur satis decalogus omnium hominum animis inscriptus, & infinitae & maxime poenae & calamitates quibus Deus peccata punit.

Prima igitur & principalis peccati causa est Diabolus, sicuti hic ait Paulus, Mortui estis delictis ac peccatis iuxta prima

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ta principem, cui potestas est aëris, qui est Spiritus, nunc operans in filijs incredulitatis, Hic testatur Paulus Diabolū in impijs esse efficacem, eos inflammare & impellere ad uaria scelera & peccata, sicuti & in primis nostris parentibus Adamo & Eua uidemus, qui cum ad innocentiam & immortalitatem initio conditi essent, neq; peccatum nossent, Diabolus suis mendacijs & prestigijs uerborum initio sensim labefacit obedientiam erga Deum in corde Euae, ut quæ antea simpliciter statuebat omnimandato Dei obtemperandum, iam aliqua ex parte à Satana persuasa, incipiat ipsa secum disputare, & dubitare utrum, cum omnium aliarum arborum fructus essent ipsis concessi, Deo præstanda esset obedientia in arbore prohibita, Ita posteaquã sensim in dubitationem Eua adduxit, eripit ex corde et conspectu mandati Dei, & inclinât uoluntatem Euae ad peccandum. Vbi autem uerbum & mandatum Dei cordi exemptum, & fides ac obedientia erga Deum sic labefactata est, ibi in expugnata Eua & iam fide orbata, fit efficax Satan, & eam impellit ut etiam ipso facto & opere ruat contra mandatum Dei.

Idem prorsus uidemus Diabolum in omnibus hominibus quos in peccata conijcit facere, ut primum

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

faciat securos, ut contemnant uerbum & mandatum Dei, extinguat in eis fidem, timorem & amorem Dei, quæ ubi effecit, postea in talibus filiis incredulitatis seu inobedientiæ suam tyrannidem, uim & potentiam exercet, impellit Dauidem iam ex successu et copia rerum factum securum & contemnentem Deum ad adulterium, inde ad homicidium atq; alia peccata. Nam quamdiu manet in corde uerbum Dei, quamdiu lucet fides, manet amor & timor Dei, in talibus ut maxime eos uariè tentet & oppugnet Satan, ut in Patriarcha Ioseph est cernere, tamen quia filij Dei, filij fidei & obedientiæ sunt, Diabolus suam potentiam exercere non potest, Extincta autem fide timore & amore Dei statim uictor triumphat.

Ita uidemus in alijs, & etiã in nobis ipsis experimur Diabolum corrumpentem & impellentem animos hominum, esse primam causam, fontem & originem peccati, Cum enim primus peccarit, & propter peccatum cum Angelis suis, ut Petrus ait, in iudicium seruetur, præcipitandus in tartarum, flagrans odio Dei, quos potest secum inuoluit peccato, morti & damnationi æternæ.

Secunda causa peccati est uoluntas
 Ad. & Eug. libera, quæ sese à Deo auertit, et
 ad Sa.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ad Satanam & illius mendacia conuertit, & illi obedi-
 dit. Debat enim Adæ & Euz uoluntas, qua tum li-
 bera utebantur, tota ac tantum ad Deum esse conuer-
 sa, illum solum audire & illi obedire, sed quia patitur
 sese mendacijs & prestigijs Satanz abduci à Deo, cui
 tamen liberum erat resistere, ita corrumpitur eius
 uoluntas, ut quæ antea erat conformis Legi Dei, nunc
 ei repugnet, & talis uoluntas uiriata iam in omnibus
 posteris Adæ sit, sicuti inquit Moses, sensus & cogita-
 tio humani cordis in malum prona sunt ab adolescen-
 tia sua. Ideo etiam Paulus, quanquam electum orga-
 num Dei, & Spiritu sancto donatus, fatetur in carne
 sua nihil esse boni, uelle se quidem facere bonum, sed
 esse aliam, carnis nempe corruptæ, uoluntatem, quæ
 illius uoluntati nempe spiritus repugnet.

Ita & Paulus hoc loco ait Conuersabamur aliquan-
 do in concupiscentijs carnis nostræ, facientes quæ car-
 ni & menti libebant, significans primum Satanam
 impellentem nos ad peccata, deinde & uoluntatem ac
 libidinem nostram, quæ peccato delectetur, & Satanz
 non resistat, esse causas peccati. Nam quanquam re-
 nati à Satana uariè tententur & oppugnentur, tamen
 si non adsentiantur, si non accedat uoluntas peccandi,
 nihil obesse potest p̄ys talis tentatio.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Tertia causa peccati est exemplo-
rum uis, ita enim inquit, in quibus peccatis
aliquando ambulastis, iuxta seculum mundi huius.
Maxima enim hominum pars ducitur Exemplo mul-
titudinis & mundi huius, cuius princeps cum sit Dia-
bolus, necesse est, ut 1. Ioannis. 5. dicitur, mundum to-
tum in maligno positum esse. Ideo etiam cap. 2. sic nos
hortatur Ioannes. Ne inquit diligatis mundum, neq;
ea quæ in mundo sunt, Si quis diligit mundum, non est
charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in
mundo, ueluti concupiscentia carnis, & concupiscen-
tia oculorum & fastus uitæ, non est ex patre, sed ex
mundo est, Et mundus transit & concupiscentia eius.
Cum igitur mundus furenter contemnat Deum, &
sectetur tantum uoluptates & cupiditates suas, hoc
suo Exemplo maximam multitudinem hominum tra-
hit secum in perniciem & interitum. Sancti autem,
quia de mundo non sunt, ideo nõ ducuntur Exemplo
impie multitudinis, sed reguntur Spiritu Dei & obea-
diunt præceptis Dei.

Sic Paulus ostendit tres causas peccati, Diabolum
impellentem nos ad peccandum. Deinde uoluntatem
nostram & carnis concupiscentias quæ obtemperant
Satane, Postremo cursum mundi, seu exempla impie
multitudinis, quæ alios etiam ad peccandum inuitant,
nata

EPISTOLAE AD EPHESIOS

nam quod exemplo fit, praesertim principum & multitudinis, id etiam iure fieri putatur.

Postremo describitur hic horribilis potentia & tyrannis Satanæ, cum eum principem uocat, qui non modo in mundo, sed & in aëre potestatem habeat, quo significat ingentem esse Satanæ potentiam & humanis uiribus insuperabilem, nisi à Deo ipso comberceatur, sicuti & infra cap. 6. monebit. Habet igitur dominium aëris Satan, cum Deus propter peccata nostra permittit ut aërem interdum inficiat, ut pestilentias & uaria genera morborum orientur, excitat fulgura, fulmina, tonitrua, grandines et alia mala in aëre quibus sata & terra nascentia corrumpantur.

Deinde etiam in terra dominium exercet uariè, dum animantia, & alia quæ in usus hominum à Deo condita sunt, corrumpit, Excitat hæreses, bella, seditiones, discordias, inserit animis hominum contemptum & odium Dei ac coelestis doctrine, ac multiplicibus laqueis & cupiditatibus eos, ut in exitum & interitum trahat, inuoluit, impellit imbecillas mentes ad uaria scelera, ut cum Abelum uidet propter pietatis studium gratum & acceptum Deo, incendit Cain odio fratris, & illam flammam ita auget, ut neq; manda-

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

tum Dei neq; ius sanguinis, neq; parentum autoritatem & orbitatem respiciens innocentem tandem trucidet.

Ita horribiliter Satan ab initio mundi in filiis incredulitatis & inobedientie, organis suis & uasis iragratatur, fascinat mentes hominum ut contra mandatum Dei liberos suos mactent & Deo offerant humanas hostias, Absolonem cupiditate regni instans, impellit ut patrem parricidiali bello prosequatur, Herodem ut liberos & coniuges occidat, Neronem ut matrem interficiat, Et ut testatur totius mundi historia, replet orbem Idolatrijs, haresibus, homicidijs, adulterijs, libidinibus, blasphemijs & infinitis sceleribus, quem furorem & tyrannidem Diaboli in filiis incredulitatis Ecclesia Dei, etiam hoc nostro tempore sentit, cum inauditam seuciam & crudelitatem hostium Euangelij erga innocentes homines, Sacerdotes, senes, sexum muliebrem, honestas matronas & uirgines propter professionem coelestis doctrine exerceri uidemus. Et horrendum ac plane carnicum exemplum est, quod superiori mense Martio in oppido Neoburgo Palatini Electoris contigit.

FVerunt duo fratres hispani, Maiori natu nomen Alphonsi, alteri Ioannis, cognomen Diasis fuit. Alphonsus totus pontifici addictus, captans amplas opes

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

opes & dignitates in Curia pontificis, assessor (ut uocant) rota, cum fratrem in Germania puriorem Euangelij doctrinam amplecti, & cum Reuerendo uiro Domino Martino Bucero, quo præceptore utebatur ex Argentorato Ratisbonam ad institutū colloquium profectum audiret, & eam fortassis rem, si in curiam pontificis promanasset, parituram sibi aliquam apud Episcopos & cardinales suspicionem aut offensionem uereretur, uenit Neoburgum ad fratrem, ubi propter certa negotia eo tempore erat, fingit dolos, ac ut secum in Italiam & Romam proficisceretur persuadere illi conatur.

Multos adfirmat in Italia & Rome esse bonos & pios uiros, qui amplecti uelint restauratam Euangelij doctrinam, sed deesse Doctores, magnam esse messem, sed operarios paucos, Hortatur ut secum eat, multos cum Christo posse lucrifacere. Monet ne hanc uocationem & occasionem amplificandi, Regni Christi negligat, ne pluris faciat sua quam publica & Ecclesie commoda, ac multa alia addit quibus fratris animum permoueri sperabat.

Ioannes ut erat pietatis amantiſſimus, non parum argumentis fratris mouetur, sed in re tanta, statuit

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

statuit non suis aut fratris, sed aliorum doctorum & piorum hominum consilijs parendum esse. Scribit igitur Domino Martino Bucero ac ea in re tum ipsius, tum aliorum omnium qui ex nostra parte ad colloquium missi erant petit consilium. Quia uero omnibus res suspecta uidebatur, ne hoc modo fraudem & insidias fratri strueret, suadent ne cum fratre eant. Obtemperat ille consilijs piorum hominum, quos propter doctrinam & Sacrarum literarum studium uenerabatur, ac respondet fratri se non iturum, ibi grauiter offensus Alphonsus, abit cum indignatione Augustam, ubi perpaucos dies moratus, paratis Equis ueredarijs, redit Neoburgum ad fratrem.

Prius uero quam urbem cum ministro, homine Simo eario quem Roma secum adduxerat, primo diluculo ingreditur, conducit nuncium, cui ante portam urbis, quae adhuc clausa erat, tradit Equos curandos, & se statim rediturum adfirmat. Mox cum porta aperitur properat cum ministro ad hospitium fratris. Nemo in edibus praeter unam ancillam surrexerat, quae pulsanti fores aperit, is se fratrem conuenturum ait, & cum in conclauae fratris uenisset, dedit illi legendas literas, quas cum legere coepisset, minister Alphonsi, securi, quam ueste tectam gerebat, à tergo ceruicem

Ioannis

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Ioannis ferit, ac uno iclu exanimem prostermit, Deinde pluribus plagis in caput impactis interficit. Ita egregia pietate et doctrina præstans uir propter professionem cœlestis doctrinæ miserrimè à fratre plane eodem modo quo Abel à Cain interfectus est.

Hæc horrenda Exempla ostendunt, quæ sit uis & tyrannis Satanae in filijs incredulitatis, ut hic uocat Paulus, & ijs qui Euangelio non obediunt. Non cadit tanta crudelitas & immanitas in humanam naturam, cui Deus pulcherrimas & dulciss. sóφρας perpetuò insitas uoluit, ut quis parentes, coniugem, liberos, fratres, propinquos, aut alios innoxios homines trucidet, aut alia atrocia scelera committat, sed hæc rabies, hic furor Satanae est, ἐνεργωῦντος ἐν τοῖς ἡοῖς τῆς ἀπειθείας, grassantis in impijs, huius hostis Dei & humani generis, non humane naturæ talia opera sunt.

Cum enim nolunt homines obedire Deo, uocanti eos uoce Euangelij ad poenitentiam, & ad agnitionem filij sui, ut donet eis iustitiam & uitam, & incipiat in eis per Spiritum sanctum, naturam, per Diabolum & peccatum corruptam, sanare & restaurare, deserti & auulsi à Deo, sunt uasa iræ, membra & organa Satanae, quibus pro sua libidine ad rabiem & furores suos

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

abuitur. Ac sane res horrenda & deploranda est, hominem ad Dei imaginem, ad innocentiam & eternam uitam conditum, qui templum Dei esse debebat, fieri tram laruam, Sedem, domicilium, cloacam ac instrumentum Satanae, quo ad caedes, parricidia, stupra, incestus, libidines, furta & alia immania scelera, pro suo furore utitur, & maximam partem humani generis ita captiuam à Ditis bolo detineri.

Hanc potentiam Satanae sic grassantis in humano genere saepe sacra scriptura proponit nobis spectandam & considerandam, ac quidem ideo, ut ipsi corruptionem & imbecillitatem nostrae naturae considerantes & deplorantes, quae obiecta tam potenti tyranno suis uiribus resistere minime potest, excutiamus torporem & securitatem, & contra tyrannidem & potentiam huius hostis nostri petamus à Deo auxilium & defensionem. Item sententia sexto praecipiet, & Petrus 1. Pet. 5. Sobrii estote, uigilate, quoniam aduersarius uester Diabolus tanquam Leo rugiens obambulat querens quem deuoret, cui resistite solidi fide &c.

Nisi enim

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Nisi enim hic furor Satanae, quem per impios Cainicos in Mundo, ac praesertim contra pios & Ecclesiam Dei exercet, diuinitus reprimeretur, iam pridem in Germania ad delendam Euangelij doctrinam hoc nostro tempore facta esset uastitas, Tantum odium in hostibus Euangelij Christi erga suos esse uidemus, ut ne frater à fratre quidem uolentis manus coherceat, Manet tamen etiam interfecto Abele à fratre Caino Ecclesia Dei, excitantur alia pia membra Ecclesiae, Seth, Enos atq; ordine plures, per quos uera doctrina spargitur & propagatur, & conseruatur contra Satanae furias Ecclesia mirabiliter duce & defensore filio Dei, sicuti Esai. 51. dicitur. Posui uerba mea in ore tuo, & in umbra manus meae protexi te, ut plantes caelos, & fundes terram &c. Et Christus ait, Portae inferorum non preualet aduersus eam.

Eramus natura filij irae quemadmodum & ceteri.

Clarum hoc testimonium de peccato originali est, quo significat Iudeos non secus ac Gentes

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

non renatos, naturaliter esse filios iræ, Et cum ait Natura nos filios iræ esse. fatetur quidem naturam ut à Deo conditam est, initio fuisse bonam, et Deo caram, & fuisse Adam filium gratiæ, sed post lapsum naturam hominis contaminatam & corruptam, damnatam & abiectam à Deo, ita ut qui post lapsum ex hac corrupta hominis natura nascantur, adferant secum iram Dei & maledictionem, nisi per renascentiam consequantur benedictionem ex Christo Semine Abrahæ, Ideo inquit Christus Ioan. 3. Qui non credit filio non habet uitam, Sed ira Dei manet super eum, Neque enim (ut Augustinus ait) necesse est uenire iram, quæ iam propter peccatum originis & damnatam naturam adest.

Ita breuiter absoluimus primum locum secundi capituli qui est de peccato, Sequitur secundus de iustificatione, quomodo peccatum tollatur, Et qui natura sumus filij iræ, efficiamur filij gratiæ.

ὁ δὲ Θεὸς ὡλοῦσιος ὡρ ἐμ' ἐλέει &c.

SECUNDVS LOCVS HVIVS Capituli est De iustificatione.

VT sonus orationis in hac Epistola propter uerborum splendorem magnificus est, ita & admiranda

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

admiranda dispositio rerum & doctrinae est. Commemora-
 moravit, ut supra ostensum est, Paulus beneficia Christi
 in primo capite, & ea primo loco posuit, ut Ecclesia
 ea semper in conspectu habeat, & ineffabilem bonita-
 tem Dei erga se & agnoscat & praedicet. Deinde in
 secundo capite cum sit docturus quomodo ea benefi-
 cia Christi nobis, fide nempe, applicanda sint, ponit
 primum toti humano generi suam corruptionem &
 feditatem propter peccatum & inobedientiam ob-
 oculos, omnes propter peccatum esse mortuos & irae
 filios, dignos quos Deus perpetuo condemnet & abij-
 ciat, ita servat mandatum Christi Lucae ultimo pre-
 cipientis ut primum poenitentia, deinde remissio pec-
 catorum in ipsius nomine praedicetur.

Orditur autem praedicationem remissionis pecca-
 torum seu locum iustificationis, ab ipsis fontibus &
 causis, & ostendit saepius eadem repetendo & incul-
 cando, non nostras vires, non nostram dignitatem, aut
 Legis opera, sed has esse causas nostrae iustitiae, remis-
 sionis peccatorum, acceptationis, donationis Spiritus
 Sancti & vitae aeternae, misericordiam nempe &
 Charitatem Dei, quae tanta & tam locuples & exun-
 dans fuerit, ut etiam mortuos in delictis dato filio &
 revelato Evangelio de beneficijs filij sui vivificavit &
 resuscitavit

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI
resuscitavit unà cum Iesu Christo filio suo, & nos
coelestibus bonis cumulauerit, Quae omnia infra co
piosius declarabimus.

DE LOCO IUSTIFICA
tionis. Ephe. 2.

Deus qui Diues est in misericordia propter mila
tam Charitatem suam qua dilexit nos, quanquam
mortuos in delictis, conuiuificauit nos Christo (gratis
estis saluati) & simul resuscitauit.

DE DISCRIMINE LE
gis & Euangelij.

VT discrimen Legis & Euangelij certius inteli
gi possit, ordiendum nobis est ab ipsis fonti
bus. Testatur scriptura hominem ad imaginem Dei
initio conditum, quae qualis fuerit, ostendit Summa
Decalogi, Diligas Dominum Deum tuum ex toto
corde, ex tota anima, & ex omnibus uiribus tuis, ac
proximum tuum sicuti teipsum.

Ac primum quidem praecipuum ostendit quale fue
rit cor Adae erga Deum conditorem suum, minime
accensum uera & perfecta notitia Dei, accensum ue
ro & perfecto amore & timore Dei, & uera obe
dientia

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

diencia erga Deum ita ut statueret hunc solum conditorem suum perpetuo sibi colendum & celebrandum, & in eo solo acquiescendum, Tota uoluntas, & actiones omnes Adæ, cõgruebant cum Dei uoluntate, nihil erat auersum à Deo, sed totus amore Dei conditoris & patris sui ardebat.

Deinde quod ad secundum præceptum attinet, Diligas proximum tuum sicuti teipsum, ea erat uis & perfectio amoris perpetua erga omnem posteritatem suam futura, quæ erga Euam uxorem, ut sicuti de Eua, ex ipsius costa extracta, ait, Hoc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, ita ostendit non solum se Euam uxorem suam, sed omnes posteros suos, non secus ac ossa & carnem suam complexurum, sicuti totum humanum genus est os ex ossibus, & caro de carne Adæ & Eue, & talis societas mutua in toto genere humano erat futura.

Hoc modo imago Dei relucebat in homine, ita ut sicuti Dei patris erga filium, et erga Spiritum sanctum, & filij & Spiritus sancti erga patrem quoque, & horum inter se mutuus summus & inenarrabilis amor, & illorum erga omnes creaturas summa bonitas est, ita & in Adam ante lapsum spectabatur ardens & perfectissima

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

fectissima dilectio Dei & proximi. Lucebant quoque in hac imagine Dei illæ uirtutes quæ in Deo sunt summe, iustitia, sapientia, ueritas, castitas, bonitas quas in hanc suam imaginem transfuderat Deus.

In hanc imaginem Dei & immortalitatem nullo suo merito (Quid enim mereretur, nondum conditus?) Sed sola bonitate, misericordia & gratia Dei initio quanquam conditus erat, erat tamen ita conditus ut eam studeret sua erga Deum obedientia retinere, ac tueri ne tam præstantem imaginem per contumaciam & inobedientiam erga Deum conditorem suum uel ipse deformaret, aut per alium quemuis, si cui postea per Diabolum contigit, deformari pateretur.

Ita uidemus Legem ipsam ante lapsum fuisse illam imaginem Dei, ad quam homo initio conditus fuit, Et hanc esse æternam & immutabilem sententiam Dei Creatoris rerum, ut homo obediens Lei Dei, retineat immortalitatem, innocentiam & iustitiam gratis donatam, non obediens amittat illa bona & ipse sibi accersat mortem, iram Dei & poenas corporales æternas, sicuti inquit Deus, In quacunque die conuerderis, morte morieris.

Hec Lex ut Creatura obediat Deo conditori suo, & nisi obediat moriatur ac percat, ut ab Deo lata est.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ita etiam post lapsum in aeternum manet manebitq;
estq; immutabilis Sententia Dei, ut dictum est, Ideo
etiam non tantum in lapideis tabulis, sed etiam in
omnium hominum mentibus inscripta & impressa est,
ut sciant se debere obedientiam Deo.

Insani igitur & furiosi sunt, qui querunt aut du-
bitant an bona opera sint facienda, an obediendum sit
Legi, quae quidem ab initio mundi, usq; ad finem re-
rum durans, omnibus obedientibus promittit uitam
& aeterna bona, inobedientibus autem mortem &
aeternas poenas denunciatur. Ideo Paulus ait Rom. 2.
Gentes quae Legem scilicet scriptam in tabulis ut Iudaei
non habent, sibi ipsis sunt Lex, qui ostendunt opus
Legis scriptum in cordibus suis &c.

Neg; enim imaginandum est Legem quam nocant
moralem hoc est Decalogum datam esse solis Iudaeis
in monte Sinai, sed cum Deus uideret eam in cordibus
hominum, ipsorum contumacia & inobedientia, ferè
deletam & obliteratam, uoluit eam in suo praesertim
populo, illa terribili specie restaurare, ut cognosce-
rent Deum uerè irasci non seruantibus Legem, &
amare seruantes eam iuxta promissionem datam patri-
bus. In semine tuo benedicentur uniuersae cognationes
terrae, hoc est, iuxta Euangelium, sicuti infra dicitur,

T

neg;

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Neq; enim sine Euangelio in hac corruptione naturæ
Lex seruari potest, cum impletio Legis sit Christus
semen Abrahæ.

Reprehendenda & illorum opinio est, qui do-
cent patres Lege naturæ, Iudeos Lege Mosis, nos per
Euangelium quod nihil aliud quam nouam Legem esse
imaginantur, saluari, Neq; enim plures, sed una &
eterna & immutabilis, ut dictum est, Lex est data
Adæ & omni posteritati ipsius: At quæ est illa? Hæc
est, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
ex tota anima tua, ex omnibus uiribus tuis, & proxi-
mum sicuti teipsum, ad quam seruandam Adam cum
omnibus posteris suis obligatus est, & eam seruans
retinet ipse & posteritas illius imaginem Dei, iustiti-
am & uitam à Deo donatam, Violans uero amittit ea
dona, & sibi ac suis accersit mortem & iram Dei.

Ita una Lex est omnium Gentium, & omnium se-
culorum ab initio usq; ad finem mundi semper durans.
Atq; ea quidem ante lapsum non data est ad parandam
ex ea iustitiam & uitam, quam Adam ut creatus
erat ex misericordia Dei, quod hominem iustum
& immortalem condiderat, iam antea donatam
habebat, sed ut in ea seruanda suam obedientiam
erga

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

erga Deum declararet, & donata bona retine-
ret.

Necq; etiam post lapsum ideo manet & durat Lex
Dei inscripta & reliqua in mente & corde ho-
minis, ut ex ea quærat iustitiam & uitam, sed ideo du-
rat, ut ostendat homini suam deformitatem, amisisse
cum Dei imaginem & factum tetram larvam Sata-
næ, extinctam lucem perfectæ cognitionis, extinctum
ardorem amoris & timoris Dei, & dilectionis erga
proximum, uix esse reliquam scintillam illarum præ-
stantissimarum & perfectissimarum uirtutum in na-
tura hominis per peccatum iam corrupta.

Ideo perpetuo in omnium mentibus clamat Lex
Dei, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde
tuo &c. Et proximum tuum sicuti teipsum, quasi
dicat, Hæc ante peccatum, tua fuit præstantia &
excellentia, ut ita perfectè Deum & proximum
diligeres, Hæc tanta bona Dei, iam per tuam contu-
maciam & inobedientiam amisisti, & ideo accersuisti
tibi iram Dei, mortem & æternam damnationem, Et
quanquam tua culpa hæc bona à Deo donata amiseris,
nihilominus tamen Ego ista à te requiro, & Dei

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

2. Cor. 3. uoce & nomine à te postulo, ut quod debes ad quod obligatus es, prestes, Et quia in hac corruptione natura hoc prestare non potest, ideo uides te esse sub maledicto et ira Dei, ita Lex ut Paulus ait, non est ministerium iustitiæ aut uitæ, sed ministerium mortis & maledictionis.

Est enim Lex spiritualis, & hunc spirituales usum Legis, non nisi spirituales intelligunt, quem sola sacra litera docent.

Quia autem etiam in carnalibus manet aliqua notitia Legis, de externa uita regenda, de discrimine honestorum & turpium, ideo quia homines carnales Legem, quæ spiritualis est, intelligere non possunt, fingunt iustitiam in illis externis operibus Legis positam, neque uident Lege ostendi corruptionem naturæ, & accusari internam immundiciam, & flagitari integram obedientiam & internam & externam & eam notiam & dilectionem Dei & proximi, quæ ante lapsum in homine fuit omnium absolutissima. Postea ad ea externa opera Legis affingunt ipsi etiam novos cultus quò Deum colere & placare uelint.

Vident Aristides, Scipio, Cicero atque alij parendum esse rationi præcipienti iusta & prohibenti iniusta, cui cum parent & patrios deos, iuxta preceptum & à patribus

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

patribus traditum ritum colunt, credunt se iustos & fore immortales.

Ita Turcae qui optimi ex ijs sunt ponunt in hoc suam iustitiam si non uolent ius naturæ, si præcepta in Alcorano tradita seruent & iuxta illos cultus ibi traditos Deum colant.

Eodem modo Iudæi ex externis operibus Legis querunt iustitiam. Plane talis est quoque religio eorum omnium qui Pontificum doctrina addicti sunt. Existimant si externa opera Decalogi præstent, si seruent traditiones pontificias, remitti sibi peccata & per ea sperant se mereri uitam æternam, quanquam adhuc in ijs semper maneat dubitatio.

Hæc est iustitia humana, quam humana ratio intelligit & ipsa sibi fingit, & ea una est omnium ætatum & omnium gentium. Neque enim ratio aliam intelligere iustitiam potest quam Legis & operum.

Quare sciendum est omnes homines omnium ætatum obligari quidem ad obedientiam erga Legem Dei, sed quia natura per peccatum corrupta & infirmata, non potest Legi Dei subijci, sed ei acerrimè repugnat, ideo non esse ex Lege querendam iustitiam, neque etiam ideo Legem datam, ut inde queratur iustitia, per peccatum amissa, sed ut ostendat quæ fuerit

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

iustitia ante lapsum, & qualem naturam requirit
Deus, totam illius amore & timore flagrantem, uete-
rem nempe imaginem Dei, ad quam ipse naturam hu-
manam initio condidit, Ita enim inquit Paulus Gala. 3.
Etenim si data fuisset Lex quæ possit uiuificare, uerè
ex Lege esset iustitia.

CVM igitur uocem Legis audis, ne cogites te
uocem uitæ & iustitiæ, sed terroris & mortis,
fulmina & tonitrua montis Synai audire, & ut isthic
non populus solum, sed & summa montium iuga ad
horribilem fragorem contremuerunt & commota
sunt, ita & tu ad uocem Legis ostendentis tibi pecca-
tum tuum, iram Dei & maledictionem, contremisce
& fuge peccata.

Idco enim tam horribili specie data in monte Sinai
Lex est, non ut in ea bonitas & misericordia Dei ad-
pareret, & in ea quæreretur iustitia & uita, sed ut
ostenderet Deus se perpetuò irasci peccatis, & ea se
grauiter puniturum, & ut homines uoce Legis per-
territi, ei aliquo modo obedirent, etiamsi totam præ-
stare & implere non possent, fugerent & odissent
peccata, ideo etiam cum ad Moysen inquit populus, Lo-
quere tu nobiscum & audiemus, & non loquatur no-
biscum Deus, ne forte moriamur, Respondet Moyses,
Ne timueritis, propterea enim ut tentaret uos, uenit
Deus,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Deus, & ut timor ipsius uobis coram oculis sit, ne peccaretis, hoc est, Ideo datur Lex & inscribitur cordibus ac proponitur oculis uestris, ut eius conspectus agnoscentes uestra peccata terreamini, et ne peccetis.

Sic Adā post lapsum retegitur per Legem scditas & deformitas sua, in quam per peccatum inciderat, Erat Adā antea omnium creaturarum pulcherrima, creatus ad imaginem Dei, ornatus iustitia & immortalī uita non fugiebat Deum, sed eo solo tanquam summo bono patre & Creatore suo delectabatur & in eo acquiescebat, At ubi incidit in peccatum, & per Legem illi reuelatur peccatum & turpitudō sua, ibi cui antea in innocentia honestum erat nudum cum Eua sua coram Deo & omnibus creaturis conspici, uidet idem iam turpe sibi post lapsum esse, uidet se exutum & spoliatum omnibus originalis iustitiis bonis, ideo terretur & fugit conspectum Dei, Quae omnia Legis sunt opera, sicuti dicit Adā, Vocem tuam audiui in paradyso, & timui eo quod nudus essem, & abscondi me, cui dixit, Quis enim indicauit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo preceperam tibi ne comederes, comedisti.

Ex Lege igitur non pacatur, non resuscitatur, sed terretur & occiditur Adā, & quanquam in ipso adhuc maneant aliquae scimillae cognitionis amoris &

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

timoris Dei, & dilectionis proximi, tamen imago Dei, perfecta iustitia & uita immortalis per peccatum amissa, non possunt restitui & reparari, Manet enim eterna Lex & sententia Dei, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde &c. quam perfectam obedientiam in iam corrupta natura Adam erga Legem prestare non potuit. Ideo alio remedio prorsus supra & extra omnes uires Adæ posito quo restitui posset, Adæ opus erat, alia uoce non terrente ut Dei conspectum fugeret, & occidente, sed uoce consolante & erigente, ut Deum accedere & inuocare posset, opus erat uoce uiuificante.

At quæ est illa? Hæc est, ipsum semen mulieris conteret caput serpentis. Hæc est uox Euangelij, qua annunciat Adæ, & toti posteritati ipsius gratis propter Christum remissio peccatorum, donatio, Spiritus sancti restitutio, & hereditas eterne uitæ. Caput enim serpentis, est regnum Satane, quod est regnum peccati, iræ Dei, mortis & eterne damnationis. Significat igitur & promittit Deus se missurum filium suum, ex sua natura ab eterno natum, uerum Deum (conterere enim serpentis caput hoc est ut Ioannes ait, destruere opera Diaboli, non est ullius creature, sed solius Dei opus) qui sit adsumpturus humanam naturam, ideo enim semen uocat, hoc est uerum hominem.

EPISTOLAE AD EPHESIOS

minem, sed cum addit, *Mulieris*, ostendit fore ut concipitur de Spiritu sancto, & nascatur ex uirgine. Nam ceteri homines non sunt solius mulieris, sed & uiri semina.

Et cum ait hunc suum & mulieris filium contritum caput serpentis, significat eum aboliturum & destructurum Diaboli potentiam, peccatum & mortem, in qua mala per peccatum Adam cum omni posteritate sua incidere. & restauraturum iustitiam & uitam, dona per peccatum amissa.

Additur autem disertè & significanter uox (ipsum) ipsum semen, ait, conteret caput Serpentis, q. d. Neq; tu tuus uiribus, neq; ulla creatura poterit conterere caput serpentis, sed hic filius meus solus hoc potest cū sit Deus & homo. Estq; plane eadem uis & significatio horum uerborum, ipsum semen conteret caput serpentis, quæ est illorum Pauli Rom. 3. Iustificamur gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.

Sicuti enim uox gratis, ita & hæc uerba ipsum Semen, omnes uires omnia merita nostra excludunt & ostendunt quod sit discrimen Legis & Euangelij, Quid sit
LXX. Legem nempe esse doctrinam ostendentem nobis peccata & turpitudinem nostram, terrentem & accusantem.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

santem nos, postulantem à nobis perfectam obedientiam, quam nisi præstemus denunciatur nobis iram Dei, maledictionem ac æternam mortem.

Hanc uocem audierat Adam, & ideo conspectum Dei fugerat, & erat iam insensu iræ Dei & horrore mortis, & haud dubiè etiam corporaliter fuisset extinctus, nisi iterum promissione & dulcissima uoce Euangelij ex morte fuisset reuocatus & sustentatus.

Videt se iam in potestatem Satanae, in peccatum, in iram maledictionem, mortem & infernam esse delapsus, uidet item ex his tantis malis & miserijs sese eluctari suis uiribus minimè posse, ideo angitur, et tandem haud dubiè etiam secuta fuisset desperatio, sed ubi suauissimã Euangelij uocem audit, ipsum semen mulieris, cõteret caput serpentis, ibi rursus ex morte ad uitã reducitur, intelligit enim cum ipse suis uiribus caput serpentis, id est, potentiam Satanae, sub qua iam erat, destruere non posset, Deum hoc gratuito ex sola misericordia facturum.

Neq; enim hoc tantum beneficium sed mortem meruerat Adam, ita Adæ, cui nihil nisi mors, ira Dei, & æterna damnatio, debebatur, datur mox post lapsum, ne prorsus in desperatione pereat, promissio iustitiæ & æternæ uitæ gratis & ex sola misericordia

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

dia, quã ille letus fide arripiens et ea se in omnibus ter-
roribus et miseris in sine uitæ usq; sustentans, saluatur.

Hoc modo Deus in Adam primo homine immen-
sam & ineffabilem suam bonitatem & misericordiam
erga totum genus humanum declarare uoluit, sicuti
enim cum Adam iam in peccatum & mortem pro-
lapsus esset. Deus eius gratuito miseretur & dat ei
promissionem, de uenturo liberatore qua se sustentet,
& credat propter illum, Deum fore placatum & re-
conciliatum sibi, & restitutum sibi amissa bona, iu-
stitiam & uitam, & ita credens Adam saluatur, eo-
dem modo & omnis posteritas habet ipsum patrem
suum Adam exemplar, ut similiter omnes credentes
uel in hoc promissum, & uenturum, uel in iam exhi-
bitum semen mulieris, gratis & ex sola misericordia
saluentur.

Est igitur Euangelium doctrina, quam ratio hu-
mana per sese non intelligit, unde et mysterium
absconditum à seculis à Paulo uocatur, quæ uoluntatem
& bonitatem Dei erga genus humanum patefacit, quod
uidelicet Deus agentes pœnitentiam, gratis ex sola
misericordia sine nostris meritis & operibus propter
filium mediatorem, placatorem et pontificem nostrum
uelit recipere, remittere eis peccata, donare iustitiam,
Spiritus sanctum & uitam æternam.

Est autem utraq; doctrina opus in Ecclesia Dei, Lege

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

ut ostendat peccatum & iram Dei, & ut coherceantur Lege impij, ac ut ostendat quæ opera requirat Deus, & ut sit pædagogus in Christum, Deinde etiam uoce Euangelij opus est, quæ mentes perterritæ Lege, rursus erigantur, & cum nemo satisfacere possit Legi, & omnes qui sub Lege sunt maneant in dubitatione & sub ira & maledicto, ideo opus est Euangelio, quod annunciet nos non propter Legem aut opera seu merita nostra, sed propter Christum gratis saluari. Paulus autem ideo toties uocem GRATIS inculcat, ut ostendat discrimen Legis & Euangelij, Lex enim promittit iustitiam, sed factoribus, qui ipsam totam impleant. At Euangelium quanquam & ipsum requirat poenitentiam & obedientiam, tamen cum ea in hac uita perfecta esse non possit pronunciat nos gratis propter Christum iustos, non propter Legem aut nostram obedientiam, Atq; hic est consensus & sententia totius sacræ scripturæ, sicuti ait Petrus Act. 10. Huic omnes Prophætæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

Nunc de uocabulis iustificationis, fidei & Gratiæ dicendum est. Harum enim uocum significationem, in quibus Prophætæ & Apostolis utuntur, cum de præuincunt

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

prauent aduersarij, ualde refert in hoc negotio uim bene cognitam habere.

De uocabulis Iustificationis
& Gratiae.

ADuersarij cum de Iustificatione loquuntur, ita eam uocem accipiunt ut Iustificari, sit ex peccatore iustum fieri, atq; id quidem (ut ipsorum uerbis utamur) fieri per communicationem & infusionem gratiae Dei, & hoc ipsam probant hoc Pauli loco Iu- Rom. 3.
stificati gratis per gratiam ipsius, ubi dicunt Paulum per gratiam intelligere donum infusum, & hanc interpretationem probant ex eadem Epistola Rom. 5, Cum ait Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, Et ibidem, Non sicut delictum, ita & donum, ubi aiunt Paulum per donum gratiam intelligere.

Quaquam autem & hoc attexant, in iustificatione peccatoris remitti peccatum per Christum mediatorem & gratiam infundi, idq; fieri ex mera Dei gratia nullis meritis nostris, tamen gratiam non intelligunt gratuitam acceptationem, et remissionem peccatorum propter mediatorem, sed dona illa per gratiam infusa propter iustitiam Christi fidem nempe,
spem

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

spem & charitatem, & docent ita partim merito Christi, partim donis istis fide, spe, Charitate a Deo nobis infusis confidendum esse.

Ita aduersarij corrumpunt significationes harum uocum iustificationis & Gratiæ, iustificari dicunt esse ex peccatore iustum fieri, atq; hoc quidem non intelligunt, non imputari peccata propter Christum, sed iustificatos fide, spe & charitate donis infusis, ita iustos fieri, ut sint sine omni peccato & habeant iustitiam non imputatam, sed reipsa donatam, inchoatam & inherentem, & quanquam ea iustitia, quod ad nos attinet, imperfecta sit, perfectam tamen esse quod ad donum Dei attinet, & quia sanguine Christi aspersa & tincta est, Et postea addunt talem iustum non peccare mortaliter & implere Legem, & quanquam eam totaliter implere non possit, implere tamen pro modo huius uitæ ita enim loquuntur.

Ita aduersarij uocem iustificari accipiunt secundum uim et significationem latine uocis, pro eo quod est iustum fieri, hoc est, habere inherentem seu actiuam iustitiam.

Sciendam igitur est uerbum iustificari hebreis esse uerbum forense, ac idem esse quod est secundum aliquem pronunciari, Esaie. 5. Qui iustificatis impium pro

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

pro muneribus &c. Prouer. 17. Qui iustificat im-
 pium, et qui condemnat iustum, abominabilis est uterq;
 apud Deum Esa. 50. Iuxta est qui iustificat me. Quis
 contradicet mihi? Stemus simul, quis est aduersarius
 meus? accedat ad me, Ecce Dominus Deus auxiliator
 meus, Quis est qui condemnet me? Ex quo loco Esa:
 Paulus suum sumens Rom. 8. eadem significatione hoc
 uerbo utitur cum ait. Quis accusabit electos Dei? Deus
 est qui iustificat, id est, Deus iudex iustus, pronunciat
 electos suos credentes in filium suum esse iustos, fert
 pro eis sententiam, absoluit eos ab accusatione. Ita He-
 breis uox iustificari, significat absolui & secundum
 aliquem pronunciar.

Hæc est propria & genuina significatio uocabuli
 iustificari, Deinde per metaphoram à forensibus iudi-
 cijs, transfertur significatio ad iudicium conscientie
 coram Deo, cum coram Deo iudice accusamur &
 nobis dicenda causa est, ibi significat quoq; secundum
 aliquem pronunciar, absolui, condonari peccata,
 & reconciliari Deo & recipi à Deo, donari
 iustitia & Spiritu sancto ac saluari, qua significatio-
 ne quoq; interdum Prophete, Apostoli autem fre-
 quentissime utuntur, & præcipue Paulus, Ita David
 Psal. 142. Domine, ne intres in iudicium cum
 seruo

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

seruo tuo, Quia non iustificabitur in conspectu tuo
 omnis uiuens. Non iustificabitur id est cum in tuum
 iudicium nemo hominum sine peccatis ueniat, igitur
 nisi tu tollas iudicium de peccatis nostris & ea nobis
 condones & nostri miserearis, nemo poterit iustifica-
 ri, hoc est pronounciari iustus & saluari, Et acto. 13.
 Notum sit uobis uiri fratres, quod per hunc uobis re-
 missio peccatorum annunciat, & ab omnibus à qui-
 bus non potuistis per Legem Mosi iustificari, per hunc
 omnis qui credit, iustificatur, ubi clari uerbis osten-
 ditur uocem iustificari, significare absolui & remitti
 peccata.

Cum igitur Paulus ait, iustificati gratis per gra-
 tiam ipsius, non hoc uult, quod Aduersarij dicunt, per
 infusionem gratiæ, hoc est per fidem spem & chari-
 tatem, dona illa per gratiam infusa, tanquam per
 causam simul cum Christo Efficientem & operantem,
 nos ex peccatoribus fieri iustos, & esse sine peccato,
 & postea seruare & implere legem. Sed uera ac pro-
 pria sententia Pauli hæc est, nos iustificari id est absol-
 ui, iustos pronounciari, remitti nobis peccata, nos à
 Deo recipi & saluari, non propter aliquod donum
 diuinitus & gratis, seu ex misericordia, nobis infu-
 sum, quo tanquam diuino dono in nobis lucente &
 operante simus grati & accepti Deo, sed sicuti ipse
 ait iusti

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ait, Iustificati sumus gratis, hoc est sine ullo uel nostro merito uel Dei etiam dono nobis infuso, quod uel partialis aliqua causa iustificationis esse possit, sed gratis per gratiam, id est, misericordiam ipsius, iusti sumus. Significat enim hoc loco gratia Misericordiam, seu Remissionem peccatorum, seu acceptationem gratuitam. Et Rom. ii. Reliquiae secundum electionem gratiae factae sunt. Quod si per gratiam, non iam ex operibus, Quandoquidem iam gratia non est gratia, si ex operibus iam non est gratia.

Ac simplex sententia Pauli est, cum ait, Iustificari nos gratis gratia ipsius, quo ostendit, nos non uel propter aliquod nostrum meritum, uel Dei etiam donum nobis infusum & inherens, sed propter filium Dei gratis, & ex sola misericordia absolui, accipere remissionem peccatorum, reputari iustos & saluari. Ideo disertis uerbis addit, Per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem, per fidem, interueniente ipsius sanguine, significat nos solum per sanguinem huius uictimae filij Dei habere reconciliationem & nulla re alia, sicut & Petrus ait, Non est in alio salus.

Corrumpunt igitur Aduersarij significationem uocis Iustificari, cum ex interpretatione Augustini di-

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

cunt idem esse quod ex peccatore iustum fieri per communicationem & infusionem gratiæ Dei, cum iustificari apud Apostolum Paulum significet absolui & remitti credentibus in Christum peccata.

Corrumpunt item significationem uocabuli gratiæ, cum affirmant uoce gratiæ significari donum infusum, cū gratia in eo loco, ut supra ostensum est, nihil aliud sit quam misericordia & gratuita acceptatio ad uitam æternam. Eodem modo & sententiam Pauli deprauant, quæ suam interpretationem de gratia, dono nempe probare nituntur, cum inquit Paulus Gratiæ Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Rom. 5.

Q Vanquam autem Augustinus de dilectione qua nos Deum diligimus, eam sententiam intelligat, de qua interpretatione uiderit ipse, tamẽ certum est Paulum hic loqui de ea charitate, qua Deus in unigenito filio suo nos diligit, ea charitas Dei cum per Euangelium nobis annunciat, et a patris creditur, diffunditur per Spiritum sanctum in corda nostra, ita, ut ineffabilem Dei erga nos amorem, quod per filium suum nos uoluit esse redemptos, agnoscamus, & eum rursus diligere, celebrare ac ei obedire incipiamus.

ita Christus proponit nobis Dei charitatem erga nos. Ioan. 3. considerandã, ut accepta & credita diffundatur.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

datur per Spiritum sanctum in corda nostra, & is de-
 cendat nouam lucem & uitam in nobis, cum ait. Sic
 Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum,
 &c Et Ioannes Apostolus negat nostram dilectionem
 esse causam iusticie & salutis nostre, sed charitatem
 Dei, cum 1. Ioan. 4. ait, in hoc est charitas non quod
 nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, &
 miserit filium suum propitiatorem pro peccatis no-
 stris.

Ac contextus ipse uerborum Pauli in eo loco Ro. 5.
 ostendit, hanc esse ueram & genuinam ipsius senten-
 tiam, dicit enim pios cum affligantur ideo non pude-
 ri & confundi, cum sperent & cum sciant se à Deo
 respici & diligi, Et cum dilectio Dei, qua ipse nos di-
 ligit, per nos agnita & per Spiritum sanctum in cor-
 dibus nostris accensa & diffusa, nos in afflictionibus
 sustentet & confirmet, & huius dilectionis Dei erga
 nos certissimum signum ait esse Paulus, quod suam
 charitatem erga nos commendat Deus, quod cum ad-
 huc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus
 fuit. Ita Paulus seipsum exponit, se non de nostra, sed
 de Dei erga nos dilectione loqui, Et discrete ait, com-
 mendat S V A M charitatem erga nos Deus, non aut
 nostram charitatem erga illum.

Hæc uera Pauli sententia est, Etsi eam Augu-
 stinus

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

stinus de nostra dilectione interpretatur. Ita et Chry-
 sostomus de Dei erga nos dilectione sententiam Pauli
 intelligit. sic enim hunc ipsum locum exponit. Nunc
 uero dilectionis suæ feruorem, hinc potissimum osten-
 dit, quod non paulatim nos, aut modice honorauit,
 sed simul bonorum quasi fontem in nos effudit, idq;
 prius quam esset certatum. Noli itaq; etiamsi non ad-
 modum dignus fueris animū despondere, cum habes
 tam ingens patrociniū iudicis, Videlicet Dilectionem.
 Propterea quippe & ipse Apostolus, cum dicit, spes
 non confundit, non nostris recte factis, sed dilectioni
 Dei, rem omnem acceptam fert.

Ita & hunc locum eiusdem capituli, quem citant
 deprauant, Et non sicut delictum ita & donum ubi
 donum gratiam (ut ipsi uocant) infusam intelligunt,
 quæ uerba Paulus ipse in mox sequentibus uerbis in-
 terpretatur cum ait, Nam si unius delicto multi mor-
 tui sunt, multo magis gratia Dei & donum per gra-
 tiam, quæ fuit unius hominis Iesu Christi, in multos
 exuberauit, Vbi contextus ipse per se clarus, docet
 per gratiam significari remissionem peccatorum &
 acceptationem gratuitam, per donum autem gratia-
 tam donationem iusticiæ, Spiritus sancti et uitæ eter-
 næ, sicuti statim se declarat, cum ait, Multo magis hi
 qui

EPISTOLAE AD EPHESIOS

qui exuberantiam gratiae, & doni iustitiae accipiunt per uitam regnabunt, auctore uno Iesu Christi.

DE VOCABULO FIDEI.

Aduersarij cum de fide loquuntur, cogitant fidem esse donum quoddam Spiritus sancti, cum quo coniuncta sit spes & charitas, & illa dona cum diuinitus sint data, tanti à Deo fieri, ut propter illa remittat peccata, donet iusticiam & uitam eternam. Sic enim contra nostram doctrinam uociferantur. Non est ferenda, dicunt, sententia, fidem spem, & charitatem, preciosissima ac inestimabilia Dei dona, quae Christus suo merito nobis comparauit, non reddere iustum, cum nulla sunt Dei dona praeter gloriam beatitudinis, ijs uel maiora, uel Deo magis accepta, utpote per quae Spiritus sanctus nos inhabitet, ipsiq; Deo mirabili conglutinet Vnione, sicuti Euangelium, Apostolicae Epistolae, ac patres omnes nobis attestantur. Haec sunt ipsorum uerba.

Ita uidemus aduersarios cum de fide agunt, tantum se ac suas uirtutes, ac dona (ut ipsi uocant) infusa inueniri & considerare, & statuere quod propter illa sint iusti & accepti Deo & dari ipsis uitam eternam.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Est igitur fides aduersarijs nihil aliud, quam notitia historię Christi, quę adhuc informis & mortua est, ad quam cum accedunt spes, Charitas & reliquę uirtutes tum formatur, ut sit uiua et efficax. Et ad hoc citant dictum Pauli Galat. 5, Fides per dilectionem operatur. Deinde propositionem sola fide iustificamur, ita interpretantur, Patres sic ufos esse, ut per fidem intelligerent operantem per Charitatem, & per Vocem (Sola) excluderent opera præcedentia iusticiam.

Satis igitur apparet aduersarijs longe aliud significare fidem, quam quod sacrę scripturę docent, Et cum de fide agunt eos non cogitare de promissione, & de Mediatore Iesu Christo filio Dei, sed & promissiones & filium Dei illis prorsus sepultum. Itaq; illis & promissiones & filius Dei promissus & exhibitus prorsus inanis & nullus usus est.

Nos uero ex Prophetarum & Apostolorum scriptis, cum de fide agimus, non consideramus aliqua Dei in nobis dona, quibus uarijs credentes à Spiritu sancto ornari, nemo negare potest, sed intuemur promissiones gratuitas Dei, in quibus ipsius misericordia erga nos lucet & conspicitur, Et Euangelium de filio Dei, cui qui certa & firma fiducia assentitur & inmititur, eam dicimus habere fidem.

Fides

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Fides igitur nihil aliud est, quam certa & firma fiducia in animo hominis, ex uerbo & gratuita promissione Dei concepta, illa sola promissione & studio Dei Mediatore, quem promissio offert nitens, quæ mens hominis sese contra terrorem legis, peccati, diaboli et mortis sustentat ac confirmat. Quæ fiducia ubi ex uerbo audito ita concepta est, datur simul Spiritus sanctus, qui nouam lucem & uitam in nobis accendit, & suis fructibus nos ornat ut spe, Charitate, bonitate, continentia & alijs omnibus quæ Gal. 5. enumerantur. Ita uidemus in Actis, eos qui sermoni Apostolorum primum credunt, postea accipere Spiritum sanctum. Neq; enim operibus ullis, sed ut Paulus Galat. 3. ait, promissio Spiritus per fidem accipienda est. Vbi enim promissio est, ibi necesse est adesse fidem acceptantem promissionem, alioqui irrita & inanis erit promissio, nisi sint qui datam & factam promissionem certa fiducia accipiant, ut cum Imperator aut Princeps promittit tibi securitatem, hic certe necesse erit illam promissionem fide amplecti, alioqui inanis & frustranea erit promissio. Sic fides nihil aliud est quàm acceptatio diuinæ & gratuitæ promissionis.

Quare cum remissio peccatorum, iusticia, donatio Spiritus sancti, & hereditas æternæ uitæ, gratis omnibus agentibus pœnitentiam sit promissa, non hic spe

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Et charitate ad illa consequenda, sed fide acceptante
 promissionem, Et illa bona in promissione oblata,
 opus est, sicuti Et Rom. 4. dicitur Iccirco ex fide da-
 tur hereditas, ut secundum gratiam, hoc est gratui-
 to, sine opere aut merito aliquo ut firma sit, promi-
 ssio. Vniuerso semini, non ei, quod est ex lege tantum,
 uerum etiam ei quod est ex fide Abrahae, qui est pater
 omnium nostrum.

AC fidem quidem nihil aliud esse, quã certam, et
 indubitatam fiduciam, nitentem gratuita Dei
 promissione certissimis Et clarissimis uerbis, quæ nula
 la calumnia obscurari possunt, declarant ibidem se-
 quentia uerba, cum ait Paulus, Abrahae facta est hæc
 promissio a Deo, sic erit semen tuum. Hic ponit Paulus
 promissionem, quæ cum gratuito ex sola misericor-
 dia Dei Abrahae detur, sola est causa eius propagatio-
 nis iusticiæ Et uitæ de qua loquitur promissio.

Sed postea ostendit, quomodo hoc ingens Dei be-
 neficium in promissione exhibitum, sibi applicauit, si-
 de nempe, Et eam dicit esse fiduciam certam, nitentem
 nulla alia re, quam data promissione, sic enim ait, Et
 non infirmatus fide, non considerauit suum ipsius cor-
 pus, iam emortuum, cum centum annorum esset, neq;
 emortuum corpus Saræ uerum ad promissionem Dei
 non

EPISTOLAE AD EPHESIOS,

non hesitabat, ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione concepta, quod is qui promiserat, idem potens esset & prestare.

Sic datam promissionem, fide apprehendit & sibi applicat Abraham, sicuti etiam Gen. 15. dicitur, sic erit semen tuum, quae est promissio, & statim sequitur eius applicatio & promissionis correlatiuum, Fides, Creditur Abraham Deo & reputatum est ei ad iusticiam,

Sanctissimi patres, Adam, Seth, Enos, Noë, & Patriarchæ, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Deinde Moses cum Prophetis Samuele, Dauide, Elia, Eliseo, Esaiâ, Hieremia, postremo Baptista & Apostoli Petrus & Paulus, cummulatissime, ut ulli sanctorum ornati sunt illis præstantissimis donis Dei quæ iactant Aduersarij, & quibus cum fide tribuant iusticiam, ut sunt spes, Charitas, patientia & aliæ uirtutes, sed quoties in terrorem peccati & iræ Dei uenit Adam, non intuetur illas suas uirtutes, per spiritum sanctum (ut aduersariorum uerbo utamur) sibi infusas, neque illis nititur, quanquam excellentissimis donis Dei, sed intuetur promissionem de semine mulieris, ex illa sese sustentat cam fide sibi propriam facit, sicuti ipsi & posteritati eius data erat, credit sibi condonata peccata, se accep-

E NARRATIO CAPITIS SECVNDI

tum Deo, donatum sibi Spiritum sanctum, se esse filium
 & heredem Dei, gratis, propter hoc semen mulieris
 promissum.

Sic Baptista quoties peccata & iram Dei sentit,
 non consolatur se donis Spiritus sancti quibus ornatus
 esset spe, charitate, dono continentie & abstinentie,
 patientia, & reliquis summis uirtutibus, sed intuetur
 ipse, & omnes alios in eodem sensu peccatorum &
 iræ Dei, intueri iubet filium & agnum Dei. Ecce in-
 quit Agnus Dei qui tollit peccata mundi, Hanc uicti-
 mam solam affirmat placare iram æterni Patris, &
 tollere peccatum, sic & Esaias inquit. Vbi posuerit
 pro peccato animam suam. Et ibidem, Noticia sui ser-
 uus meus iustus multos iustificabit, ipse enim portat
 peccata ipsorum. Vocat autem Propheta hic noti-
 ciam non historie, qualis etiam in impijs & diabolis
 est, sed fiduciam certam qua statuas te propter hunc
 seruum, & agnum Dei, portantem peccata tua
 te iustificari, hoc est, a peccatis absolui, te filium et her-
 edem Dei.

Quoties igitur fidem nominari audis, intueri
 non te aut Spiritus sancti in te dona, sed hunc
 agnum filium Dei, gestantem tua, mea & totius mun-
 di peccata, Et crede huic uoci Euangelij, quod Christus
 Iesus uenerit in hunc mundum, ut te peccatorem &
 omnes

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

omnes alios peccatores agentes poenitentiam saluos faceret. Hoc est fides uiua, certa & indubitata, fiducia misericordiae, quam misericordiam aeternus pater tibi in promissione sua gratis propter filium suum offert.

Stephanus moriturus, cum iam lapidibus obruitur, plenus (ut Lucas ait) Spiritu sancto, non considerat illa Spiritus sancti in se egregia dona diligentia in docendo Euangelio, patientiam in afflictionibus, constantiam in confessione, spem, Charitatem & reliquas uirtutes, sed intentis in caelum oculis uidet gloriam Dei, & Iesum stantem a dextris Dei, propter hunc Iesum stantem a dextris Dei, statuit se acceptum Deo, & haeredem esse aeternae uitae. Hac fiducia erectus & confirmatus ait, Domine Iesu suscipe Spiritum meum, certus est suum spiritum non esse Diaboli, sed solius Iesu Christi, quem scit fore custodem huius sui Spiritus. Hanc certitudinem non habent ex donis suis per Spiritum sanctum sibi infusis ex spe aut charitate, sed ex auditu Euangelij, cui credit ac scit se habere protectorem filium Dei.

Certum igitur est fidem respicere solam promissionem & ea sola, nullis donis Dei, nisi, Et intueri solius Christi meritum, qui suo sanguine & morte iusticiam, remissionem peccatorum, Donationem Spiritus sancti et uitae aeternae hereditatem nobis meruit.

Apparet

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Apparet itaq; quod sit discrimen inter fidem nostram, quam cœlestis doctrina tradit, & inter eam, quam aduersarij adserere, uolunt. Seiungamus igitur nos à doctrina aduersariorū, quæ blasphema est in filium Dei, & corrumpit scripta Prophetica & Apostolica, & quæ fidem cum dubitatione coniungit;

Quanquam enim uerum sit dubitationem etiam in credentibus remanere, tamen fides perpetuo cum ea luctatur, & scit fundamentum suum quo innixa est esse firmum & certum, promissionem nempe Dei, qui fallere, & mentiri non potest, neq; fidei quicquam tam contrarium est, quam dubitatio, quam tamen cum ea coniunctam esse debere, docent aduersarij.

DE PARTICVLA SOLA.

Postremo cum aduersarij dicunt, uocem (Sola) patres ita accepisse, ut intelligerent per eam excludi tantum opera iusticiam præcedentia, ea calumnia minime concedenda est. Certum est enim, Paulum, cum ait, gratis iustificamur, excludere non quidem illa opera bona, sed merita et dignitatem omnium operum præcedentium & sequentium, & eorum etiam quæ cum fide coniuncta sunt, & cum hoc uelle, nos iustificari sine dignitate aut merito ullorum operum gratis

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

gratis propter Christum, Quia opera non possunt
opponi iudicio Dei, neque sunt pretium quo redempti
sumus, sed solus Christus dedit se in redemptionem
pro omnibus. Igitur cum dicimus sola fide iustificamur
hoc dicimus, gratis fide propter SOLVM Christum
remittuntur nobis peccata, datur Spiritus sanctus &
uita aeterna non propter operum dignitatem. Et uox
SOLA non excludit opera, sed negat ea esse causas
reconciliationis, & pretium redemptionis & osten-
dit solum Christum esse reconciliatorem & redemp-
torem. Sic cap. 4. ad Rom. Ei qui non operatur, Cre-
denti autem in eum qui iustificat impium, reputatur
fides eius ad iusticiam. Et ad Titum. 3. Non ex operi-
bus iusticiae quae fecimus nos, sed secundum misericor-
diam suam saluos nos fecit. Sic etiam S. Ambrosius uocem
SOLA interpretatur. i. Cor. i. Datam dicit gratiam
in Christo Iesu, quae gratia sic data est in Christo Iesu,
quia hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Chri-
stum saluus sit sine opere, SOLA fide gratis accipi-
ens remissionem peccatorum.

DE VOCABULO IUSTICIAE.

Iusticiam aduersarij definiunt hoc modo, esse uir-
tutem qua Christus sua obedientia, suaeque iusticiae
meruit.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

meruit nobis liberationem ab inobedientie peccato,
quam uirtutem & iusticiam tum percipimus, quando
fide, spe & charitate per ipsum iustificati ei coniun-
gimur, ut simus unum cum ipso corpus. Huius autem
iusticie dicunt charitatem esse formam, seu illud quo
primum & proprie iusticia constat, Ac huic iusticie
hanc uim tribuunt, ut qui hanc habeant, sint uere
iusti apud Deum, & legem eius impleant, & sint sine
peccato.

Addunt autem se non reijcere Christi iusticiam, &
suam statuere, sed se maxime Christi iusticia niti &
confidere, per quam ipsorum iusticia, (quam per
fidem, spem, & charitatem in ipsis habent) efficaciam
suam habeat, Ita intelligunt iusticiam esse uirtutem
quandam inherentem pijs, quam Christus sua iusticia,
per fidem, spem & charitatem in ipsis operetur.

Deploranda profecto Aduersariorum esset cecita-
tas, nisi pertinaciter suos errores defenderent &
scientes summa obstinatione in Spiritum sanctum pecca-
rent, qui cum de iusticia docent, plane ipsi igno-
rant, quid dicant, & uere sunt, (ut Christus ait) Cæci
& duces cæcorum, Dicunt Christum sua iustitia &
obedientia nobis meruisse liberationem a peccato, sed
eam iusticiam tum contingere nobis, cum fide, spe,
& charitate

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Et charitate per ipsum iustificamur, et ei coniungimur. Ita duplicem iusticiam ponunt, unam Christi, qua Christus iustus est, Alteram nostram constantem fide, spe et charitate, qua nobis inherens et propria iustificans iusticia sit. Sed et hos confusos suos errores pingent, addunt Christi iusticiam tribuere huic suae iusticiae hanc vim et efficaciam ut iustificet.

Ita satis apparet, eos iusticiam nihil aliud intelligere quam opera illa, quae a renatis auxilio Spiritus sancti fiunt. Sed hos errores suos, ideo sic pingunt et defendunt, ut doctrinam ceterorum operum, et traditionum humanarum, de uotis, Missa, inuocatione mortuorum, restituere possint, uident enim hoc esse fundamentum, super quo ipsorum Ecclesia est fundata, quo sublato, necesse est totum aedificium corruere.

Quaquam igitur et nos doceamus fidem, spem, et charitatem, et reliquas uirtutes Spiritus sancti opertere esse in renatis, tamen illa opera quae Christus et Spiritus sanctus in nobis operantur, non sunt iusticia nostra, hoc est, non sunt illud praecium seu meritum propter quod delentur peccata.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

peccata, propter quod ad uitam eternam recipimur.
Estq; maximum discrimen inter iustitiam nostram
& Dei iusticiam.

Paulus habet suam iusticiam, habet fidem, spem
Charitatem, hoc est, iusticiam bonæ conscientie,
quam iustitiam Christus & Spiritus sanctus in eo ope-
rantur, sustinet ingentia pericula & certamina in
propagatione et confessione Euangelij, et est pulcher-
rimum sui seculi omnis innocentie & uirtutis lumen,
Et tamen huic suæ iusticiæ non tribuit eam uim, ut
propter eam sit coram Deo iustus, hoc est, acceptus ad
uitam eternam, Sic enim ait, nihil mihi conscius sum,
sed per hoc non sum iustificatus.

Circumfert igitur in pectore suo aliam iusticiam,
qua nititur Paulus, Christum nempe, propter quem
sibi remitti peccata, se recipi à Deo credit, sicuti
1. Cor. 1. ait, Christus factus est nobis sapientia à Deo,
iusticia, sanctificatio, & redemptio, ut quemadmo-
dum scriptum est, qui gloriatur in Domino gloriatur,
Non uult quenquam in sua iusticia, qualis qualis, &
quanta quanta illa sit, gloriari, sed in Dei iusticiis, que
est, Christus, propter quem Deus pro iustis nos accep-
tat & reputat ad Philip. 3. ut inueniar in illo, non ha-
bens meam iusticiam ex lege, sed eam que per fidem
est Chri-

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

est Christi quae est ex Deo, iusticiam in fide. Vocat iusticiam non factorum aut operum Spiritus sancti, sed fidei & Dei iusticiam.

Eodem modo & Daniel Propheta uir sanctissimus, plenus Spiritu sancto, ornatus omnibus summis donis Spiritus sancti, tamen illis non confidit, non credit propter illa sua diuina dona se acceptum Deo, se respici & exaudiri, sed habet aliam nempe Dei iusticiam in conspectu, propter quam se acceptum Deo, & suas preces exaudiri statuit, nempe propter Dominum Iesum Christum, Ita enim Cap. 9. Deum inuocans ait. Exaudi Deus noster orationem serui tui, atq; deprecationem eius, & illumina faciem tuam, super sanctuarium tuum, quod est desolatum propter Dominum. Item non in iusticijs nostris, nos prosternimus deprecationes nostras in conspectu tuo, sed in miserationibus tuis multis. Non nititur Daniel sua iusticia, aut donis per gratiam infusis, sed petit se exaudiri propter Dominum, & confugit ad misericordiam Dei, & credit se nullam aliam habere iusticiam quam gratuitam misericordiam propter Christum Dominum.

Quare iusticia Dei, non est qua Deus iustus est, sed est remissio peccatorum, misericordia & acceptatio gratuita, donata propter SOLVM Christum,

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Christum, cum qua remissione coniuncta est donatio Spiritus sancti, & hereditas uitae aeternae. Haec bona, fide agnoscenda & accipienda sunt.

Quia enim omnes errauerunt & inutiles facti sunt, & non est qui faciat bonum, ne unus quidem ac omnes peccauerunt & ideo rei sunt irae Dei & aeternae mortis, & prorsus nulla in hac uita potest esse iusticia quae coram Deo iustificet, ideo ne totum genus humanum periret, necesse fuit aliam, cum in nobis nulla sit, à Deo constitui iusticiam, quae est, quod ex ineffabili bonitate & misericordia propter filium, condonare uult peccata, & nos ad societatem aeternae uitae recipere,

Haec iusticia non est in nobis aut in nostris uiribus, sed extra nos & in Deo, & hanc Deus ipse gratis sine aliquo nostro merito offert nobis, in qua non nos Deo aliquid praestamus, sed quam ipse nobis donat gratuito, & ex sola misericordia, propter filium Mediatorem & Pontificem nostrum, quod nos propter ipsum iustos reputat, donat Spiritum sanctum, qui nouam & aeternam uitam hic in hac uita nobis inchoat, perficiendam, ubi corpus peccati fuerit

EPISTOLAE AD EPHESIOS

facit abolitum, & in corpus incorruptibile transformatum, in altera uita.

Hac est iusticia à Deo promissa, & deinde, uoce filij Dei Prophetarum, & Apostolorum orbi terrarum patefacta quam humana ratio alias percipere non potuisset, sicuti sonant testimonia Prophetarum Esai. 43. Ego sum, Ego sum, ipse qui deleo iniquitates tuas propter me. Narra si quid habes ut iustificeris &c. Et Hieremie 23. & 33. Ecce dies ueniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit & faciet iudicium & iusticiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod uocabunt eum Dominus, qui est iusticia nostra, Et Osee. 2. Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iusticia, & iudicio & in misericordia & in miserationibus, & sponsabo te mihi in Fide & scies quod ego Dominus.

Hac est Dei iusticia, & est iusticia ex misericordia à Deo promissa, quæ in Euangelio reuelatur, & nobis gratis offertur, & cum sit promissa, ideo non consistit in facto & opere, ut aliæ iusticiæ, legalis aut Pelitica, sed in fide. Ideo etiam Paulus uocat iusticiam quæ est ex fide ut eam discernat ab alijs iusticijs.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

qua sunt ex facto & opere, sed aduersarij de nulla alia iusticia norunt, quam quæ in factis, operibus & meritis consistit.

Fatemur autem cum hac Dei iusticia, hoc est, misericordia, qua peccata propter filium gratis remittuntur, coniunctam esse debere, poenitentiam, spem, charitatem & totius uitæ nouitatem, sed negamus hanc esse illam iusticiam, propter quam remissio peccatorum, & uita aeterna contingit, sed eam esse gratuitam misericordiam, quod propter Christum iuste reputamur, iustificamur, hoc est, à peccatis absoluiamur, & uita aeterna donamur.

Hæc est uera iusticia piorum patefacta nobis per filium Dei, Prophetas & Apostolos & per consensum catholice Ecclesie Christi approbata, sicuti inquit Petrus Acto. 13. Huic omnes Prophete testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

Hæc uocabulorum explicatio & collatio doctrine utriusq; partis necessaria est, ad rectius intelligendum locum iustificationis, quem Diabolus omnibus seculis, ut præcipuum articulum cælestis doctrine, uarijs prestigijs obscurare & obruere semper conatus est.

Quamquam autem facile sit ex ijs quæ supra dicta sunt

EPISTOLAE AD EPHESIOS

sunt, aduersariorum argumenta reuellere, tamen pauca quaedam subiiciemus, additis breuissimis solutionibus. Nam praecipua argumenta copiose & dilucide explicata sunt in locis communibus Theologicis Domini Philippi Melanthonis, unde plura sumi possunt.

ARGUMENTA AD uersariorum.

Primum.

Nemo fit iustus absq; infusa iusticia, quae constat fide, spe, & charitate.

Iustificari significat ex peccatore iustum fieri, igitur iustificamur non sola fide, sed & spe & charitate.

Responsio.

Ad maiorem respondeo. Duplex est iusticia, una est legis. Alia de qua Euangelium concionatur, Legis iusticia constat fide, spe & charitate, & omnibus alijs uirtutibus quas lex requirit, quas qui habet, iustus est secundum legem. Quia uero lex non tantum externa opera, ut aduersarij & omnes Hypocritae somniant, sed & internam mundiciem perfectissimum

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

amorem Dei & proximi, perfectam obedientiam requirit, iuxta illud, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Hanc autem in hac natura imbecillitate & corruptione nemo perfecte prestare potest, ideo ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu Dei.

Ideo Euangelium concionatur de alia iusticia, quam non legis, aut nostri operis sed Dei iusticiam appellat, ea est imputatio iusticie, Remissio peccatorum, & gratuita acceptatio ad uitam eternam. Hanc autem Euangelij seu Dei iusticiam, quia non norunt aduersarij, ideo tantum de legali iusticia loquuntur. Vera igitur est Maior, si de legali iusticia intelligatur Nemo fit iustus absq; infusa iusticia, scilicet secundum legem, si uero de Euangelij seu Dei iusticia intelligas maiorem, explicanda uox (iustus) est. Significat autem iustum esse, esse acceptum Deo, habere remissionem peccatorum, & uitam eternam non propter spem, aut charitatem, aut ulla dona, sed gratis propter Christum. Falsa igitur & neganda erit maior, si de ea iusticia intelligenda sit, propter quam actur remissio peccatorum, & uita eterna.

Ad minorem respondeo, Que sit propria significatio uocis iustificari, supra ostensum est nempe ab-
solui.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Solui & remitti peccata. Hoc autem quomodo fiat, ut
absoluamur & remittantur nobis peccata, ostendit
Rom. 3. & hoc capite Paulus cum ait, iustificati, id est
absoluti à peccatis, & pronunciati estis à Deo iusti,
gratis seu gratia, hoc est, non infusione alicuius gra-
tie domi Dei, hærentis in uobis & uos iustificantis
& mundantis, sed gratuita misericordia, seu accepta-
tione gratuita, Et addit per fidem Iesu Christi, hoc est
per eam, fiduciam quæ statuit sibi propter Christum
Mediatorem, interpellatorem, pontificem, & uicti-
mam nostram, remitti peccata, se saluari.

Quia autem aduersarij in hoc sensu secundum
Euangelium hac uoce iustificari non utuntur, sed
intelligunt eam tantum legaliter, ut ipsi sese inter-
pretantur cum aiunt iustificationem fieri non gra-
tis propter Christum, sed per dona infusa, fidem
scilicet spem, charitatem. Ideo concedimus eis to-
tum argumentum. Non iustificari eos sola fide, sed
& spe & charitate & omnibus alijs uirtutibus, illa
iusticia scilicet Legali, de qua sola ipsi loquuntur,
neq; enim hypocrite aliam intelligere possunt. Nos
autem quia hanc in hac uita nemo perfecte ha-
bere potest, ideo amplectimur eam iusticiam

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

quæ Dei est, quæq; in Euangelio nobis offertur, quæ est ex fide Iesu Christi. Quare cum hoc argumentum totum tantum de Legali iusticia loquatur, totum concedimus, cum non pugnet cum nostra sententia, quæ est de iusticia Euangelij.

Secundum.

Iustificari est donari fide, spe, & charitate.
Ergo non sola fide iustificamur.

Breuiter respondeo, hoc argumentum atq; alia plurima, quibus doctrinam de articulo iustificationis oppugnare nituntur, inde orta sunt, quod significationem harum uocum, iustificationis, gratiæ, fidei & iusticiæ non norunt. Falsa interpretatio uocis est, iustificari esse donari fide, spe & charitate, significat enim absolui & remitti peccata & recipi ad hereditatem eternæ uitæ, propter SOLVM Christum, sed hoc fide statuendum & apprehendendum est. Vt Paulus Acto. 13. clare exponit, Notum sit uobis uiri fratres quod per hunc uobis remissio peccatorum annuntiatur & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Moysi iustificari id est absolui, liberari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Hic clare ostendit, quod sit instrumentum, quo iustificatio hoc, est, absolutio à peccatis

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

gratis recipitur, fides nempe, cum inquit, omnis qui credit.

Ita autem iustificati donantur Spiritu sancto, qui postea fructus suos in credentibus operatur, fidem, spem, charitatem, quæ dona Spiritus sancti ut maxime adsint tamen non propter illa sed per Christum inquit Paulus annuntiatur uobis remissio. iustificari igitur non est donari fide, spe & charitate sed est absolui à peccatis, & pronunciar iustum, & heredem Dei, Gratis propter Christum Mediatorem, quæ absolutio, fide recipitur, quam postea uitæ nouitas sequi omnino debet.

Tertium.

Fides non potest esse sine spe & charitate.

Fides iustificat.

Ergo.

Sola non iustificat sed simul spes & charitas.

Respondeo, supra dictum est uocem SOLA non excludere opera ipsa, sed meritum & dignitatem operum, quibus non debet nec potest tribui uis iustificationis, quæ SOLI Christo debetur. Idco cum dico Sola fide iustificamur, aut quod idem est, cum Paul. Gal. 2. ait. scimus non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, hoc dicitur, sola fide-

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

cia Christo placatore & delente peccatum nitens, iustificat, ut SOLA fide sumus iusti, intelligatur id est, solum propter Christum filium Dei propter nos passum, mortuum, resuscitatum, sedentem ad dextram Dei patris, sumus iusti, non etiam propter fidem, tantquam preciosum aliquod opus, aut reliqua etiam opera, quaecumq; sint, spes, seu charitas aut alia.

Sed aduersariorum imaginatio, tantum in operibus & donis per gratiam infusis heret, non intuetur non amplectitur fide Christum propitiatorem, & uictimam placantem iram aeterni patris & intercedentem pro nobis, non considerat hunc esse agnum gestantem peccata mundi, qui ut aboleret peccatum & mortem se patri obtulit, ut propter eum, iuxta reuelatam uoluntatem patris, & aeternas promissiones & Prophetarum uaticinia, remitterentur nobis peccata, & acciperemus adoptionem, ius filiorum Dei &c. Ita Christus ipsis otiosus & plane sepultus est.

Eiusmodi sunt & sequentia argumenta quorum omnium una fere est solutio.

Quo quis iustificatur id est, iustus fit, debet in eo esse. Inchoata iusticia est in homine.

Ergo ea iustificamur.

Respondeo,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Respondeo, Fides seu fiducia apprehendens Mediatorem & statuens propter illum se esse iustum & acceptum Deo, debet omnino esse in Paulo, sed propter eam fiduciam tanquam opus aliquod diuinitus datum non saluatur Paulus, sed gratis propter Christum, sedentem ad dextram patris, & habitantem in corde Pauli. Si itaq; sic intelligas Maiorem, quo quis iustificatur debet in eo esse, Christus nempe habitans per fidem in tuo corde, uera est propositio, sed si de donis Dei, aut iusticia inchoata, ut minor dicit, cogites, falsa est propositio.

Ad minorem concedimus iusticiam inchoatam debere esse in renatis, sed ea non est propter quam coram Deo iusti, hoc est accepti ad eternam uitam & liberationem à peccatis sumus. Ea enim iusticia est quæ contingit ex fide, statuente Christum esse suam iusticiam & propter illum remitti peccata, & donari uitam eternam, quam Dei seu fidei iusticiam uocamus, deinde demum altera sequitur, ut cum corda fide purificata sunt & simul Spiritum sanctum nobis donatum fide accipimus, is postea nouam lucem & uitam in nobis accendit, & nouam iusticiam hic inchoat, perficiendam in altera uita. Ideo inchoata iusticia cum sit opus

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI
opus Spiritus sancti, sequens iusticiam fidei præceden-
tem & purificantem corda, non esse ea potest iusticia,
propter quam non imputantur peccata & donatur
uita eterna.

Aliud.

Peccatum non remittitur, nisi pœnitenti, fidenti, spe-
ranti, amanti.

Ergo non sola fide, sed & propter coniunctas uirtutes
contingit iusticia,

Aduersarij de illo populo sunt, de quibus per
Esaiam, Cap. 6. Deus ait, audite audientes, & nolite
intelligere &c. Quanquam enim audiant nos affir-
mare in ijs qui iustificantur debere esse pœnitentiam,
fidem, spem, & charitatem tamen contendunt nos eas
uirtutes excludere, clare autē dicimus, Etsi ad sint hæc
uirtutes, ut adesse debent, tamen non propter illas, sed
propter SOLVM Dominum Iesum Christum, don-
nari nobis iustitiam & uitam æternam iuxta illud non
est in alio salus.

Aliud.

Donis Dei quodammodo fidendum.

Fides, spes, charitas, sunt dona Dei.

Ergo illis quodammodo fidendum est.

Magna

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Magna est impudentia aduersariorum, quos non pudet ita stultas & ineptas calumnias proferre in lucem, & tamen apud hostes purioris doctrinae sunt in admiratione. Respondeo, argumentum per quodammodo soluitur per quodammodo, Videlicet si donus Dei quodammodo fidendum est, Ergo est modus, quo eis fidendum non est.

Quero igitur, cui rei fidendum sit illo modo, quo donus Dei fidendum non est, Respondebunt, Christo sicuti aperte docent, partim Christo, partim donis Dei fidendum esse. Ita aduersarij habent iusticiam non uno sed duplici fundamento nitente, partim Christo & partim donis Dei, uacillantem iam in hanc, deinde in alteram partem, contra hoc Pauli. 1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus.

Illam igitur parte, qua Christo fidunt, sunt in Caelo, altera autem qua donis Dei fidunt, sunt in inferno, quia dona Dei etiam in sanctissimis adhuc sunt imperfecta, sicuti docet Psalmus, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item pro hac orabit ad te omnis sanctus. Et Paulus Philip. 3. Non quod apprehenderit, aut iam perfectus sim, sed sector, si etiam apprehendam, quatenus & apprehensus sum a Christo Iesu.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Jo Iesu. Et supra ostendimus, Danielem Baptistam, Paulum Stephanum non nisi donis diuinitus sibi concessis, sed solo Christo Mediatore, sed hic obijciunt.

Quicquid tinctum est sanguine Christi est perfectum, legem implet & saluat.

Fides, spes, charitas & ex his natae uirtutes tinctae sunt sanguine Christi.

Ergo haec dona perfecta sunt, Legem implent, iustificanc & saluant.

Diabolus cum sit pater mendacij, extreme odit ueritatē, mendacium uero ac calumnias suas, uarijs praestigijs ornare nititur, sed pii qui fundamentum & regulam tenent facile norunt hos fumos, & has nebulas Satanae discutere & à ueritate discernere. Mera uerborum praestigiae sunt, quod dicunt Fidem, spem, & charitatem tinctas sanguine Christi, ut hoc fuco suos errores, qui ipsis honori & questui sunt, retinere & defendere possint.

Scriptura non tribuit iusticiam, redemptionem, remissionem peccatorum & uitam aeternam donis tinctis sanguine Christi, sed ipsi Christo et eius sacrosancto sanguini pro nobis effuso, sic enim Dominus ipse ad Paulum inquit, Acto. 26, constituam te ministrum, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lumen

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ad lucem, & à potestate Satanae ad Deum, ut acciperent remissionem peccatorum, & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidem, quæ est in me, non ait per dona tincta sanguine meo, sed per fidem quæ est in me. Et 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato, non id quod sanguine Christi tinctum est. Et 1. Pet. 1. Redempti estis præcioso sanguine, ueluti agni immaculati & incontaminati Christi, Et Rom. 3. Paulus non dona tincta sanguine Christi, sed ipsum Christum filium Dei à patre ait propositum esse propiciatorem, per fidem interueniente ipsius sanguine.

Cur non soli Christo & eius sanguini tribuunt, quæ donis tinctis ipsius sanguine attribuunt. Has præstigias uerborum sophistæ homines impij, tantum ad ludificandos imperitos comminiscuntur, sed pij tenent fundamentum & regulam, & auersentur tales præstigiatores & impostores sicuti 2. Timoth. 3. præcipit Paulus, Erunt homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, Maledici, & c. Voluptatè potius amantes quam amantes Dei, habentes formam pietatis, sed qui uim eius abnegarunt & istos auersare. Relictis igitur illorum calumnijs reuertemur ad Textum Pauli.

Deus

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Deus autem qui diues est
in misericordia.

Supra in initio huius capituli ostendimus Paulum complecti hic doctrinam de poenitentia & remissione peccatorum, concionatur enim hic initio de peccato, cuius horribiles & tristissimos effectus enumerat, quod propter peccatum, tum gentes tum Iudei, atq; ita totum genus humanum subiectum sit primum morti, & omnibus alijs calamitatibus, quas mors secum trahit, Deinde quoq; qui suam Tyrannidem & uim horrendis & uarijs modis in ijs, qui Euangelio non obtemperant exercet, sicuti totius mundi historia testatur, dum mundum suis furoribus, bellis, caedibus, Idolatrijs & innumerabilibus sceleribus & flagitijs replet. Postremo quia tota natura humana peccato corrupta & contaminata est, ideo omnes filij irae, abiecti & damnati sumus.

Hanc ingentem humani generis miseriam, cuius causas humana ratio ignorat, ubi patefecit Paulus ostendit deinde quomodo & per quae hi morbi et haec tanta uulnera, ac hi tetri serpentis morsus sanentur cum de altera parte poenitentiae, nempe de fide & remissione peccatorum concionatur, dum ait, nos gratias fiducia

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

is fiducia misericordiae propter filium in gratiam re-
cipi, & has labeſ peccati nobis non imputari.

Sed cum hoc, tum quoq; alijs in locis, ubi de iustifi-
catione agitur, series orationis & uerba ipsa diligen-
ter consideranda sunt.

Cum enim disputationem de iustificatione seu pec-
catorum remissione ingreditur Paulus, statim initio
ostendit, qui sint eius fontes, & quae causae, Non enim
ideo ait nos uiuificatos, hoc est, remissione peccato-
rum & uita aeterna donatos, propter nostra dona, seu
merita, sed fontem & causam iustificationis seu dona-
tae remissionis peccatorum, dicit esse misericordiam
Dei & ipsius charitatem, qua ipse nos a se ad imagi-
nem suam conditos, & iam per peccatum & Diabo-
lum deformatos, dilexit propter filium.

Hae ideo tam disertis uerbis quasi prauidens huius
salutaris doctrinae corruptelas, initio commemorat,
ut ostendat remissionem peccatorum contingere nobis
gratuite, & ex sola misericordia & dilectione Dei,
non propter nostram dignitatem, aut nostra merita,
sicuti postea sese latius infra declarabit. Deus (inquit)
conuiuificauit nos, etiam cum essemus mortui in deli-
ctis, una cum Christo, & cum eo resuscitauit, sed quae
sunt causae huius uiuificationis? Quia (ait) Deus est di-

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

ues in misericordia, & quia propter multam Charitatem dilexit nos, Ita cause, propter quas iustificamur, sunt misericordia & dilectio Dei.

Porro magna pijs luctantibus cum peccatis & sensu ira Dei aduersus peccatum, hic proposita consolatio est, cum dicit Deum esse diuitem in misericordia. Quanquam enim & corporales diuitie, quibus orbem terrarum replet Deus, sint Dei dona, dum pascit, uestit, ornat, defendit & tuetur uniuersa à se condita, pro quibus ei, maxima gratia à tota creatura debetur, tamen illæ Spirituales, & æternæ diuitiæ longe maiores & ampliores sunt, & multo pluri faciendæ & illis longe anteferendæ.

Nam in conspectu peccatorum & sensu ira Dei nulla consolatio ex illis interituris opibus homini esse potest, & morientibus hæ omnes relinquendæ sunt, Hoc uero afflictæ conscientie dulcissimum est, Deum esse diuitem in misericordia, ut cum te abundare peccatis sentis, & una cum Dauide conquereris, Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, grauatae sunt super me, cogitates Deum esse diuitem in misericordia, & longe abundantiores esse diuitias misericordie et bonitatis Dei quam

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

quam sint peccata tua, quam sit ira Dei, Gratia enim
ut Paulus ait, exuberat peccatum.

Idco psalmi toties magnitudinem misericordie
Dei prædicant, ut infirmæ & territæ conscientie
sciunt, certum sibi, non in suis uiribus aut meritis, sed
in misericordia Dei præsidium positum, eo quoq; no-
mine Paulus 2. Cor. 1. uocat Deum patrem misericor-
diarum & omnis consolationis,

Et Dauid agnoscens magnitudinem & multitu-
dinem peccatorum suorum, simpliciter ad Dei mi-
sericordiam confugit & eam statuit maiorem &
potentiozem omnibus delictis suis. Ideo inquit, Mi-
serere mei Deus secundum magnam misericordiam
tuam, q. d. Magna sunt peccata mea, sed longe ma-
ior, abundantior est Misericordia tua, quæ mea &
totius mundi peccata absorbet, Et secundum multitu-
dinem miserationum tuarum, dele iniquitatem me-
am, q. d. Multa sunt peccata mea, sed miserationes
tuæ sunt plures & longe maiores, Ideo nulli pec-
catori, quantumuis multis, & magnis peccatis op-
presso desperandum est, cum Deus sit diues in mise-
ricordia.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Ita quoties in sensu peccatorum & iræ diuinæ sumus, neuiquam cogitandum est, quomodo aut quibus studijs, exercitijs aut operibus tu iram Dei placare & satisfacere pro tuis peccatis uelis, sed simpliciter peccata agnoscenda & deploranda sunt, & confugiendum ad Dei misericordiam promissam nobis propter Christum, Ideo Paulus hoc loco & sacræ literæ passim, cum de agnitione peccatorum docent, mox alteram partem pœnitentiæ subiiciunt, & misericordiam Dei, quæ fide accipitur, spectandam & considerandam nobis ob oculos ponunt, ut cognoscant homines non ex suis uiribus, meritis aut operibus, sed ex misericordia Dei gratis propter Mediatorem & propiciatorem Christum filium Dei remitti & deleri peccata. Sicuti ait per Prophetam. Esaiam cap. 43. ait Dominus, Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, narra si quid habes ut iustificeris, Quare, nullo modo audiendi sunt qui docent nostris meritis aut exercitijs peccata delenda, & pro ijs satisfaciendum esse.

Solam autem misericordiam gratis propter Mediatorem in promissione oblatam esse fontem & causam iustificationis seu remissionis peccatorum clare docet

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

re docet exemplum primorum parentum. Si enim Adam suis meritis tollere potuisset peccatum, frustra data esset promissio, ipsum semen mulieris conteret caput serpentis.

Et sane si quispiam hominum sua contritione, assiduus fletibus, & ingenti dolore, & durissimis exercitijs pro peccatis satisfacere potuisset, is primus omnium Adam fuisset.

Nam cum uideret in quantas misérias per suum peccatum, & se & omnem posteritatem, suam coniecisset, maximis mœroribus & doloribus oppressus, haud dubie fuisset extinctus, nisi confirmatus & rursus illa diuina promissione de semine mulieris crectus esset, in qua misericordiam suam Deum sibi offerre uidebat.

Post interfectum Abelem filium in perpetuo luctu & merore est centum triginta annis, quibus à consuetudine uxoris abstinet, & fortassis operam liberis daturus non erat, nisi diuino mandato Crescite & multiplicamini admonitus. Vitã uixit duriorẽ quã nullus mortalium, sola aqua in potu, solis fructibus è terra nascentibus in cibo usus est, incessit per omnem uitam nudis pedibus, corpore caprinis pellibus tantum amictus, nudo capite, uixit sine tecto sub calo, re-

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

cubans in dura humo, tulit uim & iniuriam æstatis
& hyemis imbres niues, ætus, frigora, tempestates,
exercuit corpus laboribus, ieiunijs, uigilijs, orationi-
bus & alijs plurimis exercitijs, durissimam & miser-
rimam inter feras egit uitam, annos. 930.

Quantos autem & quot morsus serpentis in tot
annis senserit & Spirituales tentationes sit expertus,
quis explicarit? Ita ut nemo hominum unquam cala-
mitosior & miserior ipso Adam in hac terra uixea-
rit, neq; tamen hac asperrima uita, & his tam diu-
turnis exercitijs quibus agitatur & conficitur, pecca-
tatum suum se abolere & pro eo se satisfacere posse
uidet Adam, neq; in ijs potest acquiescere, Hoc uero
confirmat & sustentat miserrimum hominem, quod
audit Deum non perpetuo irasci uelle, sed uenturam
uictimam semen mulieris, quæ sit placatura iram
eterni Patris, & restauratura bona eterna, per sua
um peccatum amissa. Hanc misericordiam uidet &
audit sibi offerri in promissione, itaq; fide eam ample-
ctitur, & in ea acquiescens saluatur.

Causa igitur Iustificationis nostræ est, quod Deus
est diues in misericordia, quod quos abijcere & dam-
nare iure poterat, eorum, propter filium Mediatorem
deprecatorem

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

deprecatorem & Pontificem nostrum, miseretur, Ita quoque Psalmus 103, dicit, Quomodo pater miseretur filiorum, Ita miseretur dominus eorum qui ipsum timeant, ipse enim nouit quaedam figmentum simus, meminit quod simus puluis.

Altera causa iustificationis est dilectio Dei, non qua nos Deū, sed qua ipse nos, opus & figmentum suum diligit, sicut hic ait Paulus, conuiuificauit nos cum Christo propter multam charitatem suam, qua dilexit nos sicuti & S. Ambrosius hunc locum interpretatur dicens, Hæc charitas Dei est erga nos, ut quia fecit nos, nolit perire nos, diligit enim opus suū, Ideo enim fecit, ut amaret quod fecit, nemo enim laborem suum odio habet.

Quare non sunt serendi, qui Pauli dicta corumpunt, & dicunt nostram dilectionem esse causam iustificationis. Clare enim dicit hic, nos mortuos in delictis nostris, simul cum Christo uiuificatos. Si igitur mortui in delictis sumus, unde igitur (sicuti Diuus Chrysostomus hoc loco argumentatur) dilexit nos? Hæc enim certe, cur nos amaret, digna non sunt, sed iram et æternam poenam merentur. Quod igitur nos mortuos in peccatis uiuificat, soli misericordie et charitati ipsius debetur, sicut & Rom. 5. dicitur

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

dicitur, Commendat suam charitatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit.

Nostra igitur dilectio, cum etiam in iustificationis admodum sit frigida, exigua & imperfecta, nullo modo iustificationis causa esse potest, sicuti uociferantur aduersarij, sed ideo iustificamur, hoc est, absolui mur à peccatis, quia DEVS nos per filium reconciliatos, diligit. Sicuti supra in 1. ait, Reddidit nos charos per illum dilectum.

CRedamus igitur uere nos diligi à Deo & recipi, exaudiri, ac saluari SOLVM propter filium, quia nostri, qui damnandi, et ut filij iræ abijcendicramus, propter filium Mediatorem & intercessorem miseretur & nos diligit, & illius summi & inenarrabilis sui erga nos amoris certissimum pignus cogitemus esse filium nobis donatum, sicuti docet Christus Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret &c.

Non nitamur nostra erga Deum dilectione, qualis qualis & quanta quanta illa sit, sed Dei erga nos dilectione, eam consideremus & ea nos in omnibus tribulationibus sustentemus, ut 1 Ioan. 4. scriptum est, In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

quod ipse dilexerit nos, & miserit filium suum propi-
tiationem pro peccatis nostris, non sinamus nobis ex-
torqueri hanc certam & firmam consolationem, nec
eā sophistica deprauari patiamur, sicuti homines im-
pij omnibus seculis hunc articulum oppugnare, sed
frustra conati sunt. Manet enim fundamentum fir-
mum & solidum, etiam contra infectorum portas
Christum SOLVM esse iusticiam nostram, & Deum
propter illum Mediatorem & placatorem & Ponti-
ficem nostrum, nostri misereri, & nos diligere, exau-
dire, recipere & saluare.

Diligenter uero hic antithesis consideretur, quid in
causa iustificationis nobis, & quid Christo tribuatur,
quæ nostra & quæ illius sint merita.

Nos ait per peccatū commeritos mortem et eternam
damnationem, & ita per peccatum redactos sub Ty-
rannidem & potestatem diaboli, ut in nobis tanquam
membris & organis suis grassaretur, & quæ uellet
operaretur, Deinde etiam factos nos natura filios iræ,
qui abijcendi & damnandi eramus, hæc tanta mala
nobis tribuit, & ostendit nos nostris uiribus, aut me-
ritis inde emergere minime potuisse.

Postea autem è regione commemorat ordine be-
neficia Christi Deum patrem diligentem nos, miser-

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

tum nostri, donasse nobis filium, cuius morte, nostra mors, in quam per peccatum incideramus, sit destructa & abolita & per uiuificationem & resurrectionem Christi, nos simul ex morte cum ipso ad eternam uitam uocatos. Deinde qui sub regno tenebrarum & Tyrannide diaboli eramus, & in umbra mortis, ut Zacharias ait, sedebamus, per Christum nos translatos in regnam lucis iusticie & uite, & collocatos in possessionem celestium et eternorum bonorum, ita ut qui antea filij ire fuerimus, iam per Christum facti sumus filij gratie, filij & heredes Dei. Hec tanta beneficia ait nos non nostris uiribus aut meritis consecutos, sed gratis propter Christum illa donata nobis, ut toti orbis terrarum et omnibus futuris seculis patefierent excellentes opes gratie Dei, quas in nos per Christum effudit, per illum bonitate sua erga nos gratuito ostensa. Quare haec tanta bona soli misericordie Dei, & Christo liberatori nostro, ac nullis nostris meritis aut donis nobis infusis tribuamus.

Conuiuificauit nos una
cum Christo.

Magna audacia scholasticorum scriptorum est, in flectendis & deprauandis Apostolorum & Prophetarum scriptis, qui cum uiderent à iustificatione

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

catione excludi nostras uires & nostra merita, & ex iudicio rationis existimarent absurdum esse, docere nos gratis iustificari, inuenerunt uaria remedia & sophismata, quibus doctrinam Euangelij cum humano iudicio conciliarent, cum tamen Euangelium sit doctrina longe supra & extra captum humani ingenij posita.

Ita & hunc locum Pauli corruerunt, cum sic interpretantur, conuiuificauit nos in Christo, scilicet incorporando nos sibi per fidem formatam. Neque audiunt hoc loco Paulum toties particulam gratis repetentem, qua diserte nostra merita excludit. Fidem non intelligunt fiduciam nitentem gratuita misericordia promissa propter Christum, sed noticiam historiae, seu uirtutem cum qua sit coniuncta spes & charitas, propter quas uirtutes simus iusti, & eam fidem uocant formatam.

Sed Paulus hoc loco egregie naturam fidei describit, cum ait conuiuificauit nos, una cum Christo, significat enim fidem non esse, ut scriptores scholastici somniant, mortuam quandam persuasionem & noticiam historiae Christi tantum, sed talem fiduciam, ut cum mens hominis, antea sensu iræ Dei perterrefacta, audit sibi in uerbo & promissione offerri misericordiã Dei remissionem peccatorũ, et donationẽ uitæ æternæ propter Mediatorem Christũ, cum hunc Mediatorem suũ

fide

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

fide complectitur & statuit per hunc sibi placatum eternum Patrem, ibi mens hominis, quasi ex morte rursus ad uitam rouocatur, & hac fide, hoc est, fiducia misericordie promissae propter Mediatorem Christum, sese in omnibus terroribus erigit ac sustentat, quae ipsa fides seu fiducia, uita hominis pij est.

Sicuti enim lex ostendens peccatum & iram Dei mortis ministerium est. Ita Euangelium proponens & ostendens gratuitam misericordiam Dei, est ministerium uitae, id est, uiuificationis. Sicuti & Propheta Abacuc ait. Iustus fide sua uiuet, ubi duo tribuit dei, primum iustificationem, quod Paulus apprehendens misericordiam Dei non imputantis peccata sed gratis propter Christum remittentis, hac fide iustificatur, Deinde tribuit ei etiam uitam, hoc est quod in omnibus terroribus hac fiducia misericordiae, Dei sese consolatur, sustentat & erigit, & per eam omnia mala ac mortem denique uincit.

Saul & Iudas magnitudine terrorum oppressi, quia fide, qua uiuificentur & sese sustentent, uacant, ruunt in desperationem & eternam mortem. Dauid autem etsi propter horribilia peccata sit in magnis terroribus, & in sensu irae Dei ac mortis, tamen quia retinet

EPISTOLAE AD EPHESIOS

retinet fiduciam misericordiae Dei, & credit Deum propter promissum Messiam condonaturum sibi lapsus suos, ideo ex morte ad uitam hac fiducia reuocatur, sicuti inquit Propheta, *Transtulit Dominus peccatum tuum, non morieris.*

Hanc uero uiuificationem, quae ex sola fiducia misericordiae, & non ex ullis nostris meritis aut operibus oritur, sequitur deinde nouitas uitae. Quia enim ut infra dicet, iam ex morte ad uitam reuocati, & noua creatura in Christo Iesu conditi sumus, ideo etiam uetus homo cum suis actionibus moritur, & sepelitur, & nouus uiuificatus, & una cum Christo resuscitatus, & iam iuxta Deum conditus uiuit per iustitiam & sanctitatem ueritatis.

Hac est illa spiritalis uiuificatio & resuscitatio nostra qui in delictis nostris mortui eramus, facta una cum Christo, quae hic in hac uita inchoatur, & in altera uita perficitur, ubi & corpora nostra ad aliam aeternam nempe uitam uiuificabuntur, iam obnoxia morti & infinitis miserijs & calamitatibus. Nam cum hac spiritali uiuificatione & resuscitatione, etiam corporum nostrorum resuscitatio coniuncta est, quae demum in resurrectione mortuorum sequetur.

Altero

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Altera uiuificatio per Christum facta est corporalis, sicuti enim Christus non sibi sed nobis & pro nobis & peccatis nostris mortuus est, nostram mortem in se deriuando, ita & non sibi sed nobis resurrexit, ut sicuti per illius mortem, nostra mors destructa & abolita est, ita & per illius resurrectionem nobis uita restituta, & illius resurrectio nostra resurrectio, uita & iusticia est. Ideo ait Paulus, conuiuificauit nos unā cum Christo, simulq; eum resuscitauit significans primum Spiritualem uiuificationem & resurrectionem, deinde etiam corporalem.

Quaquam enim necesse sit hæc nostra corpora, propter inherens peccatum, destrui & aboleri, ut quod de terra sumptum est, propter peccatum, rursum in terrā mutetur, ut corruptibile hoc induat incorruptibilitatem, & mortale immortalitatem, tamen resurrectionis Christi, ea uis intelligatur, ut illa corporum nostrorum mors non sit iam proprie mors, sed tantum (sicuti ueteres olim uocauerunt) depositio mortalitatis & assumptio immortalitatis. Ino corpora nostra, qui in Christum credimus, iam cum ipso Christo sunt uiuificata & resuscitata, sic enim hic loquitur Paulus, hoc est, tam certa est nostra resuscitatio, ac si iam facta esset, sicuti & in Romanis ait, iam nos saluos factos spe, & 1. Ioan. 3. dicitur, Nunc filij Dei sumus.

Quia

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Quia enim Christus caput nostrum resuscitatum est, Ergo etiam necesse est nostra corpora, quae membra Christi sunt, simul cum ipso resuscitata esse. Ideo Christus Ioannis. II. ait, Qui credit in me etiam si mortuus fuerit, uiuet, Et omnis qui uiuit & credit in me non morietur in aeternum,

Ac placet mihi hoc loco interpretatio Theophilacti, qui sic inquit, uiuificauit & illum & nos, illum quidem actu & opere ipso, nos uero potestate nunc, paulo post uero etiam actu.

Et Chrysostomus eodem modo & hunc locum exponit. Quomodo excitauit? nondum enim quisquam est excitatus, nisi quod capite resuscitato & nos resuscitati sumus. Et si caput sedet in Coelestibus, simul sedet & corpus. Magna itaq; contra terrorem mortis pijs hic consolatio proposita est, quod nostra resuscitatio, cum Christus caput nostrum sic resuscitatum, tam est certa ac si iam facta esset, & iam sederemus in caelestibus. Haec enim est potentia resurrectionis Christi, de qua in Philippensib. loquitur. Sic & I. Corinth. & ait. Deus & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per potentiam suam.

Per gratiam estis seruati.

Supra

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Supra ostendit duas esse causas iustificationis nostrae, Misericordiam Dei & eius erga nos dilectionem, ut hoc modo excludat à causa iustificationis nostra merita, Hoc idem his uerbis facit, cum inquit per gratiam estis seruati q. d. non per uestra opera, sed soli gratia Dei acceptum ferri debet, quod qui filij irae eratis, estis saluati.

Sed hic oritur obiectio, Quid est quod nos iam saluos esse ait, an non potius misera, quam salua & beata dicenda est Ecclesia, quae tot calamitatibus & miserijs oppressa est? Sed sciendum est, quanquam Ecclesia hic subiecta est cruci propter peccatum reliquum, Et ut eius fides, inuocatio & patientia exerceatur, & ut fiat conformis imaginis filij Dei, quo etiam cum eo glorificari possit, tamē quia iam per filiū Dei facta est reconciliatio & salus, nos iam dici saluos, qua fide & spe iam in hac uita complectimur salutem & eternam uitam per Christum partam, sed adhuc reuelandam, sicuti nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit id quod futuri sumus I. Ioan. 3.

Sic etiam in hac uita dicit nos per Christum Iesum collocatos in promissionem coelestium & eternorum bonorum, Quia enim ut Christus ait, regnum Dei intra nos est, uere iam salui, ac ciues & domestici Dei sumus,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sumus, & omnibus cœlestibus & æternis bonis per fidem & spem fruimur, sed adhuc tectis, in uerbo, & reuelandis in altera uita,

Quia enim cognoscimus Patrem Domini nostri Iesu Christi ex uerbo, quo se patefecit, ideo hic in hac uita inchoatur ex hac fide uita æterna in nobis, Etsi propter reliquias peccati, adhuc in miseris & subiectis morti. Sic enim ait Christus Ioan. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum Verum, & quem misisti Iesum Christum. Vbi igitur cognitio ueri Dei & Iesu Christi est, ibi uere uita æterna, & possessio cœlestium & æternorum bonorum est, Et i. Ioan. 5. dicitur. Hæc scribo uobis credentibus in nomen filij Dei, ut sciatis quod uitam habetis æternam, & ut credatis in nomine filij Dei, sumus enim etiam in hac uita templum Dei, quia sumus custodes cœlestis doctrinæ, eam discimus, docemus, propagamus, & contra hostes Dei propugnamus, ideo diligimur à patre, & Pater, filius ac Spiritus sanctus ad nos ueniunt, & apud nos manent ut Ioan. 14. dicitur.

Sumus igitur per Christum collocati in possessionem cœlestium bonorum & æternæ uitæ, fide in uerbo quo se ac uoluntatem suam nobis patefecit, intuemur Deum, ac eius erga nos bonitatem relucentem in filio

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

nobis donato consideramus, & ex ea exultamus & in ea acquiescimus, & uitam eternam uiuere in hac uita incipimus.

Coelestia bona sunt uerbum nobis traditum per filium Dei, claues regni caelorum, gratuita remissio peccatorum propter filium, Sacramenta, Baptismus, coena Domini certissima pignora & testimonia sunt praesentiae Dei & eius erga nos ineffabilis bonitatis & amoris. Haec bona quanta sint, in quibus coelestibus iam sedemus, in altera uita demum plenius & rectius intelligemus, Petrus certe ea tanti facit, ut dicat Angelos in ea prospicientes ijs exultare & letari.

Ut ostenderet in saeculis superuenientibus eminentem opulentiam gratiae suae, benignitate erga nos per Christum Iesum.

Querat hic aliquis, quae sint illa superuenientia saecula, de quibus Paulus hoc loco loquitur, Sunt autem saecula exhibiti Christi, quae a nato, mortuo & resuscitato Christo, & donato Spiritu sancto inceptum & durans usque ad finem mundi. Eo enim tempore Thesauri bonitatis & gratiae Dei sunt patefacti.

EPISTOLAE AD EPHESIOS:

facti, & sparsi per totum orbem terrarum per uocem
Euangelij, qui Thesauri antea in populo iudaico erant
conclusi, & pauci admodum has diuitias tenebant.

Christus enim iam ascensurus in caelum mandat hos
thesauros bonitatis & gratiae Dei, apud populum iu-
daicum solum reconditos aperiri, & uoce Euangelij
primum in hoc populo, deinde per totum orbem ter-
rarum distribui, sicuti sonant uerba mandati. Itē in uni-
uersum orbem, & praedicate Euangelium omni crea-
turae &c.

Hoc modo Deus ostendit in saeculis superuenienti-
bus, eminentem opulentiam gratiae suae &c. Gratia ut
Baptista ait, hoc est reconciliatio, qua nobis gratis
propter Christum condonantur peccata, Et ueritas hoc
est uera noticia Dei, uera iusticia, uita aeterna per Chri-
stum facta, hoc est eius morte & resurrectione par-
ta, & à patre nobis impetrata est, quae bona significat
hic Paulus, cum una cum Christo uiuificatos, & re-
suscitados, & in caelestibus collocatos nos ait. Sed cur
haec facta sunt, idco inquit Paulus, ut praedicatione
Euangelij, haec abundantes diuitiae Dei osten-
dantur, & in orbe terrarum circumferantur, Ita
pulchre ministerium Euangelij describit, esse uocem
qua circumferantur, et distribuuntur abundantes opes
gratiae Dei, ipsius bonitate in Christo nobis ostense.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Has igitur Dei abundantes non mundi opes sufficimus & ueneremur, quas mundus contemnit & pro ruderibus habet.

OBIECTIO.

Sed hic dicat aliquis, An hæc Dei opes his postremis temporibus à resuscitato Christo primum patefactæ sunt? Tamen & patres qui ante Christum erant, easdem promissiones, idem uerbum, idem Euangelium, eandem fidem, eundem Christum, quem nos habemus, habuerunt, & eodem modo quo nos saluati sunt? Biberunt enim omnes de Spirituali petra, qui est Christus, de qua etiam nos hoc tempore bibimus, 1. Cor. 10. Respondeo, uerum est Deus patribus quoque suam bonitatem & gratiam per promissiones, uaria miracula, testimonia & signa ostendit, sed ea ostensio adhuc habuit uelum, & nondum ita erat magnifica & abundans, atque hoc tempore, quo uelum Moysi per Christum sublatum est, Et per Euangelij lucem umbræ Moysi discussæ sunt. Nos iam omnes ut 2. Cor. 3. dicit, reueta facie gloriam Domini in speculo representantes, ad eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.

Illam autem ostensionem & patefactionem, abundantium diuitiarum gratiæ Dei, quæ nobis his temporibus

EPISTOLAE AD EPHESIOS

poribus facta est, longe esse augustiorem, & copio-
sorem quam quae patribus ante Christum facta est,
satis est manifestum. Habuerunt Patres idem uerbum
sed de uenturo liberatore, habuerunt etiã sua Sacra-
menta et signa, quae testabantur eos esse gratos & ac-
ceptos Deo, ut erat ignis coelestis, qui depascebat sa-
crificia & postea erat Circumcisio, sed fuerunt multa
illis temporibus tantum, quasi umbræ rerum futura-
rum, quae, ubi Messias uenisset, erant aperiendae. Pro-
pheta concionantur de uenturo Messia, Agnus pasca-
lis sacrificia & multae caeremonie sunt figurae uentu-
ri Christi.

At ubi uenit Messias, & orta est lux Euangelij, quae
antea quasi nubibus tecta erat, ibi digitis, omnibus
Messias ostenditur à Ioanne. Ecce agnus Dei qui tol-
lit peccata mundi. Iam redemptio & liberatio, de
qua uentura uaticinabantur Prophetae ostenditur &
praedicatur facta per filium Dei, & nihil restat, quam
ut hoc credatur.

Habemus non Prophetarum tantum, sed ipsius filij
Dei, & Apostolorum peculiariter electorum, contio-
nes & doctrinam, Habemus sacramenta signa testan-
tia nos acceptos à Deo, non ignis coelestis non cir-
cumcisionis sed corporis & sanguinis filij Dei, pro
nobis traditi & effusi, baptismum non in sanguine

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

uacca ruffa, sed filij Dei, quo mundamur ab omnibus peccatis, datae sunt nobis, clauae regni caelorum, potestas ligandi & soluendi, Habemus pontificem non ex hominibus sumptum, sed Iesum Christum filium Dei, qui penetravit caelos, qui sempiternum habet sacerdotium, qui in perpetuum saluare potest accedentes per semetipsum ad Deum, Habemus tabernaculum quod fixit Deus, & non homo. Non habemus umbram futurorum bonorum, sed ipsam imaginem rerum, sicuti haec prolixè Epistola ad Hebraeos confert & commemorat. Haec ostensio diuitiarum Dei, longe augustior, splendidior, copiosior est quam fuit patrum tempore, simus igitur grati Deo, & has studeamus conseruare & magnificare.

Gratia enim estis seruati
per fidem.

PAulus cum locum iustificationis orsus est, diligenter ostendit qui sint eius fontes, & quae causa, misericordia nempe Dei & eius dilectio erga nos, ut hoc modo omnium nostrorum operum et meritorum dignitatem à iustificatione excluderet, Et addidit quoque nos mortuos in delictis fuisse, ideo nullas esse uires nostras, quibus ipse nos à morte uindicare & suscitare

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

citare possimus. Deinde causis ita ostensis, describit etiam iustificationis nostræ modum, Deum misisse filium, qui pro liberando genere humano iram æterni Patris, & mortem, quam nos merueramus, in se deriuauit, & hoc modo nos patri per suam mortem reconciliauit.

Facta igitur reconciliatione per mortem filij Dei à patre, ex morte ad æternam uitam & gloriam resuscitati, simul omnes quotquot in filium credunt, cum eo ad eam uitam & gloriam cum ipso resuscitati & in coelestibus collocati sumus, & addidit hæc à Deo per Christum filium suum gratis sine nostris meritis facta, atq; hoc ideo, ut per uocem Euangelij, hi abundantes thesauri gratiæ Dei, per totum orbem terrarum circumferantur & spargantur.

Ita indicatis causis & modo iustificationis, redit iam singulari studio & consilio ad id, quod supra quasi in transcurso, dum modum iustificationis describeret duobus tantum uerbis & obiter tantum attigerat, Gratia nos esse seruatos per fidem, ut à causa iustificationis summa diligentia omnes nostras uires, & omnium operum nostrorum merita et dignitatem excludat, & omnia gratiæ Dei & Christo tribuat.

Hoc esse consiliū Pauli, cur idem toties & tam diligenter

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

genter repetat, non est dubium, Et si qua in causa iustificationis nostræ, nostra esset uis aut dignitas, non ita predicaret gratiam Dei, Facit autem hæc tanto studio ut ostendat Euangelium longe aliter docere, de remissione peccatorum humana, & eterna uita consequenda, quam ratio intelligit & iudicat. Sunt enim uaria multarum gentium de iusticia & eterna uita adipiscenda iudicia, quæ breuiter ordine commemorabimus, & quæ hoc loco refutat Paulus.

Primum itaq; gentes, cum ex creatione, gubernatione & conseruatione rerum uideant, unam esse eternam mentem, rerum omnium cõditricem & gubernatricem & genus humanum infinitis miseris in hac uita oppressum, iudicant necesse esse, tam præstantem creaturam ad meliorem & perfectiorem uitam conditam esse, ideo statuunt, si rationem ducem sequantur, frugiant turpia & sectentur honesta, & ius nature non uiolent, & pura (ut ille ait) mente Deum colant, præstent aliquos cultus Deo, quibus eum placari & moueri posse putent, tales uiros gentes iudicant iustos & bonos, qui ex hac uita in immortalitatem ad consortium Deorum sint emigraturi.

Quia enim Scipio rationem uitæ ducem sequitur, ornatus est pulcherrimis uirtutibus, sapientia, continentia

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

mentia, temperantia, morum grauitate & integritate, ingenti robore animi, quo feliciter res magnas, & patriæ ac ciuibus saluberrimas gerit, neq; quicquam committit, quod iure in ipso reprehendi possit, ideo iudicatur à prudentibus uiris hac innocentia uitæ esse iustus & uir bonus, qui immortalitatem meruerit, & in æternam uitam sit euocatus. Tales enim quia corruptionem naturæ & interiora mala non uident & quam tetra res, & quid peccatum sit ignorant, non possunt aliter de iusticia & æterna uita consequenda statuere.

DEinde Iudei existimant, si ritus & cœremonias per Moysen traditas, seruent, & ijs Deum colant, sese propter illos cultus esse iustos, & mereri uitam æternam. Cum autem promissiones & Prophetarum uaticinia de Messia audiunt, non putant ideo uenturum Messiam, ut peccata & mortem tollat, & iusticiam ac æternam uitam credentibus donet, illa enim iudicant se suis sacrificijs cultibus & operibus legis mereri, sicuti ostendit Parabola de Phariseo & publicano Luca 18. sed erant in ea opinione, ideo uenturum Messiam, ut regnum Israel iam labefactatum & oppressum restitueret, in quo errore etiam nostra ætate Iudei sunt.

Tertio Turcæ iudicant se iustos & saluos fore, si

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

præcepta à Mahometo ipsis tradita, & suam legem quam Alcoranum uocant seruent.

Quarto, quæ sit de iusticia & æterna uita consequenda, Ecclesiæ Pontificiæ sententia satis constat, nempe opus esse fide, hoc est, noticia historię Euangelicæ, sed ea fides cum sit informis, necesse esse eam formari charitate, spe, & cæteris uirtutibus quæ in doctrina seu lege Euangelij præcipiuntur, Euangelium .n. illis nihil aliud, quam lex quædam est. Et quamquam doceant remitti peccata propter Christum, tamen addunt non remitti, nisi per infusam gratiam, hoc est non nisi credentibus, id est tenentibus historiam Christi, sperantibus & diligentibus &c. ita remissio peccatorum contingit, ut ipsi somniant, partim propter Christum, partim propter nostrorum operum dignitatem.

Docent si monachus aut Monialis in suo ordine & uitæ genere, suam præscriptam, ut uocant, regulam seruet esse iustum & saluari, ita istis Christus in adam transformât, Et est prorsus mirabilis, et horrenda confusio doctrinæ Papisticæ, ex qua ne ipsi quidem sese explicare, & quid dicant & doceant plane ostendere non possunt.

Præterea

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Præterea multorum furores sunt, qui ipsi sibi uarios cultus comminiscuntur extra & contra uerbum Dei, quibus iusticiam & æternam uitam mereri uolunt. Et sunt etiam ex aduersæ partis Theologis, qui aperte dicere audent, quemq; ex sua lege, si eã seruet, & nihil contra ius naturæ committat, saluari. Alij dicunt gentes saluari iure naturæ, iudæos lege Moysi, Christianos per opera in Euangelio tradita.

Hi omnes grauissime errant, & ignorant quod sit discrimen inter iusticiam Dei, qua in conspectu Dei iusti, hoc est accepti & grati Deo, donati remissione peccatorum & uita æterna sumus, & inter iusticiam humanam, qua in iudicio Dei nullo modo consistere potest.

Deinde etiam hi tanti & perniciosi errores inde orti sunt, quod ignorant quam tetra & abominanda in conspectu Dei, res sit peccatum, & quam horribilis ira Dei sit aduersus peccatum, ideo homines cum reus tam leuem peccatum esse existiment, in tales errores labuntur, ut putent se suis operibus, & cultibus ab ipsis excogitatis posse delere peccata, placare iram Dei & mereri æternam uitam.

Hos omnes errores taxat & refutat hic Paulus, cum ait, Gratia estis seruati per fidem, amplectentem scilicet Christum

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Christum filium Dei, Mediatorem, placatorem, & pontificem, cuius morte nobis gratia, id est, reconciliatio, & remissio peccatorum gratuita, donatio Spiritus sancti & iusticia & uita eterna parta est, & per hunc & propter hunc nobis donatur, ut cum Paulus ait gratia estis seruati per fidem, hoc dicat, Error est quod homines ex iudicio rationis existimant se suis uiribus studijs aut operibus iusticiam & eternam uitam mereri posse, ignorant enim magnitudinem peccati & ire Dei aduersus peccatum, quæ cum neq; per angelos, neq; per ullam creaturam, & non nisi morte unigeniti filij Dei placari potuerit, sicuti indicat scriptura prima promissio facta Adæ, Ipsum semen mulieris conteret caput serpentis, & tu conteres calcaneum eius. Quæ stulticia hominum est, quod conatur suis uiribus & uirtutibus delere peccatum, constituere sibi iusticiam & mereri uitam eternam? quæ bona nisi ex gratia, hoc est, gratuita misericordia Dei propter Mediatorem filium Dei credentibus darentur, omnibus desperandum & pereundum esset. Sic Paulus taxat & reijcit omnium hominum studia & iudicia de salute paranda, & omnia gratiæ tribuit.

CVM igitur dulcissima uoce, Gratia, pauidis conscientijs sit, quæ in agone experiuntur, nulla nostra

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

nostra opera iræ Dei opponi posse, sicuti testantur di-
cta Davidis, Ne intres in iudicium cum seruo tuo &c.
Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis su-
stinebit? Non sinamus nobis eam sophistica & falsis
interpretationibus scholasticorum Doctorum, cor-
rumpi, Sed credamus, sicuti hic & in alijs locis multis
Paulus, imo tota sacra scriptura docet, nos gratia, hoc
est gratuita misericordia saluatos per fidem.

Sed hic intelligamus fidem non donum quoddam
Dei (quanquam et ipsa donum Dei est, ut postea osten-
demus) quo scilicet aut propter quod iustificemur, sed
fiduciam seu adsensum, amplectentem Christum Me-
diatorem qui à patre factus est nobis iusticia, sanctifi-
catio & salus, ut cum Paulus ait, Gratia estis seruati
per fidem, gratiam intelligas misericordiam seu gra-
tuitam acceptationem ad uitam æternam, propter
Christum, per fidem intelligas fiduciam misericordie
Dei que misericordia propter Christum nobis exhibe-
tur, dum gratis propter illum remittuntur peccata,
donatur Spiritus sanctus, & uita æterna.

Cum enim gratia id est, Remissio peccatorum sic
promissa propter Christum, & propter illum nobis in
uocæ Euangely annuncietur, non potest promissio &
annunc

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

annunciatio gratiæ aliter acceptari, aut applicari non
bis, quam fide, qua certo statuam, ea mihi contingere,
& donari, quæ à Deo promittuntur, & in uoce
Euangelij offeruntur, & annunciantur.

Sed huius loci & Doctrinæ de Iustificatione, mi-
rabiles corruptelæ à scriptoribus Scholasticis sunt in-
uentæ quas hic breuiter commemorabo, ut ex colla-
tione utriusq; doctrinæ certius hæc de re iudicium con-
stare possit.

Magna est confusio doctrinæ de Iustificatione &
de gratia apud Doctores scholasticos, Quare non sca-
tis cautos, & in doctrina Prophetarum & Aposto-
lorum confirmatos lectores, ea confusio aut in dubita-
tionem adducit, ut incipiant de utraq; doctrina &
scholastica & Euangelica dubitare, utra certior &
uerior sit aut ut ita ea inuoluantur, & implicentur
quo se ex ea extricare non possint, Aut ut Epicurei
fiant & omnes Religiones contemnant, ac fabulas &
commenta ociosorum hominum putent, qui ista, ne
nihil agerent, sic in scholis commenti sunt. Quare
animi sana & certa doctrina prius confirmandi sunt,
quam illas spinas & tricas attingant.

Vera autem & certa de hoc loco Iustificatio-
nis & gratiæ doctrina hæc est, ut idem toties
repetamus,

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

repetamus, iustificari id est donari nos propter Christum remissione peccatorum, Spiritu sancto & vita aeterna gratis id est, ex sola gratuita gratia & misericordia & sine aliquibus uel nostris meritis uel donis nobis diuinitus donatis, Et quanquam fides donum Dei sit, tamen nos non propter hoc donum, tanquam causam efficientem, sed propter Christum propiciatorem sedentem iam ad dextram Patris, quem fides inuetur, amplectitur & eo solo nititur, iustificari, exaudiri, recipi & saluari.

Hæc supra pluribus uerbis et sententijs scripturæ et exemplis sanctorum ostensa, declarata & comprobata sunt, Quare ab hac sententia nemo, prestigijs aut ambage uerborum seductus, discedat. Iam autem breuiter sententiam Petri Lombardi hæc de re ostendam, ex quo fonte suam doctrinam cæteri hauriunt, & eam confusam, quantum fieri potest, saltem in aliquam sententiam colligam.

Eidem non intelligit fiduciam misericordie propter Christum, sed donum quoddam Dei, gratis nobis donatum, cum quo si coniuncta sit Charitas, esse eam causam iustificationis, & ipsam gratiam & beneficium, quo (ut ipsius uerbis utamur quæ postea declaranda erunt) hominis præuenitur uoluntas & preparatur.

ENARRATIO CAPITIS SECYNDI

preparatur, atq; ita dicit fidem non esse ex homine, sed ex Deo tantum, & huc citat hunc ipsum Pauli locum, Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis, Dei donum est, quam Pauli sententiam ita à sanctis exponi ait, Hæc scilicet fides nõ est ex uⁿaturæ nostræ, quia donũ Dei pure est, & quia hæc fides donum Dei sit, ideo neminem posse gloriari, se habere iusticiam ex se, sed ex Dei dono, fide scilicet, ideo à Paulo additum esse, Dei donum est, ne quis gloriatur.

Hanc autem suam opinionem ex his fontibus ita extruit. Voluntatem dicit esse, qua & peccatur, & recte uiuatur, sed hanc uoluntatem esse captiuam & seruam peccati, ita ut per se ipsam bonum facere non possit, huc citat illud Pauli. Non est uolentis neque currentis sed Dei misericordis. Item Philip. 2. Deus est qui efficit in uobis ut uelitis, & ut perficiatis, ut ipsi gratia fiant. Voluntatem autem ut bonum uelit, ab hac seruitute peccati liberari, præueniri, preparari, & adiuuari ipsa gratia, quam uocat fidem cum dilectione. Ita dicit uoluntatem hominis preparari & præueniri gratia Dei, ut uelit bonum, & adiuuari ne frustra uelit.

Primum gratiam gratis dantem, dicit esse Deum
Deinde est secunda gratia gratis data, fides cum dilectione

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

dilectione, quæ etiam gratia præueniens, præparans, & adiuuans, & operans dicitur, quæ ut dictum est uoluntas præuenitur & præparatur, ut bonum uelit. Tertio est gratia cooperans, quæ uoluntatem præparatam adiuuat, ne frustra uelit, & excitat ut opus bonum faciat.

Longi autem sunt flexus, ambages & trica Petri Lombardi & suorum, quibus si quis delectatur legat ipsum authorem lib. 2. dist. 26. & 27. cum sexcentis in ipsum authorem interpretibus. Caput autem istorum flexuum et tricarum est, quod tandem eò tanquam ad metam decurrunt, ut dicant gratiam præuenientem, hoc est fidem cum dilectione esse causam & effectricem bonorum operum & meritorum, & eam per actum mereri iustificationem & uitam æternam.

Has spinas & tenebras satis apparet à sathana per otiosa & petulantia ingenia, ex neglecta lectione scripturarum Prophetiarum & Apostolicarum in Ecclesiam, ad obscurandam doctrinam de iusticia fidei, & gratiæ, inuectas.

Nos uero doctrinam Christianam & uera Ecclesie Dei non ab istis scholasticis doctoribus corruptoribus cœlestis doctrine, sed à filio Dei accipiamus, iuxta præceptum patris sonantis de cœlo. Hunc audite, Hunc Doctorem audiamus, & eius discipulos
 a Prophetas

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Prophetas & Apostolos per quos Deus loquitur, & quorum uoce sese nobis patefecit.

Quare qui modus sit iustificationis nostrae, non ex illorum commentis, sed ex certis testimonijs scripturae discamus Eum autem Paulus Rom. 10. tradit. Primum necesse est à Deo dari Euangelium, quo & homines uocentur ad poenitentiam & agnitione peccatorum suorum perterrescant, & quo Deus testetur, se propter filiū placatorē uelle remittere credentibus peccata. Deinde necesse est etiam quosdam mitti, qui hanc Dei uoluntatem orbi terrarum proponant, & annuncient. Hac uoce Euangelij audita, quorundam corda trahuntur tanguntur & mouentur, ut incipiant dolere de commissis peccatis, & credere Euangelio, annuncianti remissionem peccatorum propter filium Dei mortuum & resuscitatum, sicuti & Acto 2. ad Petri concionem factum scribitur. His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos, Quid faciamus uiri fratres? Petrus ait ad illos. Delictorum poenitentiam agite. &c. credentes autem sequitur deinde noua uita.

Hic est modus iustificationis ab ipsis Apostolis praescriptus. Quare illa uaria genera gratiarū, praeuentiu, preparantiū, operantiū & cooperantiū, relinquamus suis doctoribus, Nam illa omnia commenti sunt

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sunt ad stabiliendam doctrinam humanarum uirium,
operum & meritorum & obscurandam doctrinam
gratiae & fidei.

Retineamus igitur hoc loco ueram & certam
sententiam Pauli, quam & in Romanis & Ga-
latis esse uidemus, ut cum ait gratia estis seruati, Gra-
tiam nō intelligamus fidem cum dilectione donū nobis
infusum, cuius uirtute, motu et actu uariorū operū et
meritorum, quae in nobis hoc donum operetur et exci-
tet, iusti fiamus & Legem impleamus. Sed gratiam
(ut sepe iam dictum est) intelligamus gratuitam mise-
ricordiam propter Christum Et fidem, fiduciam, illans
gratiam & misericordiam, quae in Euangelio annun-
ciatur, & Christum ipsum amplectentem.

Quaerā enim uerum est, Fidem esse donum Dei,
& lucem quandā à Deo in animis nostris per uerbum
& Spiritum sanctum accensam, quae Dei erga nos bo-
nitatem cognoscimus, & quam uita nouitas sequitur,
tamen certum est, non propter illud donum, sed pro-
pter Christum nos iustificari & saluari.

Semper enim in causa iustificationis tenenda nobis
regula est, à Paulo Rom. 3. tradita. Iustificari nos gra-
tis, id est, sine nostris meritis, per illius gratiam id est,
non infuso dono seu uirtute gratiae alicuius, sed per
gratuitam misericordiam, et propter Christū, sicuti in
sequenti

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

sequentibus uerbis Paulus ipse sese declarat, ubi ait per Redemptionē, quæ est in Christo Iesu quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem interueniente ipsius sanguine, ad ostensionem iusticiæ suæ &c. Hunc à Deo patre nobis reconciliatorem, & eius sanguinem pro nobis effusum non gratiam, seu donum à Deo nobis concessa, fide intueamur, & propter hunc credamus nobis remitti peccata & nos saluari.

Ceterum falsa interpretatio super hoc loco Petri Lombardi est, quam sanctorum esse ait, cum hunc locum cum Gratia estis seruati per fidem, & hoc non ex uobis, ita interpretatur, id est, hæc scilicet fides, non est ex ui nature nostræ, quia donum Dei pure est. Et uox τὸτο non potest referri ad fidem, sed ad totam sententiam præcedentem hoc modo, quod per gratiam, fide seruati estis hoc non est ex uobis, hoc est, non est meriti uestri, sed est gratuitum donum Dei, non ex operibus ne quis glorietur.

Hæc sententia Pauli, de gratuita remissione peccatorum & nostra iusticia, quanquam sit clarissima, tamen misere discerpta & obscurata est. Paulus loquitur discrete & distincte, ait nos ex gratia hoc est ex misericordia saluatos, per fidem, qua scilicet illam gratiam oblatam apprehendimus & nobis applicamus.

EPISTOLAE AD EHPESIOS.

mus, & addit, hoc totum quod iusti & salui estis, non est ex uobis, non ex uestris operibus, aut meritis, ne quis gloriatur se suis operibus saluatum, sed est donum gratuito propter filium a Deo donatum.

Sed alij sic deprauant sententiam, ut dicant nos gratia esse saluos per fidem, & hanc gratiam esse illud donum Dei quo speramus credimus & diligimus & quo saluamur, Ita tribuunt uim saluandi operibus, fidei, spei, charitati, quæ opera uocans gratiam infusam, ex mera Dei gratia, nullis nostris meritis, quæ sententia prorsus Paulo contraria est, qui opera omnino excludit, & eis opponit gratiam.

Sed hic obijciunt aliam calumniam. Paulus excludit nostra opera quæ nos facimus, sed hæc opera Spes, Fides, Charitas sunt donum Dei, & gratia a Deo nobis infusa, quæ opera non propter nos sed propter Deum authorem infundentem hanc gratiam ualent, & merentur uitam æternam. Sed uides has esse prestigias uerborum, & Paulum simpliciter omnia opera & nostra & quæ a renatis per gratiam fiunt, excludere, ait enim simpliciter οὐκ ἐξ ἑργῶν, ne quis gloriatur. Ita absolutus est Locus secundus huius Capituli, de gratia & iustificatione.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI
TERTIVS LOCVS, DE
Bonis operibus.

Nam ipsius sumus opus, conditi in
Christo Iesu ad bona opera &c.

Initio huius capituli Paulus concionatus est de peccato & eius tristissimis effectibus, quod propter peccatum addicti simus iræ & æternæ morti, Et subiecti Tyrannidi & potentie Diaboli, qui in non renatis, uasis iræ, & membris suis horribiliter grassatur, & in quos uult, furorcs impellit.

Deinde etiam ostendit, quo modo à peccato, morte, ira Dei & hac Tyrannide Diaboli liberemur, nempe non disciplina externa morum, non legis operibus, aut ullis nostris meritis, aut uirtutibus, sed gratis ex misericordia Dei, nobis per filij mortem conciliata, & in Euangelio oblata, quam necesse sit fide apprehendi, & nobis applicari.

Quia uero à causa iustificationis operum nostrorum merita penitus exclusit, ut omnia gratuite gratiæ, & misericordiæ Dei tribueret. Ne igitur quis putet, Paulum rejicere prorsus bona opera, ac laxare disciplinam, & concedere per doctrinam Euangelij populis infinitam licentiam faciendi que uelint, sicuti

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

sicuti hoc tempore etiam nos facere, aduersarij uociferantur, Ideo hic breuibus quidem, sed tamen insigni-
bus dictis doctrinam bonorum operum comprehen-
dit,

Ita pulcherrima & aptissima series doctrinæ Pauli est, Primum de peccato, deinde de Remissione peccatorum seu iusticia fidei, & hoc loco de bonis operibus, quæ iustificatos & renatos sequi debent.

Hæc series doctrinæ Pauli, quam fere in omnibus Epistolis seruat, ideo diligenter consideranda est, ne quæ separata Deus ipse uoluit, misceantur & confundantur. Sicuti uidemus scholasticos doctores fecisse, qui non diligenter considerato consilio, & serie doctrinæ Pauli de iustificatione, & de bonis operibus, hos duos locos diuersissimos confuderunt, & ordinem rerum, harum, à Deo ipso traditum & statutum, inuerterunt, quem etiam hoc loco, ut in alijs plurimis, Paulus hic ostendit. Non ait ex donis & operibus fieri nos iustos, sed dona & opera sequi iam iustos,

Necessè est inquit prius nos à Deo condi nouam creaturâ. Creamur aut noua creatura in Christo Iesu, cum fide Christum liberatorem nostrum & placantem iram patris amplectimur, quæ ipsa iustificatio &

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

uiuificatio est. Sicuti enim iusti à serpentibus moriebantur, sed intuentes aeneum serpentem rursus uiuificabantur, ita contuitu Christi, qui fit per fidem, uiuificamur, resuscitamur, iterum condimur à Deo, & regeneramur fide accipiendo donum Spiritus sancti.

Sed cur creamur? num, ut iusti fiamus? Minime, quia iam facti noua Creatura sumus iusti, sed ut nos creatura denuo noua gratis condita, Deum conditorum bonis operibus celebremus, In Christo enim Iesu, cum ipsum fide amplectimur, condimur, ut simus filij & heredes Dei, propter hunc unigenitum filium, & simus coheredes Iesu Christi. In filijs autem ita gratis & ex sola misericordia conditis Deus, simul preparat bona opera, ut in eis uiuant, & ambulent, & Deum patrem suum ijs honore afficiant.

Ita necesse est te priusquam facias aliquid boni operis condi à Deo per Christum Iesum, & renasci, ut ex filio iræ fias filius gratiæ, & heres Dei, necesse est te prius Christo uitæ inseri, quam feras fructus. Inferimur autem Christo, & ius filiorum Dei consequimur, non dono infuso, Fide, Spe, Charitate, sed fide id est, fiducia apprehendente Christum liberatorem, sicuti ait Ioannes, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius &c.

Sed hanc

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Scd hanc seriem à Paulo, Prophetis & Apostolis,
& à Christo ipso in iustificationis doctrina traditam
& reuelatam, inuertunt aduersarij, & suis donis &
uirtutibus, nō fide id est, fiducia & agnitione Christi,
ipsi sese refingere & condere uolunt, id quod impos-
sibile est & qui ordo inuersus est. Hæc breuiter de
ordine doctrinæ iustificationis & bonorum ope-
rum.

Ceterum breue hoc dictum Pauli quidem est, sed
tamen admodum insigne & illustre est, quod doctrin-
am bonorum operum pulcherrime complectitur.

Primum enim docet quorum opera
grata sint Deo.

Deinde propter quem sint grata.

Tertio quæ opera sint grata Deo.

Quarto in quem finem bona opera sint
facienda.

Quinto, cur necesse sit pijs bona opera
facere.

Sexto quod sit discrimen, inter opera
philosophica, hominum non renato-
rum & inter opera Ecclesiæ Dei, &
renatorum.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI
DE PRIMO, Quorum opera
placeant Deo.

Cum Paulus ait, ipsius sumus opus seu factura, conditi in Christo Iesu &c. Significat duplicem esse hominis creationem. Primam de qua etiam supra aliquoties dictum est, qua homo in initio rerum conditus est, ad illam præstantem & excellentem imaginem Dei, ut Deus in ipso luceret, ut in homine, tanquam exemplari, speculo & imagine Dei conspiceretur ipsius Dei æterna iusticia, sanctitas, bonitas, ueritas, misericordia, & ceteræ uirtutes, ut hoc tantum præstans opus referret. Deum artificem & conditorem suum, & in his operibus & diuinis donis ac uirtutibus, cum ipso immortalem uitam uiuens, eundem in omnem æternitatem ueneraretur & celebraret.

Sed hoc tam insigne & diuinum opus, Satan per peccatum ita corripit & deformauit, ut pro iusticia iniusticia, pro sanctitate Prophanitas, pro bonitate malitia, pro ueritate mendacium, pro misericordia crudelitas & immanitas, & pro donis & uirtutibus Dei, quibus homo initio ornatus erat, omnis generis uitia & peccata, item pro æterna uita, æterna mors in naturam hominis successerunt & propagata sint. Et ut primorum parentum natura eo peccato corrupta

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

rupta fuit, ita omnes ex eis deformati & corrupti, ac
ut supra dixit, ira filij nascimur.

Totum igitur Genus humanum ad hoc conditum
est, ut Deum conditorem suum bonis operibus cele-
bret, ideo stultissimum est, querere, an bona opera sint
facienda. Nam ob eam causam omnium hominum ani-
mus decalogus impressus est, ut sciant se debere obe-
dientiam Deo conditori suo, Sicuti Paulus ait, Debi-
tores Legis sumus. Cum autem in hac corruptione
nemo eam, ut debet prestare possit, necesse fuit iterum
condi hominem.

Quia, ut Ambrosius ait, Hæc est Charitas Dei era-
ga nos, ut quia fecit nos, nolit perire nos, Diligit enim
opus suum. Ideo enim fecit, ut amaret quod fecit. Et
quia per filium ab æterno ex ipso natum genus huma-
num condidit, Ideo hoc ipsius opus adeo corruptum,
ne profus pereat, sed priora bona rursus recuperet,
etiam per filium denuo condi & restaurari uoluit, si-
cuti testatur prima promissio data generi humano.
ipsum semen mulieris conteret caput serpentis, & tu
conteres calcaneum eius.

Filius igitur Dei assumpta humana natura, posteaq̃
sua morte & passione, contriuit caput serpentis, et po-
tentia diaboli per peccatū & mortem regnantis, de-
struxit, ac placauit patrem, cū ex mortuis resurgit, to-
tū genus humanum, in peccatū & mortem demersum
per sese

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI.

per sese de integro condit, & ex morte & peccato ad iusticiam & uitam educit, abstergit primum sor-des & labes peccati humani generis, dum illud in se transfert, & dum ipse pro nobis peccatum id est, ho-stia & satisfactio pro peccatis nostris fit, sicuti Rom. 8. dicitur. Ac de peccato condemnauit peccatum per carnem id est, Christum assumpta per illum humana carne, qui cum non nossset peccatum sicuti & 2. Co-rinth. 5. ait Paulus. Pro nobis peccatum fecit, sic per Christi mortem peccatum in natura humana abster-sum & abolutum est, hoc modo non ut prorsus non sit, sed ut non imputetur propter ipsum.

Deinde etiam resurgens ex mortuis Christus ab-stergit mortis squalorem, & nos secum ex morte, sepulchro & inferno denuo formatos & conditos per seipsum ad iusticiam & uitam eternam educit, ut in nobis denuo conditis, & nouis creaturis, iam per ipsum factis, donato Spiritu sancto, noua & eter-na, Vita & iusticia in nobis hic inchoetur, quae de-mum perfecta & consummata erit ubi deposito hoc mortali corpore, adhuc peccato obnoxio uestiemur Spirituali & immortalis. Interea igitur in hac uita uestiti sumus & donati, ueste, iusticia Christi sponsi nostri, cui fide desponsati, sumus quod propter hunc sponsum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sponsam nostram, quem fide cordis tanquam brachijs complectimur, & confessione oris osculamur, nostra nobis peccata non imputantur, sed ipsius iusticia nobis imputatur.

HAec est altera creatio hominis, de qua hoc loco Paulus loquitur ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu, ad opera bona. De hac altera creatione loquitur Esaias cap. 65. Ecce ego creo caelos novos, & terram nouam & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis, usq; in sempiternum in his quae ego creo. Et cap. 43. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, quem locum Paulus 2. Cor. 5. citat cum ait. Proinde si quis est in Christo noua creatura est, uetera praeterierunt, ecce noua facta sunt omnia. Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum.

Hanc autem secundam creationem nostri per Christum factam, annunciat nobis Spiritus sanctus per uocem Euangelij, atq; hoc ideo, ut hoc uerbo audito & credito, per Spiritum sanctum & uerbum in nobis regeneremur, & deposito ueteri homine noua creatura oriatur. Illa autem regeneratio, & altera nostri creatio fit in nobis, cum Christum, per
mortem

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

mortem suam nostra peccata abolentem, & per Resurrectionem suam donantem nobis iusticiam et uitam eternam, ac simul Spiritum sanctum fide intueamur, induimus & amplectimur. Sicuti enim, ut iam dictum est, qui in deserto à serpentibus icti in periculo mortis erant, cum autem aeneum serpentem intuerentur sanabantur & ex morte ad uitam reuocabantur, Ita aspectus liberatoris Iesu Christi, qui fit fide, ut certo status, per hunc placatum patrem, & propter hunc tibi remitti peccata, & te donari iusticia & uita, nos regenerat, & nouam creaturam facit, que grata & accepta est Deo, & iam rursus per Iesum Christum ad ueterem imaginem Dei, ad quam initio conditus erat homo, restaurata est, ut ad Gala. 3. ait, ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Item omnes filij Dei estis, eo quod credidistis Christo Iesu, Et cap. 4. Quoniam autem estis filij, emisit Deus Spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba Pater.

Sumus autem noua creatura, ueteribus sordibus peccati & mortis abstersis, per Christum conditi, & una cum eo gratis sine nostris meritis & operibus (Dei enim donum est) uiuificati & resuscitati, non ad uoluptates, securitatem, otium flagitia & peccata, sed ad opera

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ad opera bona, quibus Patrem creatoris nostri Iesum
Christi celebremus &c.

Docet igitur Paulus primum hoc loco, quorum
opera placeant Deo. Quia enim humana ratio ex
creatione & gubernatione rerum uidet esse Deum,
& creaturam esse obligatam, ut huic creatori serui-
at, ideo uaria opera & uarios cultus fingit, quibus
Deo seruire & eum colere & placare uelit, neq;
intuetur corruptionem naturæ suæ, & internam im-
munditiam, dubitationem de Deo, diffidentiam, de eius
erga nos bonitate, uarias flammæ odij, inuidentiæ, cu-
piditatis uindictæ, libidinis & breuiter legem mem-
brorum repugnantem Legi Dei, propter quæ mala
abiectioni & filij iræ sumus. Quare talium omnium ope-
ra & cultus, ut maxime splendidi sint, tamen displi-
cent Deo, quia sunt opera ueteris, corrupti & prop-
ter peccatum damnati hominis.

Nam etsi opus per se sit bonum, tamen quia ab
iræ filio, damnato & abiectione offertur, non placet
Deo.

VT igitur opera et cultus nostri sint grati Deo
primum omnium necesse est, sicut hic Pau-
lus monet, ut simus opus Dei, denuo conditi in Chri-
sto Iesu, hoc est, ut agnoscamus nos iræ filios fu-
isse, sed iam per mortem et Resurrectionem filij
Dei

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Dei iterum nos conditos, reconciliato & placato per eius mortem patre, ita ut iam propter Christum simus filij & heredes Dei, ita necesse est primum fide, & per Spiritum sanctum, quasi resingi & regenerari, sicut Petrus ait, Fide purificans corda, & fieri nouam creaturam, & induere nouum hominem priusquam facias aliquid operis boni, sicuti uides in Cain & Abel.

Abel agnoscit corruptionem & immunditiam suam, & eam deplorat, sed tamen statuit propter seamen mulieris promissum & se & munus suum gratum esse Deo. Hac fide iterum conditus, regeneratus, ac purificatus, et factus noua creatura Dei in Christo Iesu, offerens munera sua placet Deo. Cain autem quanquam maiora & splendidiora munera quam frater Deo offerat, quia tamen in fide seminis mulieris non est factus noua creatura, et regeneratus, ideo abiicitur cum suis donis et operibus.

Solum igitur eorum opera placent Deo, qui fide sciunt et statuunt se esse non ueteris serpentis, Diaboli, sed Dei opus nouum, qui conditi, regenerati filij Dei, grati et accepti sunt Deo per Christum Iesum. Impossibile est enim, ut Epistola ad Hebr. copiose cap. II. docet, sine fide placere Deo, Nam necesse est te prius

EPISTOLAE AD EHPESIOS.

prius fide inferi Christo uiti, quam aliquem fructum facias, sicuti Ioan. 15. docet Christus, Sicuti palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite, sic nec uos, nisi in me manseritis. Ego sum uitis nos palmites, qui manet in me & ego in eo hic fert fructum multum, Quia sine me nihil potestis facere.

DE SECVNDO, Propter quem opera sint grata, Et per quem offerenda Deo.

Impij, non renati, quia corruptionem, & internam immundiciam non norunt, neq; intelligunt, ideo tantum propter opera sua sese gratos Deo Crediunt. Quare etiam in lege Hypocritæ, qui promissiones & doctrinam de semine Abrahæ in quo omnes gentes terræ essent benedicendæ ignorabant, cumulabant sacrificia, ritus & ceremonias à Moysè præceptos, & præter illos etiam multos alios fingebant, eo quod talia opera grata Deo, & propter illos se quæ acceptos fore sperabant, qualis etiam omnino aduersæ partis hoc nostro tempore religio & opinio est.

Sed pij qui sub lege erant, & nos qui hoc tempore sub gratia sumus, Etsi uideant quæ opera exigat
& requiras

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

et requirat Deus, et ea aliquo modo presentent, tamen statuunt se non propter illa, sed propter semen Abraham propter Iesum Christum dilectum, per quem etiam nos caros reddidit, ut supra ait, gratos et acceptos Deo, Et cum in sese, quanquam in Christo Iesu denuo conditis, et regeneratis, uideant adhuc multum remanere sordium, quibus opera per sese etiam bona contaminantur, et propter remanentem infirmitatem, ita ut exiguntur et debent, perfecte in hac uita prestari non possint, ideo sciunt illa opera accepta Deo, non propter sese, sed propter Christum, in cuius agnitione fiunt, et per quem sancti sua opera Deo Patri offerunt. Sicut Paulus. Coloss. 3. precipit. Quicquid egeritis, sermone aut facto omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo et patri per illum, Et hoc capite infra, per illum habemus aditum, utriusque in uno Spiritu ad patrem. Et Petri 2. Offerentes hostias Spirituales, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Heb. 13. Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo.

DE TERTIA QVAESITIONE

tionem, Quae opera sint grata

Deo.

Sapius

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Sacpius in Mose repetita uox est, custodi præcep-
 ta Domini Dei tui, ac testimonia & ceremonias,
 quas præcepit tibi & fac quod placitum est, & bon-
 num in conspectu domini. Deutero. 6. non quod tibi
 placitum est & bonum in tuo conspectu Et cap. 10.
 Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te,
 nisi ut timeas dominum Deum tuum, & ambules in
 ujs eius, q. d. non in tuis ujs. Item obedite præceptis
 que ego præcipio uobis Et cap. 12. Obserua & audi
 omnia que præcipio tibi. Quod EGO præcipio tibi
 hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam
 nec minuas. Item Nume. 15. Recordentur omnium
 præceptorum Domini, ut faciant ea, ne sequantur
 cogitationes suas, & oculos, per res uarias for-
 nicantes, id est, non faciant quod ipsis uisum fue-
 rit. Et Christus ait, si manseritis in me, & uerba
 mea in uobis &c. Si quis diligit me, sermones
 MEOS seruabit Galat. 1. Si angelus de coelo aliud
 Euangelizauerit, anathema sit. Et hoc capite,
 superstructi super fundamentum Apostolorum &
 Prophetarum.

Voluit enim Deus populum & Ecclesiam suam alle-
 gatã certo uerbo, quo se illi patefecit, et quo monstra-
 uit quibus cultibus & operibus coli uelit, ne ut gentes

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI.

in uarijs cultibus & operibus deo præstandis, sine certo uerbo & mandato Dei uagentur animi & sint incerti.

Igitur in operibus seu cultu Deo præstando, primum omnium uidendum est, an sit opus mandatum & præceptum à Deo, Neq; enim alijs operibus coli uult Deus, quam quæ ab ipso præcepta & mandata sunt, sicuti Math: 15. Christus ait, Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.

Sicuti igitur in ueteri Testamento peccauerunt, qui desertis operibus, cultibus & cæremonijs, ipsis à Deo per Mosen traditis, imitati sunt gentes, offendendo liberos suos, & eos comburendo, & subinde alijs atq; alijs cultibus inueniendis, ita & hoc tempore peccant, qui humanas traditiones, de uotis monasticis, de sacrificio Missæ, de mortuorum sanctorum inuocatione, de colendis sanctorum exuijs & reliquijs, desertis operibus decalogi sequuntur, imo illa plurius faciunt, quam decalogi opera à Deo præcepta.

Quantquam enim uersari in administranda uel Ecclesia, uel Repub: res sit præcepta à Deo, & plena laborum & maximorum periculorum, Tamen uita monastica non præcepta Deo, in qua summum oritur est, &

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

est, & genus uitæ, superstitionibus, & diaboli illusionibus plenissimum, ab Hypocritis, illis laboriosissimis & humana uitæ necessarijs, & utilissimis uitæ generibus, longe præfertur. Quia uero pulcherrimo catalogo opera diuinitus præcepta comprehensa sunt in Decalogo, ut illa in conspectu iuuentus semper habeat, & non patiatur se seduci fictitijs monarchorum operibus, & humanis traditionibus ab operibus diuinitus traditis, igitur iuxta decalogi præcepta breuem catalogum bonorum operum subiicimus.

Summa & præstantissima opera, quæ reliquis omnibus præluere, & eorum fons & regule esse debent, sunt opera primi præcepti, & illa quidem interiora, opera cordis, Fides, timor, & Amor. Primum enim omnium in hoc præcepto præcipitur, uera ueri Dei cognitio, ut scias quis sit uerus Deus, ne pro uero alienum colas.

Primum
opus cogni-
tio Dei.

Est autem uerus Deus, non quem sibi mens & ratio humana fingit aut imaginatur, sed is, qui se certo uerbo tradito & certis testimonijs generi humano patefecit. Verbum quo se patefecit nullum aliud est, quam doctrina per Moysen, Prophetas & Apostolos tradita, quorum uoce Deus nobis locutus est, in hoc

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

solo uerbo & doctrina alia nulla, ueri Dei, uera cognitio quærenda est.

Testimonia quibus se reuclauit, est miraculosa eductio populi ex Aegypto, quod Deus subinde, tanta quam certissimum indicium ueri Dei allegat, Vt Exo. 20. Ego qui eductio de terra Aegypti, de domo seruitutis, sum Dominus Deus tuus, Huic accedunt ingentia alia & innumerabilia opera & miracula, huic populo à Deo ideo exhibita, ut sciret se uerum Deum colere sicut inquit Psal. Non fecit taliter omni nationi, nec iudicia sua sic manifestauit eis.

In nouo testamento præter Testimonia ueri Dei, populo Israelitico exhibita, est missio filij Dei, pro redimendo genere humano, & donatio Spiritus sancti perpetua conseruatio Ecclesie & ministerij, quibus accedunt resuscitatio mortuorum, & alia ingentia miracula, quæ testantur hunc ueram esse Deum, qui hoc uerbum & hæc testimonia edidit.

Errant igitur omnes, qui extra hoc uerbum, & sine his testimonijs Deum quærent. Testatur autem hoc uerbum quo se patefecit, hunc Deum uerum esse, unum in substantia, & trinum in personis. Patrem ab æterno gignentem filium, imaginem suam, Et filium genitum,

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

genitum, qui præfinito tempore humanam naturam pro redimendo genere humano adsumpserit. Et Spiritum sanctum procedentem à patre & filio, quo modo in tribus personis se Deus quoq; in ueteri testamento patribus obscurius tamen, postea uero in nouo testamento clarius & manifestius ostendit, Vbi Pater misit filium, & à patre & filio missus fuit Spiritus sanctus, Et in Baptismo Christi, uox patris auditur de caelo sonans, Spiritus sanctus conspicitur in specie columbe, Filius autem stans in iordane baptizatur à Ioanne.

Turcæ igitur gentes & Iudei cum extra uerbum flagant sibi Deum qui non habet filium, sunt sine uero Deo, quia non est Deus sine filio & Spiritu sancto. Ioan. 5. qui non honorat filium, non honorat patrem qui misit filium. Et 3 Ioan. 2. Omnis qui negat filium, nec patrem habet, Et 1. Ioan. 4. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo Qui igitur negat Christum esse filium Dei, Deus in eo non manet, neq; ipse in Deo, atq; ita sine uero Deo est.

Imo & qui doctrinam Pontificiam amplectuntur sunt sine uero Deo, Verus enim Deus is est, qui gratis sine nostris meritis, per suam gratiam

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

hoc est gratuitam misericordiam per redemptionem
 que est in Christo Iesu, iustificat & saluat, quem
 Christum filium suum Deus proposuit reconciliato-
 rem per fidem interueniente ipsius sanguine, qui
 Deus ipse iustus iustificat eum, qui est ex fide Iesu
 Rom. 5.

Negant autem aduersarij nostri, nos gratis sine
 nostris meritis sola fide, & propter solius Christi
 meritum iustificari, & asserunt infundi gratiam &
 donum, Fidem, Spem, & Charitatem, propter que
 etiam dona, non solum propter Christum iusti &
 accepti sumus Deo, Negant igitur uerum Deum qui
 solum propter filium Genus humanum saluat, & re-
 cipit, si in hunc saluatorem credant, Sic 3 Ioannis 4.
 dicitur. Nos uidimus & testificamur, quoniam Pa-
 ter misit filium suum saluatorem mundi. Item hoc est
 testimonium, quoniam uitam eternam dedit nobis
 Deus, & hæc uita in Filio eius est. Qui habet filium
 Dei habet uitam, Qui non habet filium Dei, uitam
 non habet. Habent quidem Aduersarij filium Dei sed
 non ut saluatorem, non ut uitam, sed ut ministrum
 largientem ipsis gratiam & dona, per que ipsi dele-
 ant peccata & mereantur uitam eternam.

Fingunt igitur Deum qui per filium conferat
 gratiam, hoc est, dona, fidem, Spem, Charitatem, &
 alias

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

alias uirtutes, propter quas ipsi Deinde grati iusti
& salui, & non solum propter filium Dei fiant.

Talis autem Deus non est in rerum natura.
uerbum enim quo se Deus nobis reuelauit, describit
hunc esse uerum Deum, qui gratis & solum pro-
pter filium iustificat & saluat, sed hunc Deum ne-
gant, ideo sunt sine uero Deo. Sic in 2. Ioannis epi-
stola dicitur, omnis qui transgreditur & non manet
in doctrina Christi Deum non habet.

Primum igitur & quasi fons & origo omni-
um bonorum operum est audire & amplecti
uerbum Dei traditum per prophetas & Apostolos,
audire Deum in hoc uerbo nobiscum loquentem
ostendentem nobis peccata nostra terrentem nos mi-
nitantem nobis poenas nisi egerimus poenitentiam.
Deinde rursus consolantem & erigentem nos per
promissiones gratiae & misericordiae gratuita, osten-
dentem quae a nobis fieri uelit.

Ad uerbum autem accedere debet Consideratio
testimoniorum, ut admiranda eductio populi ex Aeg-
ypto, & conseruatio eius populi usq; ad Aduentum
Messiae plena miraculorum, Deinde missio Messiae fi-
lij Dei, & donatio spiritus sancti, resuscitationes
b s mortuoꝝ

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

mortuorum, gubernatio & conseruatio Ecclesie Dei aduersus Diaboli & mundi furores, usq; ad hæc tempora plane miraculosa. Quæ omnia testantur, hunc esse uerum Deum, qui hoc uerbum quod Ecclesia amplectitur tradidit, & hæc testimonia edidit, & ita mirabiliter Ecclesiam gubernat & defendit. Qui hoc uerbum audit & ei obtemperat, ac testimonia à Deo edita considerat & amplectitur, non habet alienum sed uerum Deum. Qui uero extra hoc uerbum & sine his testimonijs de Deo aut cogitat aut docet, aberrat à uero Deo.

1. Cognitio Dei.

Ita primum omnium operum est uera cognitio Dei quæ ex uerbo & testimonijs à Deo de seipso editis oritur.

2. Fides.

Ex hoc fluunt Deinde reliqua interna opera, Fides, quæ ex uerbo statuit, hunc uerum Deum amare genus humanum, uere esse φιλόφροπον, respicere, exaudire, iuuare inuocantes se, & uelle omnes saluos qui in filium credant.

3. Amor.

Fidem autem sequitur amor Dei & proximi. Quia enim ex fide uideo Deum adeo dilexisse me, & totum mundum, ut proprio filio non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum. Ideo per Spiritum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ritum sanctum exuscitantur & inchoantur in nobis
quedam flammæ seu igniculi, ut statuamus Deum ita
nos diligentem rursus redamandum, & ita aman-
dum, ut omnibus fortunis, atq; adeo nostræ uitæ sit
preferendus. Inde oritur etiam amor erga proxi-
mum ut cum cogito, quanta uis diuini amoris erga
nos sit, quod filium propiciationem pro peccatis
nostris miserit, statuam, ut 1. Ioannis. 4. dicitur, Si
sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo
diligere.

Fidei coniuncta etiam spes est, quæ expectat
promissa bona, & liberationem a presentibus ma-
lis. 4. Spes.

Amori coniunctus est timor, quem enim amamus
eundem & suspicimus, uentramur, & timemus,
nolumus offensum, sed eius beneuolentiam retinere
studemus. 5. Timor.

Timorem sequitur humilitas, agnitio propria im-
becillitatis, nulla est superbia, nulla fiducia, aut amor
sui, non est aliqua confidentia, extra Deum, humano-
rum presidiorum, sed pius se totum Deo subijcit, illi
commendat regendos omnium rerum euentus. 6. Humilitas

Has uirtutes comitantur simul multæ aliæ, pa-
tientia, Longanimitas, gaudium in Deo, & pax con-
scientiæ. 7. Patientia
obediencia,
longanimitas
gaudium, Pax
conscientiæ.

Hæc

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Hec fere sunt opera bona, quæ in primo præcepto præcipiuntur, Et diligenter obseruandum est, Primum præceptum cum suis operibus, esse normam & regulam reliquorum omnium præceptorum & operum Decalogi, omnia enim reliqua opera præcedere & regere debet, Agnitio Dei, Fides, Spes, Amor & Timor Dei, ut omnia opera nostra ad celebrandum Deum referantur.

Facile autem iam uidere est, quæ sint mala opera cum his, & contra hoc primum præceptum pugnantia, ut est ignoratio Dei, diffidentia, dubitatio de Deo, contemptus & odium Dei, desperatio, præsumptio & superbia contra Deum, Fiducia & admiratio sui, confidentia in externa præsidia extra Deum, fiducia propriæ iusticiæ & Hypocrisis, impatientia, fremitus aduersus Deum, Idolatria, Auaritia, Magia, incantatio, inuocatio mortuorum sanctorum, Idolatrici cultus Missarum, Purgatorij, statuarum, cultus reliquiarum sanctorum &c.

De operibus secundi præcepti.

Primi præcepti opera fere sunt interiora, & cordis opera, cum enim Deus sit $\alpha\alpha\alpha\delta\iota\omicron\gamma\upsilon\omega\varsigma\eta\epsilon$ & magis corda quam externa opera intueatur, uult prius cor, tanquam fontem bonorum operum omnium, fide

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

um, fide & uera agnitione sui purificari, & per Spiritum sanctum accendi nouam lucem, timorem & amorem Dei, & deinde demum sequi opera reliquorum praeceptorum. Neq; enim ulla opera placere Deo possunt, ut supra ostensum est, nisi praeuente & prae-lucente fide. Impossibile enim est sine fide placere Deo.

Secundi igitur praecepti opera sunt, uera inuocatio Dei, Gratiarum actio, praedicatio, propagatio & studium, ac confessio caelestis doctrinae Religio iurandi. De quibus & passim alibi extant praecepta, ut Psal 49. Immola Deo sacrificiū laudis, & redde altissimo uota tua, Et inuoca me in die tribulationis, & eruiam te, & honorificabis me, Sacrificium Laudis honorificabit me. Ite docete omnes gentes, si quis me diligit sermones meos seruabit, Qui confessus me fuerit coram hominibus &c. Deute. 6. Dominum Deum tuum timebis & illam coles, & in nomine eius iurabis.

Opera mala contraria huic praecepto sunt, inuocatio demonum, idolorum, mortuorum, blasphemia contemptus & neglectus uerbi Dei, persequi sanos doctores & sanam doctrinam, Hereses, spargere falsa dogmata, abnegare aut reticere propter pericula caelestem doctrinam, praeterire nomen Dei impij-
cultibus

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI
cultibus aut factis, corruptela & falsa interpretatio
doctrinae Dei, uaria scandala, impij sermones, Execra-
tiones, abusus nominis Dei, qui uarijs suis modis, in ex-
ercendo mercatu, in fallendis alijs, ad parandas opes
honores, cum ardentibus odio, iracundia abominandas
execrationes & maledicta cuomunt &c. Item periu-
ria, fraudes, doli, mendacia.

De operibus Tertij præcepti.

Opera huius præcepti sunt conseruatio ministere-
rij, uerbi publici, & ceremoniarum, quas
Deus præcepit, recte uti Sacramentis, audire doctores
res uerbi, eis obtemperare, afficere honore, iurare,
defendere ministros uerbi, adesse sacris ceremonijs, et
alios nostra presentia & exemplo inuitare ad audien-
dum uerbum & usum Sacramentorum conseruare
& colere studia uerbi Dei & aliarum artium, quarum
cognitione opus habet Ecclesia.

Opera contraria huic præcepto sunt in conspectu,
& è regione posita, Abrogatio aut contemptus ministere-
rij & ceremoniarum, non uti aut non recte uti Sa-
cramentis, nolle audire ministros uerbi, afficere eos
contumelia, negligere studia uerbi Dei & bonarum
artium & similia.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

De operibus Quarti præcepti.

Tria præcepta primæ tabulæ continent ea opera, quæ proprie ad Dei cultum pertinent, & ut ordo est præceptorum, ita etiam inter se sunt distincta opera. Primi præcepti opera sunt cordis, secundi oris, Tertij Operis. Nunc sequuntur opera secundæ tabulæ, quæ quanquam & ipsa ideo præstentur, ut obediamus Deo & Deus per ea glorificetur, tamen quia proximo exhibentur, uocantur opera quæ proximo debentur.

Sunt autem hæc opera Obedientia & honos erga parentes, Honoris uero uocabulum complectitur omnis generis officia. Ut liberi patiantur sese flecti, corrigi, emendari, non irascantur parentibus cum emendantur, ferant æquo animo paupertatem, asperitatem, morositatem, atq; alia etiam quæ in parentibus uidentur esse uitia, præbeant eis defensionem, ὡς τὸ ἰσχυρὸν pio, uictum & alia necessaria, quæ iure naturæ eis debentur.

Econtra parentum officia hic erga liberos præcepta sunt, ut ad agnitionem, timorem & amorem Dei, deinde ad studium uirtutis & optimarum rerum curent educari liberos, non præbeant eis scandala, sed exempla uirtutis ut, errantes corrigant, non corrumpant per indulgentiam, sicut sacerdos Eli.

Continetur

ENARRATIO CAPITIS SECYNDI

Continentur item hic opera debita inuicem mariti
erga uxorem, & uxoris erga maritum, seruorum
erga dominos & econtra. Episcoporum & pasto-
rum erga gregem suæ curæ commissum, Magistra-
tuum erga subditos, Præceptorum erga discipulos.
Tutorum erga pupillos, senum erga iuuentutem, &
horum omnium mutua econtra officia, uoluit enim
Deus, genus humanum ita mutuis officijs esse deuina-
ctum & consociatum. Latissime igitur opera huius
præcepti patent.

Contraria autem huic præcepto mala opera, que
sint facile est animaduertere, Inobedientia & contem-
ptus parentiū, Magistratum, præceptorum, Ministro-
rum uerbi &c. Turbare Rempub: seditionibus ad-
uersus Magistratus, & talia alia mala.

De operibus Quinti præcepti.

IN quarto præcepto sanxit & constituit, coniugia
um, administrationem domesticam, politicam, &
Ecclesiasticam, Nunc eas hoc præcepto tanquam fossa
& uallo munit, ne cædibus, & alijs furoribus tur-
bentur, sed sint tranquille & pacate, sunt autem ope-
ra bona interna & externa, Charitas et amor proxima-
ni, Bene ei et ex animo uelle et cupere, quam uirtus
tem

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tem benivolentiã uocant, Candor et zelus erga proximum, letari rebus secundis proximi, diligere inimicos & eis benefacere, orare pro eis benedicere maledicentibus. Misericordia, mansuetudo, Bonitas, facilitas, æquitas, patientia, clemẽtia, iusticia, beneficentia, liberalitas, longanimitas, mansuetudo, amicitia, concordia, hospitalitas. Officia quæ debentur propinquis & cognatis, adfinibus, uicinis, ciuibus, inquilinis, peregrinis & aduenis, exteris, uiduis, pupillis, bene de omnib: sentire, loqui, in meliorem partem omnia interpretari, tueri uitam, famam, et existimationem omniũ, pugnare pro patria, pro aris et focis, propugnare, luare et non deserere, calamitosos, & periclitantes, captiuos, miseros, & talia multa alia quæ ad proximi uitam & eius famam conseruationem pertinent, Breuiter precipitur ne uel corde, uel ore, uel opere occidamus.

Contraria huic præcepto opera sunt, odiũ proximi
 inuicem, maleuolentia, ἐπιχρηστικὸς, gaudere ex miserijs bonorum, & malorum successibus, inuidentia, impatientia, iniusticia, crudelitas, Tyrannis, inimicitia, ira, discordia, inhospitalitas, negligere propinquos, cognatos, affines, uicinos, ciues, inquilinos, peregrinos, exteros, uiduas, pupillos, Maledicentia, obtretractatio, calumnia, studium litigandi, Malitia, conuicia,

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

tia, probra, uiolentia, oppressio, fraus, dolus, insidia,
Homicidia, contumelia, iniuria, damna, uindicta pri-
uata, cupiditas uindictæ, latrocinium, seditio, iniusta
bella &c.

De operibus sexti præcepti.

Sexto præcepto muniuntur coniugia & damnantur
Stur omnes concubitus, qui extra coniugium sunt.
Semper autem consideretur in omnibus præceptis
non præcipi tantum de externis operibus, sed de cor-
de, ore & opere, ut hoc loco uult cor, os & opus uide-
re care omni immunditia, & spurcitia Sunt uero huius
præcepti bona opera, ut honorabile inter omnes con-
iugium sit, & cubile impollutum, pudicitia, uerecunda-
dia, Modestia, continentia, abstinentia, Temperantia,
sobrietas, frugalitas, labor, uitare occasiones libidinum
& similia uitiorum.

Contraria mala opera sunt, habere cor impurum,
ardens libidibus, Adulterium, fornicatio, scortatio,
stuprum, raptus, incestus, Mollicies, Zodomia, Bestia-
litas, pollutio, obscœnitas, impudicitia in corde, sermo-
ne, gestu, opere, scurrilitas, crapula, ebrietas, luxus,
Qui talia non prohibent non puniunt, sed iuuant, &
ea cum in alijs conspiciunt, ijs delectantur & assenti-
untur.

De operibus septimi præcepti.

Vt po

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

VT Politias, œconomias & Ecclesias, quarto, Et
deinde corpora & famam quinto, sexto au-
tem coniugia muniuit, Ita hoc septimo præcepto mu-
niuntur facultates. Sunt autem huius præcepti opera
bona, distinctio dominiorum, ut deimus operam quo-
quisq; suum teneat, iusticia in contractibus, Emptio-
ne, uenditione, Locatione, conductione, mutuo, com-
modato, pignore, deposito, pondere, mensura, & cœ-
teris contractuum generibus, æqualitas, liberalitas,
assiduitas, parsimonia, Gratitude.

Contraria opera mala sunt concupiscere rem alicu-
nam, inhiare in aliorum hereditates, & doli ac frau-
de eas ad se pertrahere, furtum, sacrilegium, pecula-
tus, abigeatus, plagium, rapina, usura, iniusticia, frau-
des, doli in contractibus, in exercendis opificijs, negli-
gentia in cuiusq; uocatione & munere, auaritia, pleo-
necia, otium, ignauia mendicitas, ingratitude.

De operibus octauæ præcepti.

Hoc præcepto muniuntur iudicia & societas hu-
mane uitæ. Est enim summum uinculum humano
societatis, ueritas in iudicijs, pactis, contractibus &
toto genere uitæ, præcipue autem ueritas et puritas in
doctrina Ecclesiæ Dei hic præcipitur conseruanda, sicut
et in secundo, præcepto. Huc pertinent iusta iudicia,
testimonia,

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

testimonia, fidelia consilia, Artes bonæ pure fideliter
& sincere tradita. Bonæ leges, statuta, consuetudines
bonæ, quæ legum vim habent. Candor. erga omnes in
tota uita.

Opera prohibita hoc præcepto sunt, sophistica,
corruptela, calumnia, falsæ interpretationes sacræ
scripturæ, Legum, statutorum, bonarum artium, pã
ctorum, contractuum, causarum forensium, negocio
rum & actionum, mendacium Hypocrisis, simulatio,
dissimulatio, assentatio, fuci, doli, insidiæ.

NONUM & decimum præceptum,
ostendunt latens uitium in corrupta natura,
concupiscentiam, legem membrorum repugnantem
legi Dei, & declarant priora præcepta non præcipi
tantum externa opera, sed requiri lege Dei, ut corda
careant omni praua inclinatione & concupiscentia,
ut motus cordis consentiant cum lege Dei.

Hic catalogus bonorum & malorum operum di
uinitus præscriptus semper nobis in conspectu sit, ne
ad alia opera quæ à Deo mandata non sunt, delaba
mur, ut enim opus gratum sit Deo, necesse est à Deo
esse mandatum iuxta illud, frustra me colunt manda
tis hominum.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Quæ præparauit Deus, ut in eis
ambulemus.

CVM Paulus ait conditos nos in Christo Iesu ad
bona opera, significat necesse esse, ut ij qui re-
nati sunt, studeant bonis operibus. Non enim ad mala
sed ad bona opera iterum condi & renasci in Christo
Iesu nos uoluit Deus, ut noua creatura celebret Deum
conditorem suum, ad quod etiam initio ante lapsum
condita fuit. In his uero uerbis proponit dulcissimam
& necessariam consolationem, cum ostendit in Eccle-
sia præparari à Deo opera, in quibus pij ambulare,
officium suum facere, & curriculum uitæ suæ absolue-
re possunt.

Præparat autem primum dum ad certa & admi- 1. Vocat.
randa, deinde etiam ad communia & mediocria ope-
ra in Ecclesia aut Politia singulos uocat.

Secundo dum ita à se uocatos singularibus & in- 2. Institut.
gentibus donis ad uocationem adornat & instruit, ut donis.
ad uocationis officia & onera subeunda idonei &
instructi sint. Nemo enim hominum ad ullum bonum
& Deo placens opus & officium, per sese satis ido-
neus & instructus esse potest, sicuti 2. Corin. 3. dici-
tur. Non sumus idonei ex nobis ipsis, cogitare quic-

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

quam, tanquam ex nobis ipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est.

s. Adiuuat. Tertio sic uocatos & donis instructos, necesse est quoque diuinitus regi & adiuuari, Multa enim & uaria impedimenta obijciuntur pijs à Diabolo, ad impediendos ipsorum conatus & opera, & magna est, humane nature imbecillitas, ideo auxilio diuino sanctis opus est, sicuti ait Paul. Rom. 8. Spiritus auxiliatur in firmitatibus nostris Et Philip. 1. Qui cepit in uobis opus bonum, perficiet usque ad Diem Iesu Christi, Et cap. 2. Deus est qui efficit in uobis ut uelit & ut perficiatis, ut ipsi grata fiant. Hoc est Deus uocat nos primum, & trahit uerbo, ut assentiamur & uelimus bona, postea Spiritu suo adiuuat uoluntatem, & perficit in nobis quod cepit.

Quarto ut necesse est adiuuari nos diuina ope ad prestanda opera uocationis, ita etiam apprimè necessarium est, nos confirmari ad sustinenda onera & pericula, quæ uaria obijcit diabolus, ut uocationem & stationem suam pij deserant, Ideo orandum est, ut Deus confirmet quod in nobis operatus est.

Postremum etiam ita bona opera preparat Deus, ut cum successus rerum non sint in nostro sed in suo arbitrio, ipsum timentibus & inuocantibus largiatur foelices successus, Hi quinque gradus hoc loco confiderandi

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

randi sunt, cum dicit Deum preparare opera in quibus ambulemus.

Exempli causa, ingens opus fuit liberatio populi ex miserrima seruitute & oppressione Aegypti, quod ut fieret necesse fuit preparari à Deo, uocatur igitur ad tantum opus Moses ingenti miraculo, antea seruatus & nutritus in aula regis, à Domino, in ardenti rubo uocatus instruitur & ornatur donis, ad tantam uocationem necessarijs sicuti testatur Cap. 4. Exod. ubi ait Moses, Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum impeditioris & tardioris linguae sum. Perge inquit Dominus, & ego ero in ore tuo, doceboq; te, quid loquaris &c.

Sic autem uocato & donis ornato, cum opus uocationis aggreditur, et conatur liberare populum ab oppressione Aegyptiaca, uaria impedimenta obijciuntur, Pharaeo obduratus non uult dimittere populum, Adest igitur Mosi & eius conatus adiuuat Deus, eduntur ingentia miracula ad commonendum Pharaonem ut populum dimittat, quibus multis cum non mouetur occiduntur omnia primogenita Aegypti, Tandem ubi populus eductus est, incidunt in summum discrimen, ad mare rubrum, sed periclitantes ingenti miraculo iuuat & seruat Deus, submersis omnibus hostium copijs.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Quia autem magnis periculis à populo ipse subito de urgetur & premitur Moses, ita ut tantum onus gubernationis sustinere non possit, sicuti numeri 12 conqueritur. Non possum solus sustinere hunc populum, quia grauis est mihi, si aliter tibi uideatur, obsecro ut interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis, ideo datur ei Spiritus sanctus, qui ipsum confirmet & corroboret, ad hæc pericula & onera gubernationis sustinenda.

Postremo etiam regit Deus consilia & actiones Moyse & dat foelices progressus & successus, Eodem modo & Dauidem, Esaiam, Hieremiam, Danielelem, Paulum & multos alios uides in operibus à Deo præparatis ambulasse.

Præparat igitur, id est, ordinat certas & diuersas uocationes, & singulas adiuuat Deus. Aliud munus est Dauidis, aliud Pauli, & tamen utriusq; officium est foelix, Deo uocante & approbante.

Proposita igitur hic omnibus pijs consolatio est siue in paruis siue in difficilib. & arduis operibus & officijs uersentur, ut in gubernatione cœconomiæ uel politiæ uel Ecclesiæ, quibus se uideant esse impares ne frangantur animis, ne desperent, aut succumbant oneri, sed credant se ad talia officia uocatos habere Deum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

bere Deum iuantem, & confirmantem ipsos, & daturum felices successus, Et ut iuuentur & regantur petant hæc à Deo, sicuti & Paulus I. Corin. 15. monet. Fratres dilecti stabiles sitis immobiles, abundantes in opere Domini semper, cum sciatis, quod labor uester non est inanis in Domino.

Econtra uidemus multorum impiorum labores, & contentiones fuisse inanes, Res magnas gesserunt multi, quibus & se & sua imperia firma & perpetua futura crediderunt, ut Alexander, Pericles, Alcibiades, Demosthenes, Cicero & c. Sed quia talium opera & labores non approbavit Deus, idco fuerunt inanes & irriti. Sic & Psal. 1. dicitur, Quæcumq; faciet pius prosperabuntur. Non sic impij, sed tanquam puluis, quem proicit uentus.

Augustinus & quidem alij referunt uerbum, præparauit, ad disputationem de prædestinatione, sed quam conueniens hæc huic loco interpretatio sit, uiderint ipsi, Hæc propior & ad confirmandos animos utilior & magis idonea est.

DE QVARTO.

In quem finem bona opera
sint facienda.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Aduersarij & doctores scholastici, quos illi sequuntur, duos fines bonorum operum statusunt. Primum dicunt bona opera ideo præstanda, ut per ea impetremus gratiam. Deinde ubi gratia hoc modo fuerit impetrata, ut per ea mereamur eternam uitam. Sic enim docent. Opus bonum ante gratiam, ualere ad impetrandam gratiam de congruo, seu ut nunc pingunt preparare nos ad gratiam, Impetrata uero gratia sequens opus mereri uitam eternam, de condigno.

Apostolica uero doctrina est, omnia non renatorum opera, quantumuis speciosa, esse peccata, iuxta illud sine fide impossibile est placere Deo, Et quicquid non sit ex fide peccatum est. Neq; enim operibus gratia impetranda est, quæ omnibus agentibus penitentiam, blasphemis etiam hostibus Dei & Latronibus adulteris, semper patet, ut est cernerè in Dauide, Petro, Paulo, Latrone conuerso, iuxta illud Ezech. 33. Vivo ego nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur impius a uia sua & uiuat, Et quomodo opus ante gratiam factum, impetrare gratiam possit, cum sit peccatum, quod iram & poenam meretur;

Deinde neq; ideo etiam opera bona post impetratam gratiam præstanda sunt, ut per ea uitam eternam mereamur, quæ gratis propter Christum datur, quæq;

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

quæq; simul quoq; merces & compensatio est bonorum operum.

Cum igitur, ut supra ostensum est, bona opera non possint, nisi ab ijs præstari, qui fide iam sunt facti filij & heredes Dei, quæritur in quem finem sint faciendæ?

Est autem summus & principalis finis omnium bonorum operum, quem Paulus 1. Cor. 10. describit, cum inquit, siue igitur editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Tales estote, ut nullum præbeat is offendiculum, neq; Iudeis, neq; Grecis, neq; Ecclesie Dei. Et Christus Matth. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum qui in cælis est.

Sit igitur hic finis, & scopus unicus, omnium bonorum operum nostrorum, ut per ea Deus celebretur, & honore afficiatur, non ut æternam uitam per ea mereamur, quæ gratis propter Mediatorem Filium Dei datur. Est enim hereditas promissa, ideo non paratur operibus legis, sed accipiendæ est fide, ut ad Galat. docet Paulus. Quæ autem operum sint merita, dicitur in huius loci fine.

Quamquam

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Quonquam uero multi etiam alij fines sint, bonorum operum, tamen hic summus est, ad quem alij omnes referendi sunt, & bona opera ideo præstanda sunt, ut nostram gratitudinem per ea testemur Deo, quod nos condiderit, conditos seruet, liberarit ab æterna morte per unigenitum filium, ut nostro exemplo ad bene operandum inuitentur alij, ut imbecilliores non offendantur, sed confirmentur, hanc esse ueram Dei doctrinam, quam nos amplectimur, ut testemur nostram fidem alijs, & nos esse filios Dei, Lucis non diaboli aut tenebrarum, ut per ea ornentur cœlestis doctrina, ut testemur nos uere diligere & Deum & proximum, ut bonis operibus ipsi nostram fidem in nobis exerccamus, & confirmemus ut retineamus bonam conscientiam, ut dona Dei in nobis crescant, ut recte Deum inuocare possimus, ubi enim malis operibus polluta est conscientia, ibi cor fugit Deum, non audet inuocare, Et tales multi alij fines sunt. Stulti igitur & impij iudicandi sunt, qui contendunt nullum usum & finem bonorum operum, esse si à merito uitæ æternæ excludantur.

DE QVINTO.

Cur pijs necesse sit bene operari.

EPISTOLAE AD EHPESIOS.

Cum Paulus ait nos conditos in Christo Iesu ad bona opera, significat nouam creaturam ad hoc obligatam, ut bonis operibus Deum qui nos de-
 nuo per filium condidit, celebret. Ideo quoq; in Rom. Cap. s. ait, Debitores sumus non carni &c. Cuius debiti etiam nos oratio dominica commonefacit, Dimitte nobis debita nostra &c. Sicut & Theophilactus hunc locum exponit, conditus es non ut ocieris, utrum ut opereris, circumambulesq; in bonis operibus, hoc est, omnem aetatis tuae cursum in hisce perficias, non duos, tresue annos, sed omnem uitae tuae uiam, hoc enim iudicat per uerbum περιπατησθε circumambulemus. Sic iterum conditi, id est, per Christum Iesum redempti sumus a peccato, ut (Sicuti Rom. 6. inquit) post hac non seruiamus peccato, Ideo nouus homo conditus est, ut uetus noster homo cum Christo crucifixus, mortuus & sepultus sit.

Deinde altera necessitas est, ut Deo praecipienti bona opera in Decalogo, obediamus.

Tertio, ut uitemus poenas & praesentes corporales & aeternas, quibus Deus, puniturum se inobedientes, minatur: Testatur enim totius mundi historia Deum grauissime punire, qui contra eius mandata, contumaciter ruunt.

Quare ut retineamus fidem & Spiritum sanctum

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI
Etum, qui excutitur lapsibus contra conscientiam.

DE SEXTO.

De meritis bonorum operum.

ETsi bona opera non sint præcium pro quo datur uita æterna, tamen maxima sunt eorum merita & præmia amplissima, quæ pios ad bene operandum exuscitare debent, Merentur enim præmia & corporalia, & Spiritualia, sicut 3. Thimo. 4. scriptum est. Pietas habet promissiones præsentis & future uitæ.

Marci 10. Nullus est, qui reliquit, domum, aut fratres aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Vxorem, aut liberos, aut agros, mea causa & Euangelij, quin recipiat centuplum nunc in tempore hoc, Domus & fratres &c. ac in seculo uenturo uitam æternam. Luca 6. Date & dabitur uobis.

Cum igitur Deus amplissima præmia bene operandibus promiserit, bona nempe præsentis & future uitæ, debent etiam hæc pios ad bene operandam inuitare.

Sunt uero plurima Exempla proposita in quibus uidentur

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

videmus magnis donis bona opera Deum ornasse, ut in Abraham, Iacob, Ioseph, Iob, David, Daniel.

DE SEPTIMO.

Quod sit discrimen inter opera philosophica, hominum non renatorum, & inter opera Ecclesiae Dei, seu renatorum.

Non videtur esse aliquod discrimen inter opera philosophica & renatorum, cum utriusque ius naturae & Decalogi praecipua sequantur. Et quantum opera iuris naturae & Decalogi per sese sunt bona, tamen sciendum est, utiari ea in non renatis per accidens, ideo quod persona quae ea prestat, non est accepta & grata Deo. Gerunt bella pro suis populis uterque David & Alexander, & sustinet uterque magnos labores, & ingentia pericula. Sed Alexandri fortitudo & alia opera, ut maxime uideantur similia Davidis operibus, tamen magnum inter ea propter personas, quae ea prestant est discrimen.

Alexander, est sine fide, sine agnitione ueri Dei,
& Dei

ENARRATIO CAPITIS SECYNDI

& Domini nostri Iesu Christi, sine timore & amore
 Dei, gerit res magnas, sed sine timore & inuocatione
 Dei, non refert suas actiones eò, ut per eas celebretur
 Deus, sed ut sibi aeternum nomen & decus pareat, Igno-
 rat filium Dei, per quem offerenda sunt opera Deo,
 & credendum est propter illum esse grata Deo. Igi-
 tur quia persona displicet Deo, ideo neq; opera pla-
 cent Deo, quae ab impio geruntur. Ita etsi in Scipione
 pulcherrimae uirtutes sint, amor patriae, fortitudo, tem-
 perantia, continentia, & aliae, tamen hæ tantæ uirtu-
 tes per accidens, quia persona impia & sine fide &
 ueri Dei agnitione est, uitiantur, contaminantur, &
 fiunt peccata.

E contra David gerit bella, administrat Rempub:
 & ornat Ecclesiam uarijs cœremonijs, & doctrinam
 Dei propagat, sed has tantas res gerit prælucente sci-
 de, & uera Dei cognitione, credit se propter promissa
 sum semen acceptum Deo, inuocat Deum, regitur &
 gubernatur à Deo, sicuti ipse Psalm. 143. fatetur cum
 ait. Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus
 meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, credit
 sua opera propter semen promissum grata Deo, &
 has res non propter suam sed Dei gloriam gerit. Quia
 igitur Davidis persona accepta est Deo, ideo &
 ipsius opera placent Deo, & ea approbat Deus.

Non

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Non igitur opera ex sese sed ex persona sunt aestimanda, quæ ubi fide & Spiritu sancto renata est, tum demum & grata sunt opera, Necessè est enim primum personam credere, quod propter Christum sit accepta Deo, deinde agnoscere suam imbecillitatem, quod Legi in hac corruptione naturæ non possit satisfacere. Postremo ut tamen statuat, hanc suam imperfectam obedientiam placere Deo, propter Mediatorem. Hæc de doctrina bonorum operum hoc tempore sufficiant.

QUARTVS LOCVS SECVNDI CAPITIS.

De uocatione Gentium.

PRæcipui loci doctrinæ Christianæ sunt, de peccato, de iustificatione seu remissione peccatorum, & de bonis operibus, quos ubi hoc capite absoluit, subiicit iam nouum locum, de uocatione gentium. Commonefacit autem gentes primum ut considerent, quam misera ipsorum fuerit uita & conditio, priusquam ad agnitionem Christi peruenirent. Et recenset ordine tristissima mala.

Primum fuisse eos sine Christo.

Deinde alienatos à Repub: Israelis, & extraneos à testamenti promissionis.

d

Tertio

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Tertio quia fuerint sine promissione, Ergo etiam non potuisse habere spem, remissionis peccatorum, iusticie & uitæ æternæ.

Postremum fuisse etiam eos in mundo sine Deo, quibus malis in hominum uita nihil potest esse tristius & maius.

Deinde econtra ostendit, per quem ab his tantis malis sint liberati, & summa cœlestia & æterna bona consecuti, cum ait, Nunc autem per Christum facti estis per sanguinem Christi, qui quondam eratis longinqui, propinqui facti estis per sanguinem Christi. Hæc etiam nobis dici credamus, ut considerata magnitudine malorum, quibus ante cognitionem Christi oppressi eramus, coram Deo humiliemur & eum timeamus, & bonorum, quibus cumulati per Christum sumus, Deum amemus & illi pro tantis beneficijs grati simus. Nam ideo hæc à Paulo hoc loco commemorantur. Est enim Deo dulcissimum & gratissimum sacrificium, memoria beneficiorum ipsius, et pro eis gratiarum actio, iuxta illud, Sacrificium laudis honorificabit me. Ideo enim condidit genus humanum, ideo colligit Ecclesiam, & eam gubernat & conseruat, ut in ea cœlebratur & eius beneficia agnoscantur & prædicentur, ut testatur Psal. 145. & pleriq; alij.

Ceterum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Ceterum etsi promissio facta Abrahae, in semine tuo benedicentur uniuersae nationes terrae, & plurima Prophetarum uaticinia ostenderent, gentes quoque conuertendas ad Christum, tamen erat apud Iudeos uulgata opinio, Messiam cum suo regno & beneficijs tantum ad ipsos pertinere, eo quod ipsis peculiari-ter promissus & ex ipsis nasciturus esset, Et ut maxime gentes quoque participes beneficiorum Messiae essent futurae, tamen magnam fore prerogatiuam populi Iudaici, quae persuasio adeo fuit infixae animis, ut Petrus, quanquam accepto Spiritu sancto, in ea sententia fuerit, & necesse fuerit singulari reuelatione cum de uocatione gentium doceri,

Deinde oritur disceptatio ex ijs, qui ex circumcisione ad Christum erant conuersi, contra Petrum, quod cum gentibus consuetudinem habuerit ut testatur cap. 10. & 11. Actorum, sed quia tam gentibus quam Iudaeis credentibus datur Spiritus sanctus, Ergo conuincuntur non esse personarum acceptationem apud Deum, sicuti ibi ait Petrus. Reipsa comperio quod non sit personarum respectus apud Deum, sed in quauis gente, qui timet Deum & operatur iustitiam is acceptus est illi.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Quia enim, ut Paulus Rom. 9. ait Iudeorum erat adoptio, & gloria, & testamenta, & legis constitutio & cultus, & promissiones & patres, & Christus ex eis erat, ideo se plurimum gentibus excellere gloriabantur, Et ut hoc loco dicit Paulus, gloriosum erat apud Iudeos, dici circumcisum, & summum probum & ignominia, esse aut habere praputium. Sicuti reuera res maxima fuit, esse membrum seu ciuem eius populi, quem Deus prae omnibus nationibus terrae, sibi in certum peculium hereditatem, in gentem sanctam, delegerat, cum qua per circumcisionem foedus & pactum fecerat, se eius Deum, id est, defensorem, gubernatorem & ducem futurum, exauditurum ipsorum preces, quem promissionibus, patribus, legibus, certo cultu, sacerdotio, perpetua successione doctorum & Prophetarum, & innumeris ac amplissimis miraculis donis & beneficijs ita ornat, ut nullam gentem in orbe terrarum, sicuti inquit Psal. Non fecit taliter omni nationi, nec iudicia sua sic manifestavit eis.

Hi omnibus tantis donis Dei carebant gentes, nisi quod interdum quidam atque eorum quidem pauci admodum, qui se huic populo adiungebant, coram fiebant participes. Sed hic ostendit Paulus dirutam iam maccariam, quae Iudeos à gentibus segregabat, & omnia iam esse

EPISTOLAE AD EHPESIOS.

esse exaequata. Vnam iam esse utriusq; populi rem-
pub: & communia omnibus omnia bona in Christo
nobis diuinitus exhibita, non esse hic distinctionem
Iudaei & Graeci, sicuti alibi inquit.

Gentes in carne, circumcisio
in carne.

Obseruanda hoc loco antithesis est, quod gen-
tes in carne, opponit circumcisioni in carne,
quo ostendit, quod quanquam Iudaei circumcisionem
iactarint & gloriosam sibi duxerint, & ignominiosa
appellatione gentes praeputinum uocarint, tamen
quia ea circumcisio tantum carnis & manu tantum
facta fuerit, non excelluisse circumcisionem, hoc est
Iudaicum populum, praeputio, id est, gentibus. Non
enim carnis sed omnium maxime cordis circumcisio-
nem a Iudeis postulabat Deus, ut praecipuum erat
Deut 10. & 30. Circumcidite praeputium cordis ue-
stri, circumcisio enim cordis, circumcisio est, quae Spi-
ritu constat non litera.

Quia autem in hac carnali circumcisione tantum
gloriabantur homines carnales Iudaei, ideo passim a
Prophetis reprehenduntur, & docentur de spiritali
cordis circumcisione, ut Hierem. 4. Circumcidimini
Domino, & auferete praeputia cordium uestrorum
d 3 & cap.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

& Cap 9. Omnes gentes habent præputium, Omnis
 autem domus Israel, incircumcisi sunt corde, sicut igitur
 tur coram Deo patres gentes in carne, & circumcisi
 sio in carne, sicuti etiam pares sunt gentes in Spiritu
 tu & circumcisi in Spiritu. Quamquam enim gentes
 in carne circumcisi non sint, tamen quia corda circum
 cisa, & fide in Christum Iesum purificata habent, non
 sint inferiores Iudeis circumcisis, carne & Spiritu,
 quo ad iusticiam & uitam æternam.

Est igitur hoc loco obseruandum, Triplicem esse
 circumcisionem, carnis quæ litera constat, & quam
 hoc loco manu factam ait, quæ etsi diuinitus man
 data erat Iudeis, tamen nisi altera, cordis nempe cir
 cumcisiō accederet, non erat eius usus alius, quam ne
 quis ex eo populo, ex carnali politia Israelis deleteretur,
 non præstabat ea carnis circumcisiō uitam & salu
 tem, fuerunt enim & Saul & Iudas circumcisi.

Hæc carnis circumcisiō fuit tantum Iudeis præce
 pta, nõ ut esset iusticia, sed tantum signaculum iusticiæ
 id est, interioris circumcisiōnis, quæ fit fide in uentu
 rum semen Abrahæ, in quo omnes cognationes terræ
 essent benedicendæ, sicuti bona opera non præstant
 iusticiam, sed sunt tantum externa signa interioris iu
 sticiæ.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sticia, quæ ex fiducia in Christum constat, & nobis imputatur, Et ea carnis circumcisio ideo erat data, ut esset certum foedus & testimonium fore, ut ex hoc populo nasceretur promissus Messias, quo nato cessare debebat circumcisio, & umbra cedere rei ipsi, Christo quem significaret circumcisio.

Secunda circumcisio est cordis, quæ spiritu non litera in carne tantum, constat, cum corda fide purificantur & Spiritus sanctus ueram agnitionem, timorem & amorem Dei, & odium peccati in piorum mentibus accendit, Hæc circumcisio non durat sicut prior ad certum tempus tantum, sed est perpetua, Quia sine hac nemo potest saluari. Quanquam enim carne circumcisi non fuerint, Cyrus Rex Persarum, Naaman Syrus, Iob, centuriones in Euangelio & multi alij, tamen quia corda fide & Spiritu sancto circumcisa, & purificata habuerunt, seruari sunt, Ita hoc loco Paulus dicit Ephesios conuersos ad Christum, gentes antea fuisse in carne, hoc est, carne incircumcisos, tamen quia corda habeant circumcisa, fide & cognitione Christi non esse iam amplius gentes in carne, hoc est, incircumcisos, sed gentes in spiritu, qui habeant circumcisa corda, & ideo ipsos præstare iudeis, qui sunt tantum circumcisio in carne, quam tamen ipsi unice iactabant contra gentes.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Sed gentes amplectentes Christum quem circumcisio significabat, consequuntur rem ipsam, & quod dici solet nucleum. Iudæi autem amisso & negato Christo nucleo, retinent tantum umbram & putamina.

Sicuti hoc tempore aduersarij, cultus singulares, titulos Ecclesie splendidos, & ordinariam potestatem iactant, extincta apud ipsos uera & sincera luce uerbi Dei, & deleto Christo cum ipsius meritis & beneficijs, umbras rerum tantum & inanes titulos, res uero ipsas non habent. Neq; enim carnis circumcisio, circumcisio est, sed cordis, quæ Spiritu non litera constat.

Non ea est Ecclesia Dei, quæ splendidos cultus, & humanas traditiones, quæ titulum Ecclesie gerit, quæ ordinariam potestatem iactat, ut contra Prophetas impij sacerdotes, contra Christum & Apostolos Ananias, Caiphas, scribæ, & Pharisei faciebant, sed hæc est Ecclesia Dei, quæ ueris cultibus à Deo ipso traditis, uera fide, uero amore & timore & alijs præceptis operibus Deum colit, quæ puritatem uerbi & Sacramentorum retinet. Etsi ab impia multitudine scribarum & Phariseorum iudicetur & damnetur, ut seditionosa, ut hæretica & blasphema.

Tertia circumcisio est carnis & cordis, ut circum-

cise

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

cisi fuerunt. Abraham, Isaac, Iacob, Propheta & Apostoli & omnes pii Iudaei, quibus circumcisio carnis non fuit iusticia, sed tantum signaculum interioris iusticiae, quod credebant se propter semen Abraham esse benedictos, gratos & acceptos Deo.

Eratis in tempore illo sine Christo:

Hic totus locus adhortationis, amplificatus est illustri collatione miserrimae uitae & conditionis gentium, cum pulcherrima & sanctissima conditione & uita Ecclesiae Dei. Neque uero haec credamus de illorum temporum gentibus, sed de omnium temporum impijs & contemptoribus uerbi Dei dici, quae mala hic breui catalogo enumerantur, in quibus impij, caeci & amentes uiuunt. Neque enim horribiliora mala homini euenire possunt, quam quae hoc loco recensentur, ut ad earum considerationem merito, tanquam ad diaboli & aeternarum poenarum conspectum, mens humana obstupescere deberet, sicuti reuera impietas est ipse diabolus & infernus.

Quam enim tetra & horrenda res est, quod hic primo commemorat. Esse sine Christo, Qui enim sine Christo sunt, sunt sine propitiatore, sine Mediatore, Pontifice, intercessore, non habent uiam, sed errorem, non ueritatem sed mendacium, non uitam sed

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

mortem, non lucem sed tenebras, non iusticiam sed iniusticiam, non sapientiam sed stulticiam, non sanctificationem, sed immundiciam, non redemptionem, sed damnationem, breuiter nihil bonorum Spiritualium, cœlestium & æternorum. Sed contraria mala omnia æterna habent, ut nihil horribilius homini dici possit, quam esse sine Christo.

Vt igitur maxime in hac uita floreas, autoritate potentia, opibus, & abundes rerum omnium copia, tamen si Christo cares, cares summo & æterno bono, & nihil te est miserius, cum sis captiuum mancipium & organum sathane, & filius addictus iræ, morti & æternæ damnationi.

Econtra qui Christum habet, ut maxime sit contemptus, miser, ærumnosus ut Lazarus, tamen habet thesaurum omnis benedictionis Spiritualis, & cum illo sedet in cœlestibus & æternis bonis.

Abalienati à Repub: Israelis.

REmpub: uocat hoc loco Paulus Israelis non illam politicam & externam gubernationem, pulcherrimis legibus, & sapientissime diuinitus constitutam, sed politiam Ecclesiasticam, que sola in hoc populo à Deo mandata fuit. Quanquam enim pleræque gentes habuerunt Respub: legibus & iudicijs bene constitutas,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

constitutas, tamen nulla fuit apud eas politia Ecclesiastica diuinitus mandata. Fuerunt igitur gentes sine Repub. Ecclesiastica, dispersus & distractus populus, in uarios & portentosos cultus, uariorum & pudendorum Deorum, quos ipsi sibi Deos & cultus stulta imaginatione finxerunt, sicuti Deut. 32. appellantur gentes, Ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. Et Rom. 1. cum se crederent sapientes, stulti facti sunt, mutaueruntq; gloriam immortalis Dei per imaginem, non solum ad mortales hominis similitudinem effictam, uerum etiam uolatilium, & quadrupedum, & reptilium.

Qualis etiam superioribus annis nostra fuit, & adhuc aduersa partis est & manet cæcitas & amentia, ut inuocentur mortui homines, colantur statuæ et imagines, Et credantur uel statuæ tales uel sancti, quos hæ statuæ aut imagines representant, ad has statuas edere miracula. Item cultus ossium, exuuiarum sanctorum, et sexcenta portenta alia. Ita etiam populus uarijs idolatrijs fuit, & in Papatu adhuc est dispersus, neq; ullam politiam Ecclesiasticam à Deo constitutam habet.

Horum tantorum errorum commonescit nos hic Paulus, ut eos agnoscamus, uult nos qui ueram cognitionem & uerum cultum Dei habemus, & Reipub: Israelis iam inserti sumus, pro tantis beneficijs Deo gratias agere.

Ceterum

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Ceterum politiam Israelis, uocat Paulus hic populum & Ecclesiam Dei omnium temporum, sanctam ciuitatem Hierosolymam Apo. 21. Quæ constructa est à Deo super duodecim fundamenta, & in ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorum agni, hoc est Christi, id quod infra copiosius Paulus in fine capituli ostendet.

Fuit autem hæc ciuitas initio arctior, delecta solum ex semine, & posteris Abraham, sicuti inquit Moses Deut. 7. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris, de cunctis populis, quæ sunt super terram.

Hunc igitur populum sic delectum, segregat Deus à reliquis populis, & nationibus terræ, & includit certis menibus & munimentis & instruit ornamentis, circumcissione, lege, certis cultibus, & ritibus, ipse habitat in hoc populo, tanquam huius ciuitatis & politie consul, dux ac defensor, edit ingentia miracula & testimonia, ut certus sit populus, hunc esse uerum & unicum Deum, conditorem cæli & terræ, & omnium rerum, qui hanc Rempublicam instituerit, qui ei præsideat, qui hoc uerbum, legem, ceremonias, & hos cultus, qui testamenta, qui promissiones ipsis tradiderit. Excitat subinde ordine in hac Reipublica alios post alios duces & Prophetas, per quos eam regit & gubernat

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

bernat &c. Breuiter talis nulla fuit Respublica, in toto orbe terrarum. Sicut & Moses Deut. 4. ait. Hæc est uestra sapientia, & intellectus coram populis, ut audientes uniuersi præcepta hæc dicant. En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantés sibi, sicuti Deus noster adest cunctis, obsecrationibus nostris.

Qui igitur ius huius ciuitatis habebant, seu in hac Republica ciues erant, certi erant se habere Deum magistratum, ducem & rectorem, se item uerum cultum Dei à Deo ipso traditum habere, se exaudiri, se propter Messiam, quem his ciuibus suis promiserat Deus, saluari, & sibi propter eundem condonari peccata, se placere Deo, cum interim gentes ignorarent, quis esset uerus Deus, & uarios Deos colerent, neq; de Dei erga se uoluntate certi esse possent.

Est igitur quoq; horrendum, esse alienum à Republica Israelis. Est enim esse alienum à uero Deo, non habere Deum ducem, defensorem, rectorem, non habere uerum cultum Dei, non habere Messiam, esse sine peccatorum remissione, quia solum in Republica Israelis, in Ecclesia remissio peccatorum salus & uita est.

Qui

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Qui in hac Republica ciues sunt, habent omnia cōmunia totius ciuitatis bona, utuntur iisdem legibus, sacris moribus, disciplina, sunt sub eodem præsidente, gubernatore, & defensore Deo, habent Messiam filium Dei, & in illo iustitiam ac omnia æterna bona. Ab his tantis bonis exclusæ erant gentes, & segregatæ ait Paulus, eo quod ius huius ciuitatis non habebant, non erant de semine Abrahamæ, nō habebant signum fœderis circumcisionis. Erant sine lege, sine uero culta Dei, exclusi illis parietibus, seu menibus, quibus hic populus Dei erat munitus & ornatus, Quæ tamen ita intelligenda sunt, ut quanquam populum iudaicum per circumcisionem & legem, tanquam muro quodam à gentibus uoluerit secernere Deus, noluisse tamen prorsus à promissione facta & data Abrahamæ, eas exclusas, ut qui ex gentibus promissioni illi crediderunt & regenerati seu corde circumcisi sunt, sint seruari, ut supra ostendimus, sit enim separatio, ideo tantum, ut ex eis Messias sit expectandus, nō ut à promissione prorsus excludantur gentes.

Extranei à testamentis promissionis.

Sed hic obiicitur, si gentes non fuerunt exclusæ à promissione, cur igitur Paulus hoc loco ait, gentes fuisse extraneas à testamentis promissionis? Respondeo, promissio Abrahamæ facta diligenter consideranda

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

randa est, quæ duo complectitur. Prior pars continet
promissionem Messia, foræ ut ex posteritate Abrahæ
nasceretur Messias, ut sciretur ex quo populo expe-
ctandus esset, sicuti sonat promissio. In semine T V O.

Magna igitur gloria huius populi fuit, filium Dei
liberatore[m] generis humani ex ipsis nasciturum. Ab hac
promissione nasciuri Christi alienæ erant gentes.

Posterior pars continet promissionem benedictio-
nis ex semine Abrahæ, quæ non solis Iudæis, sed omni-
bus gentibus terræ promittitur, ut ostendunt promissio-
nis uerba. Benedicentur uniuersæ cognationes ter-
ræ. Fuerunt igitur gentes extraneæ à testamenti
promissionis, scilicet de Christo nascituro non ex gen-
tibus, sed ex semine Abrahæ, sed non alienæ à promissio-
ne benedictionis per Christum.

Non habentes spem.

Promissio de Messia nascituro ex semine Abra-
hæ, & eius benedictione, qua per ipsum bene-
dicende erant uniuersæ cognationes terræ, pau-
cissimis ex gentibus fuerunt notæ. Igitur maxima
gentium pars per totum orbem dispersa, uersata
est in caligine & ignoratione ueri Dei & perpe-
tua dubitatione, et dissidentia, & cum non haberent
promissiones de liberatione, iustitia, & uita aeterna,
idco

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

ideo etiam necesse fuit eas omnes sine fide & horum bonorum spe fuisse. Est igitur quoque horrendum malum, uidere & sentire arumnas humani generis, & mortem ipsam grassari per totum humanum genus, & esse sine certa spe liberationis ex his tantis malis & uitæ æternæ.

Et sine Deo in mundo.

Postremum malorum in quo gentes fuerunt & omnes impij sunt, est, quod sunt sine Deo. At sine Deo esse, est esse sine certo rege, gubernatore, defensore, non habere in miseris certum & firmum presidium, & solatium, esse sine iustitia, & uitæ In summa sine Deo esse, est extremum & summum omnium malorum, quæ omnia mala complectitur. Nam qui Deum habet, habet fontem & autorem omnium bonorum cœlestium & æternorum, per quem omnia mala uincit.

Nunc autem in Christo Iesu uos, qui quondam eratis longe, prope facti estis, per sanguinem Christi.

Hæc est altera collationis pars, qua ostendit, qualis nunc & quam præclara sit gentium conditio,

EPISTOLAE AD EHPESIOS.

conditio, posteaquam qui ante a sine Christo & sine Deo & qui longinqui erant, iam sint facti propinqui, & ex alienis facti ciues Reipublicæ Israelis. Horum beneficiorum omnes commonescit, ut Deo pro ijs grati simus.

Ceterum diuidit hic Paulus totum genus humanum in duas partes, & ostendit, Quosdam esse longe à Deo, quosdam autem propinquos Deo.

Primum autem, ut supra auditum est, gentes fuerunt longe a Deo, alienati à Republ: Israelis, segregati à populo Dei per intersticiū & maceriam circumcisionis & legis, qui fuerunt sine testamentis promissionis sine Christo & sine Deo. Ideo gentes uocantur extranei, hospites, incolæ, & populus à longe, & hoc loco Paulus interpretatur Prophetas, qui sepe gentes uocant populum à longe, non quod à lucis longo locorum interuallo siti sint, sed quod sint procul à promissionibus & Republ: Israelis ut Esa. 57. Creauī fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, & qui prope, ex hac enim particulari sententia Prophetæ, qui de Cyro loquitur Paulus generalem hoc loco fecit, & eam ad regnum Christi transfert, Et Esa. 60. Filij tui de longe uenient, & filia tuæ de latere surgent.

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

Sed sciendum est non solum gentes, sed & maximam multitudinem Iudaici populi, quanquam essent semen Abrahamæ, essent ex corporali Republica Israelis, haberent testamenta, promissiones, patres &c. longe à Deo fuisse, cum tamen sese proximos ciues & filios Abrahamæ esse gloriarentur. Quia enim externa opera legis seruabant hypocritæ, dabāt Eleemosynas, ieiunabant et multū orabant, ergo sese propinquos Deo arbitrabantur, Sicuti etiā hoc tempore nostri hypocritæ sacerdotes & monachi in papatu sese proximos Deo putant, propter illā externam disciplinam & communiticia speciosa opera. Sed de his omnibus per Esaiā dicit Dominus, Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.

Neque enim Deus curat quam prope illi sis pedibus, manibus aut toto corpore, aut illis externis operibus, sed cum sit scrutator cordū, et renum Deus, illud uidet quam prope illi sis corde, hoc est, uera fide, uero timore & amore, uera inuocatione, sicuti inquit Psal 37. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde & humiles spiritu saluabit, & Psal 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate, id est, in uera agnitione, uero affectu cordis, non in hypocrisi Et Esa. 57 habitans eum contrito & humili spiritu.

sic

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Sic etiam hoc loco docet Paulus, eos qui procul à Deo & Repub. Israelis à iusticia & uita eterna sint, nō fieri propinquos, ciues, aut heredes uite eterne, suis uiribus meritis aut operibus, sed per sanguinem Christi, nempe ut credas Deum patrem per uictimam Christum placatū, & per effusionem ipsius sanguinis deleta tua peccata, & te per hunc factum, filium & heredem Dei. Ita cor quod antea longius à Deo erat, fiducia huius mediatoris, & eius sanguinis, coniungitur & copulatur Deo, Nemo enim uenit ad patrem, nisi per hunc mediatorem, et infra per illum habemus aditum utriq; in uno Spiritu ad patrem.

Hoc modo fiducia Christi copulati cum Deo, audeamus inuocare Deum patrem nostrum, quem antea, ut iudicem seu Tyrannum cor humanum fugiebat. Docet igitur hoc loco Paulus modum quo, qui procul sunt, coniungi cum Deo possint, fiducia nempe sanguinis mediatoris Christi sicuti & Rom. 3 ait. Hunc proposuit Deus reconciliatorem, per fidem interueniente ipsius sanguine & c. ita subinde contra operum fiduciam, doctrinam de fide repetit, ut eam alius animis insingat.

Ipsa enim est pax nostra.

Hæc est dulcissima consolatio & promissio, sæpe in Prophetis & in Euangelio repetita, quæ

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

semper pie mentes in omnibus ærumnis & tentationibus corporalibus seu spiritualibus in conspectu habere, & illa se sustentare & erigere debent. Docet enim Paulus eos, qui in Rempublicam Israelis, in Ecclesiam Dei fiducia sanguinis Christi recepti & inserti sunt, habere certam, firmam, paratam & perpetuam pacem, ipsum Christum, qua quid potest homini præstantius contingere à Deo, sicuti & ille de corporali pace ait, Pax optima rerum. Quas homini nouissime datum est. Sed huius pacis longe maior usus & effectus est, nempe triplex. Primum quo ad Deum, deinde quo ad nos, postremam quo ad alios, quibus cum uiuimus.

Ac primum quidem Christus quo ad Deum seu erga Deum est pax nostra ad hoc nempe nobis datus & missus à patre, ut cum propter peccatum Deus humano generi irasceretur, & reum esset mortis & eterne poenæ. Christus esset inter Deum & genus humanum mediator, qui iram patris, & commeritam poenam in se deriuaret, & sicuti hic & Col. 1. dicitur, ut reconciliaret in suo corpore per crucem, tum gentes, tum Iudæos Deo, perempta inimicitia, scilicet qua inter Deum & homines erat per crucem & mortem suam.

Quoties igitur ex conspectu peccatorum nostrorum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

rum & sensu iræ diuinæ tremur, meminimus huius dulcissimæ promissionis & consolationis, & ea nos sustentemus & confirmemus, cogitemus Christum esse pacem, pacificatorem nostrum, qui suo sanguine & morte nobis patrem placarit, peccata nostra, inimicitias, & æternas poenas sustulerit, & per se inter nos & Deum patrem, festam & perpetuam pacem constituerit, de hac pace conscientie erga Deum conuincatur Paulus Ro. 5. Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, Et loco iam citato Esa. 57. Hæc dicit Dominus excelsus & sublimis, habitans æternitatem, & sanctum montem eius in excelsis, & in sancto habitans, & cum contrito & humili Spiritu, ut uiuificet Spiritum humilium, & uiuificet cor contritorum.

Ita Christus est pax nostra, quia conscientie in Christo acquiescunt, cum credunt, se propter ipsum habere remissionem peccatorum, & placatum patrem. Et fuit usitatum Apostolis uoce (paci) uti pro remissione peccatorum. Ita enim scribere clementem Alexandrinum refert Eusebius lib. 2. Hysto. Eccle. cap. 9. cum qui S. Iacobum iudici tradiderat ad martirium; motum etiam ipsum ut confiteretur se esse Christianum, ducti sunt, inquit, ambo pariter ad supplicia

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

supplicium, & cū ducerentur in uia, rogauit Iacobum dare sibi remissionem. At ille parumper deliberans. Pax tibi inquit, et osculatus est eum, & ita ambo simul capite plexi sunt.

Deinde Christus est quoq; pax nostra quo ad nos, Quia enim pijs ingentia, certamina & pericula sunt subeunda, Quia Satan oppugnat Ecclesiā Dei, hypocrisi, & per falsos doctores, excitat pontifices, reges, principes, cum gentibus & populis, ut fremant, tumultuentur & insurgant aduersum Dominum, & aduersus Christum eius, & uelint aperta ui & armis delere piā doctrinā & Ecclesiam, & deinde non solū publica, sed singulorum etiam piorum multa & magnæ sunt ærumnæ, quibus pijs anguntur, & cruciantur, quibusq; Satan eos ad impaciētiā uel desperationem, ad fremitum aduersus Deum adigere conatur, Maxime hic opus est, ut Christus sit pax nostra, hoc est, ut mentes nostras regat et serenet, ut sint tranquille & quietæ, patienter ferant mala & afflictiones, & in ipsis ærumnis & morte etiam maneat pax & tranquillitas & gaudium mentis.

Hæc autem pax seu tranquillitas animi, oritur ex duabus causis, Primum ex priore pace, cum cor statuit sibi placatum patrem per Christum, & se iam habere pacem cum Deo, tum statim sequitur & altera pax

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

pax, hoc est, tranquillitas in arumnis et afflictionibus, sicuti ibidem Rom 5. testatur Paulus, iustificati ex fide, non solum pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, uerum etiam gloriamur super afflictionibus, scientes quod afflictio patientiam pariat &c.

Deinde etiam quia piorum mens diuino uerbo cruciata & instructa, scit Ecclesiam & singula eius membra subiecta esse cruci, & Deo prae standam esse obedientiam, in perferendis malis, scit se Deo curae esse, scit afflictiones non irae sed gratiae signa, & exercitia esse fidei, inuocationis, timoris & amoris Dei, scit se amari, regi, iuuari, defendi, & exaudiri à Deo, ideo in his malis inuocat Deum, petit & expectat propter Christum mediatorem mitigationem & liberationem, ex his arumnis, & sperat Deum daturum letos exitus. Haec enim promisit Deus, ut Esa 57. Non in sempernum litigabo, neq; usq; ad finem irasceam &c. & cap. 65. Erit antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam &c. Et Psal. 5. Coronas eos fauore & gratia tua sicuti scuto.

Postremo Christus quoq; est pax nostra, quo ad eos quibus cū uiuimus, Quia enim renati sciunt sibi peccata propter Christū condonari, incipiūt frena

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

et cohibere iracundiam et resistere cupiditati uindictæ, non turbant pacem publicam, sepe cedunt de suo iure, ferunt iniurias, non serunt certamina, sed student ut Roma. 12. præcipitur, quantum in ipsis est, cum omnibus homicidis in pace uiuere ita latissime patet usus huius sententiæ. Ipse est pax nostra ita et Philip. 4. ait, Pax Dei, quæ superat omnem intellectum, custodiat corda uestra, et sensus uestros per Christum Iesum.

Quintus locus huius capituli est de abrogatione legis.

Qui fecit ex utrisque unum & interstitium maceris diruit.

HACTENUS Paulus docuit gentes, quæ olim alienæ et hospites erant, receptos quoque in Rempub. Israelis, et factos participes benedictionis, quæ promissa erat ex semine Abraham, hoc est Christo filio Dei, futurum, ut in ipso benedicerentur uniuersæ cognationes terræ. Nunc describit modum quo illa facta sint, sicut et supra cœpit. Alludit uero hoc loco Paulus ad hystoriam quæ extat Gene: 35. ubi ex Thamar nascuntur gemelli Phares et Zaram, membranula secundinarum quasi materia diuisi in utero materno, Zaram quasi prior nasciturus, profert ex utero

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

utero materno manū, cui obstetrix alligat Coccinum, quo manum retrahente, alter cui ob diuisionem seu rupturam membranularum secundinarum, phares, ruptoris, nomen datum est prior erumpit, & præuertit eum, qui primo putabatur edendus in lucem.

Huius hystoriæ allegoriam & significationem obiter hic & breuiter attingit. Vterus quo uterq; populus gentes & Iudæi inclusi sunt, est promissio facta Abrahæ, In semine tuo benedicentur uniuersæ cognationes terræ, In qua quanquam promittatur, Christum ex posteritate Abrahæ fore nasciturum, tamen benedictio utrunq; populum complectitur, & uterq; populus sedet conclusus in hac promissione, tanquam in materna aluo Membranula quæ in aluo gemellos, gentes & Iudæos diuidit, est circumcisio, lex cum omnibus ceremonijs & cultibus, & illis omnibus prærogatiuis quibus se Iudæi antecellere putabant gentibus.

Zaram, qui prior profert manum quasi prior nasciturus significat Iudæos confidentes legi & illis carnalibus cultibus ac prærogatiuis, quos funiculus rubens alligatus manus significat fore sanguinarios, interfectores prophetarum Christi & Apostolorum, Retrahitur igitur Zaram iterum in uterum maternū,

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Et disrupta maceria membranula, hoc est abolita lege, phares, id est, gentes praevertunt Iudeos et plures per Euangelium et Spiritum sanctum gentes quam Iudei renascuntur. Ita destructa iam et abolita per Christum lege, qua gentes et Iudei antea segregati erant, unus populus et unum corpus ex duobus factus est, cuius caput est Christus. Neque iam ulla est inter hos diuersitas, nulla alterius prae altero prerogatiua, idem enim in Christo Iesu omnes sumus. Et iam in Christo Iesu, neque circumcisio quicquam ualet, neque praecipitium, sed noua creatura Gal. 3. Hoc est, quod hic ait, qui fecit ex utrisque unum et interstitium maceriae diruit. Sequitur iam de abrogatione legis.

Simultatem per carnem suam legem mandatorum in decretis sitam abrogans.

Sicuti hoc loco de duplici simultate seu inimicitia, sita quoque de duplici abrogatione legis loquitur, prior inimicitia est qua inter gentes et Iudeos fuit. Quia enim Iudeorum erat adoptio, gloria, testamenta, legis constitutio et cultus et promissiones et patres et eius promissus erat Christus, ideo in his superbiebant, et gentes idolatras prae se contemnebant, Gentes autem rursus Iudeos tanquam gentem superstitiosam detestabantur. Sicuti et Cicero pro L. Flacco ait. Huic barbara superstitio

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

stitutioni resistere, seueritatis Romane fuit. Et Paulo infra, sua cuiq; ciuitati religio est, nostra nobis, stantibus Hierosolymis, pacatisq; iudeis, tamen istorū religio sacrorū, à splendore huius imperij, grauitate nominis nostri, maiorū institutis abhorrebat. Nunc uero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis quam chara dijs immortalibus esset, docuit, quod est uicta, quod elocata, quod seruata.

Hanc inimicitia, quam lex excitabat, inter gentes & iudeos, Christus per carnem suam sustulit, cum iudei non decretis aut operibus seu cultibus legis, sed carne, hoc est, per crucem, mortem & sanguinem Christi se Deo reconciliatos credant, & idem uno Spiritu & una fide credant & una uoce confiteantur gentes cū iudeis. Sic per Christum duo populi diuersis cultibus propter legem datam, antea inter se dissidentes, illa lege tanquam causa dissidij per Christum abrogata, conditi sunt per Christum Iesum in unum nouum hominem, ut cum iudei crederent se antea legis operibus antecellere gentibus, & per illa saluari, & gentes idolatræ ignare ueri Dci et ueri cultus Dei, crederent sese cultibus per maiores suos sibi traditos, fore sanctos & immortales, id quod hic ueterem hominē, externa opera & disciplinam externam iudeorum & gentiū uocat. Iam utriq; per uerbum, fidem, & Spiritum sanctum renati, & iterum

per

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

per Christum conditi, sint nouus & unus homo, crea-
dentes uno spiritu, & una fide se per solam mortem
& crucem Christi reconciliatos Deo, & factos filios
ac heredes Dei, perempta inimicitia, id est, abolita le-
ge, quæ causa inimicitie inter gentes & Iudeos erat,
per crucem, hoc est, mortem Christi, Hæc est prior
inimicitia inter gentes & Iudeos, quam Christus sua
stulit.

Altera inimicitia, quam Christus abrogauit, est
horribilior, quæ fuit inter Deum & genus
humanum, Porro usus legis duplex est, Externus &
spiritualis. Externus usus legis ceremonialis erat, de
quo supra dictum est, ut in ea populus Iudaicus tan-
quam intra septem usq; ad aduentum Christi esset con-
clusus, qui illam mediam munitionem, illos, externos
& corporales cultus, quibus Iudæi à gentibus discer-
nebantur erat destructurus ut ad Gal. 3. dicitur, Sub
lege custodiebantur, conclusi in eam fidem, quæ reue-
landa erat, in qua fide iam non est distinctio Iudæi &
Græci.

Alter usus legis est spiritualis coram Deo, Deus
enim conclusit totum genus humanum intra legem
decalogit tanquam intra certos carceres, & muros, &
addidit horrendum edictum, si quis hos carceres es-
fringeret, aut hos muros transiliret aut transgredere-
retur,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

retur, illum se pro hoste habiturū, sicuti sonant uerba edicti, in quacumq; die comedris morte morieris. Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea Deut. 25.

Ceterum hos legis carceres primus homo uiolauit, & ita peccatum & poena peccati propagata est in omnes homines, ut omnes sint rei & obnoxij Deo. Et nemo hominum est, qui non per se quoq; hos muros legis transgrediatur.

Hanc transgressionem legis, uocat hic Paulus inimicitiam, Hæc enim fuit causa cur Deus humano generi irasceretur. Et hæc inimicitia inter Deum & genus humanum perpetuo erat duratura, cum nemo intra hæc septa legis se continere possit, sicuti Rom. 8. dicitur. Lex non potuit præstare iustitiam, propter inbecillitatem & corruptionem humanæ naturæ, à qua seruari non potest.

VT igitur tollatur inimicitia inter Deum & genus humanum, quæ ex legis transgressionem orta est, uenit Christus & sepem seu carceres illos, legem destruit & abolet, liberat nos ex hac miserrima captiuitate legis, ita ut credentes in ipsum, iam non sint, sicuti reliqua pars generis humani, conclusi his
carceribus

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

carceribus, sed sub gratia, sub misericordia Dei, & remissione peccatorum, & ex captiuis & seruis, sint iam liberti Christi. Ac nostram legis transgressionem & secularam legis maledictionem quam hic inimicitiam uocat, in se transfert, nosq; à maledictione legis redimit, dum pro nobis factus est maledictum Gala. 3. & Rom. 8. Quod lex prestare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio, misso sub specie carnis peccato obnoxio, prestitit, ac de peccato condemnauit peccatū, per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis &c. hoc est quod hoc loco ait, Abrogans inimicitiam per carnem suam id est, per humanam naturam, quæ pro nobis, passa, affixa cruci, mortua, & Deo pro nobis reconciliandis uictima oblata est.

Vocat autem inimicitias legem mandatorum in decretis, sicuti & ad coloss, 2. ait condonans nobis omnia delicta, deleta, quod aduersus nos, erat chyrographo, quod erat contrarium nobis, per decreta. Quia enim decreta mandatorum legis, quod ea infirma & corrupta natura prestare, sicuti obligata est, non potest, ideo illa decreta cum chyrographo conscientia nostra, in qua perscripta sunt, semper sunt nobis contraria, semper nos accusant, ac tanquam inobedientes damnant, iram, indignationem, & inimicitias generant,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

gnunt, ut alibi ait, lex iram operatur, hoc est, terret conscientiam ostenso peccato & simul ira Dei. Sed hanc inimicitiam, legem cum decretis suis nobis contrarijs, Christus per carnem suam abrogavit, ita ut iam nulla sit condemnatio his qui in Christo lesi sunt &c.

Duplex legis abrogatio

Est igitur breuiter duplex abrogatio legis. Primum secundum carnalem seu externum usum politicae Mosaicae, ut erant leges politicae in republica Israelitici populi, & deinde ceremoniales de uarijs ritibus & cultibus Dei tantum huic populo, & ad certum tantum tempus datae ut essent paedagogiae in Christum & de promissionibus, ac uenturo liberatore populum commonesacerent, ut ait Christus, Lex & Prophetiae usque ad Iohannem, & Gala. 3. Lex paedagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificaremur. At postquam uenit fides, non amplius sub paedagogo sumus.

Altera uero abrogatio legis scilicet Moralis seu decalogi, quo omnes homines tanquam, (ut supra diximus) carcere conclusi tenentur, est secundum usum spiritualem. Est autem spiritualis legis usus, ut cum omnes homines ad obedientiam legis obligati sint (est

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

(est enim ea lex diuinitus omnium hominum animis impressa, & immutabilis Dei sententia ut creatura obtemperet creatori) sicuti ait Paulus, debitores legis sumus, & tamen nemo legi satisfaciatur, ut peccata & iram Dei ostendat, propter inobedientiam accusat, ac damnet totum genus humanum, ab hac accusatione & damnatione legis, atq; adeo quoq; à reliquis nostris hostibus, qui nos captiuos tenebant, uidelicet à peccato, morte & Tyrannide Diaboli, Christus nos liberauit ita (sicuti ad Coloss. 2 ait) ut expoliatos principatus ac potestates ostentaret palam, triumphans de illis per semetipsum.

Intelligatur igitur abrogatio non legis ipsius seu obedientie erga legem, quæ abrogari non potest, cum sit æterna & immutabilis uoluntas Dei, ut ipsi obediamus, sed accusationis & damnationis, quam non obedientibus & implentibus ipsam, lex infert, ut qui in Christo Iesu sunt, sint sub gratia, id est, remissione peccatorum, non sub lege, id est, maledictione legis, sicut supra dictum est. Nulla condemnatio his qui in Christo Iesu sunt Rom. 8. Et ibidem in fine Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, Quis est qui condemnet & c.

Hæc abrogatio condemnationis & liberatio à lege,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

lege, peccato, morte & Diabolo hic inchoatur, & si de apprehendenda est, perficietur autem in altera uita, ubi Ecclesia in hac uita adhuc subiecta cruci, ab omnibus malis liberata, & aeterna iustitia, uita & gloria ornata, canet illud triumphum. Absorpta est mors in uictoriam, ubi tuus mors aculeus? Vbi tua inferne uictoria & c. I. Cor. 15.

Vt duos conderet in semetipso in unum nouum hominem.

Vetus homo est homo reus peccati & aeternae mortis, qui non est renatus uerbo Dei & Spiritu sancto. Erant igitur utriq; & gentes & Iudaei uetus homo, quanquam gentes ius naturae, rationis lucem in regenda uita sequerentur, & Iudaei externae opera legis seruarent. Venit igitur Christus & per suam carnem, hoc est assumpta humana natura, offerens se pro redimendo genere humano Deo patri, condidit utrosq; in unum nouum hominem, per semetipsum, scilicet abolendo per crucem & mortem suam peccatum, & per resurrectionem imputando credentibus iustitiam & donando Spiritum sanctum, per quem in nouam lucem, agnitionis, timoris, amoris & inuocationis Dei regeneramur.

Sumus igitur nouus homo qui audita uoce Euangely

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

gely & ex ea concepta fide, & Spiritu sancto, certo
 & ueri assentimur Euangelio, statuimus nobis pro
 pter Christum remitti peccata & iustitiam ac uitam
 nobis per eum donari ita uero intus in corde per uer-
 bum & Spiritum sanctum renatos sequitur etiam no-
 uitas externa in uita, non facimus opera carnis, aut
 ueteris hominis, sed opera Spiritus & noui hominis
 Gala. 5. De hac renascentia ait Petrus. i. Petri 1. Bene-
 dictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui
 secundum misericordiam suam magnam, regenerauit
 nos in spem uiuam per resurrectionem Iesu Christi ex
 mortuis, in hereditatem incorruptibilem &c. & in
 fine eiusdem cap. Renati non ex semine corruptibili
 sed incorruptibili per uerbum Dei uiui et permanentis
 in eternam.

Et ueniens Euangelizauit pacem uo-
 bis, qui procul aberatis, & his
 qui prope.

HActenus longa & copiosa oratione recensuit
 beneficia Christi, orbi terrarum per ipsam ex-
 hibita, per ipsius mortem & crucem inimicitiam pe-
 remptam, abolutum peccatum, destructam legem &
 Diaboli tyrannidem, & eternam pacem constitutam
 inter Deum & genus humanum, sed hoc loco ostendit,
 hęc tanta beneficia non debere esse tecta & abs-
 condita.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

scandita, sed ea per uocem Euangelij esse in lucem
proferenda, & per totum orbem terrarum spargen-
da, ut huic uoci credentes salui fiant, ideo ait ueniens
Euangelizauit scilicet sua & Apostolorum uoce pa-
cem uobis qui procul eratis, gentibus uidelicet & his
qui prope nobis Iudeis.

Alludit autem Apostolus ad Prophetam Esai 57.
Vbi ait, Creabo fructum labiorum pacem, pacem ei
qui longe est, & qui prope, dixit Dominus, & sana-
bo eum, quod Esaiæ uaticinium Propheta hic inter-
pretatur & ostendit illa labia lata (ut hebraeus habet)
esse doctrinam Euangelij sparsam, per totum terra-
rum orbem. Estq; hic obseruanda pulcherrima defini-
tio Euangelij esse doctrinam annunciantem orbi ter-
rarum pacem per filium Dei, factam inter Deum &
genus humanum, sic & Esa. 52. dicitur, Quam pul-
chri super montes pedes annunciantis & predican-
tis pacem, annunciantis bonum & predicantis salu-
tem &c. Vnde & uox & appellatio Euangelij sum-
pta est, quod pacem & bonum nuncium territis con-
scientijs afferat.

Sextus locus huius capituli est de
uera & falsa inuocatione pro-
positus in hoc.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI
Quoniam per illum habemus aditum
utrique in uno Spiritu ad patrem.

Inter plurima beneficia Christi, que hactenus ordi-
dine commemorauit, postremum & precipuum
illud est q, reconciliati per Christum Deo patri et renata
ti, audent Deum patrem uera fiducia paterne beneuolen-
tiae accedere & eum inuocare, quod beneficium sola
Dei Ecclesia habet. Neq; enim reliqua humani gene-
ris pars, uerum Deum, quem non nouit, inuocat, &
ut maxime nossent, tamen non eo modo Deum accedit,
quo accedit, coli & inuocari uult Deus.

Ad ueram igitur inuocationem primum necesse est
ut mens uerum Deum agnoscat, & ad eum erecta sit.
Neq; satis est inuocare Deum conditorem coeli & ter-
re, sed necesse est scire & credere, illum Deum uni-
cum, qui hanc rerum uniuersitatem condiderit, unum
esse in substantia & tamen trinum in personis, patrem
scilicet ab aeterno gignentem filium imaginem sui, &
filium ex patre ab aeterno genitum, Et Spiritum san-
ctum à patre & filio procedentem. Ita uolentibus
inuocare Deum, de eius substantia, sicuti se in uerbo
suo patefecit, sentiendum & credendum est, Neq;
enim sine agnitione filij & Spiritus sancti uerus Deus
inuocatur

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

inuocatur iuxta illud, *Quisquis negat filium, is ne patrem quidem habet. Item Omnis qui transgreditur & non manet in doctrina Christi, dum non habet. Inanis itaq; Tur earum, Iudeorum & omnium inuocatio est, qui filium et Spiritum sanctum non norunt. Ideo Paulus de inuocatione hic docens trium personarum meminit, cum ait per hunc scilicet Christum filium Dei, habemus aditum utriq; Iudaei scilicet & gentes, ad patrem in uno Spiritu, uult igitur inuocantes intueri illum Deum unicum & aeternum, qui pater cum filio & Spiritu sancto cuncta creauit, gubernet & sustentet.*

Deinde ubi ueri Dei agnitio est, necesse est scire qua fiducia diuina maiestas, accedi, interpellari & inuocari possit. Qui enim magnitudinem & multitudinem peccatorum suorum agnoscunt, & uident quanta sit potentia, & quanta aduersus peccata ira Dei, fugiunt ut Adam post lapsum in Paradiso, Deum, nequaudent eum accedere. Hypocritae uero, cum fiducia propriae dignitatis & suorum meritorum putent se inuocare & accedere Deum, longissime a Deo recedunt, ut ostendit parabola Lucae 18. de Pharisaeo & publicano.

Docet igitur Paulus hoc loco & multis alijs *tum cum Deum inuocare uolumus, accedendi*

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

esse fiducia mediatoris Christi, ut prius quã Deum in-
 uoces, status per hunc tibi placatũ patrem, propter
 hunc tibi remitti peccata, receptum te in gratiam,
 te filium & heredem Dei esse, propter hunc te ex-
 audiri, iuuari & defendi. Ideo disertis uerbis, ait
 per illum habemus aditum, q. d. non propter nos
 aut fiducia nostrorum meritorum aut aliorum ho-
 minum, sed fiducia solius mediatoris & interpella-
 toris Christi, patet nobis accessus ad patrem. Hic enim
 solus est uia & aditus ad patrem ut ait, nemo uenit
 ad patrem nisi per me. Et quicquid petieritis patrem
 in nomine meo, dabit uobis, ita fiducia promissi semi-
 nis inuocarunt, & accesserunt Deum, Adam, Seth,
 Noha, Sem, Abraham, Mose, David, & inuocantes
 propter hunc mediatorem exauditi & liberati sunt,
 eodem modo Ecclesiam omnium temporum huius so-
 lius fiducia inuocat & accedit Deum. Sic Heb. 4. Ha-
 bemus pontificem magnum, qui penetravit coelos, filiu-
 um Dei, accedamus cum fiducia ad thronum gratie
 &c. Et hic capite sequenti, Per hunc habemus auda-
 ciam & aditum cum fiducia, quæ est per fidem illius.

Postremo quia illa fiducia misericordie Dei, quod
 propter Christum accepti simus, et exaudiantur pre-
 ces nostre, ualde in sanctis est imbecillus, & metuunt
 accedere

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Accedere ad thronum tantæ maiestatis, deterrentur ab
 inuocatione, conscientia inherentis adhuc peccati &
 suæ infirmitatis, Ideo addit Paulus, per illum habemus
 aditum in uno Spiritu, sicuti & Zacha. 12. dicitur.
 Effundam super domum David, & super habitatio-
 nes Hierusalem Spiritum gratiæ & præcum.

Gratiæ Spiritus, est illa fiducia gratiæ & remissio-
 nis peccatorum per uerbum, & Spiritum sanctum in
 corde excitata, Quia uero illa fiducia adhuc languet
 & est infirma, neq; audet sese ad inuocandum Deum
 erigere, idcirco etiam opus est Spiritu præcum, qui eorda
 infirma confirmet, & ad inuocationem exuscitet &
 incendat, ut in agnitione filij & gratiæ Dei, uero &
 ardenti gemitu Deum inuocent, de hoc auxilio Spi-
 ritus sancti in uocatione concionatur Paulus Rom. 8. cū
 ait, consimiliter & Spiritus auxiliatur infirmitati: uis
 nostris, siquidē hoc ipsum, quid oraturi simus, ut oportet,
 non nouimus, uerum ipse Spiritus intercedit pro
 nobis gemitibus inenarrabilibus. Itē accepistis Spiritum
 adoptionis, per quē clamamus Abba Pater, id est, Spi-
 ritus sanctus testatur primum in cordibus nostris, nos
 esse filios adoptatos propter Christum à Deo, Hæc fiducia
 quod simus filij Dei, ubi per Spiritū sanctum est

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

inſerta animis, ibi excitat Spiritus ſanctus & clamorem illum, ſeu fiduciam alteram inuocationis, quod ut filij audemus per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum ut patrem noſtrum accedere & inuocare. Hoc modo Paulus breui, ſed inſigni tamen ſententia ea complexus eſt, quæ ad ueram inuocationem, neceſſaria ſunt.

De falſa Inuocatione.

Falſa igitur inuocatio eorum omnium eſt, primum qui ueram Deum non norunt, ut ſe in uerbo ſuo et certis testimonijs uidelicet in baptiſmo Chriſti, patefecit, ut ſunt omnes qui trinitatem, perſonarum negant. Deinde qui fiducia proprie dignitatis, ſine mediatore Chriſto, deum inuocant, uel qui neglecto hoc mediatore alijs, ueluti mortuorum ſanctorum interceſſionibus, ſe exaudiri ſomniant, ut ſit in papatu, ubi hypocrita de fiducia mediatoris in inuocatione neceſſaria plane nihil ſciunt, & ipſo excluſo & neglecto, aut propter ſuam aut mortuorum ſanctorum dignitatem & interceſſionem preces ſuas exaudiri credunt, cum illis ipſis ſanctis ad Deum, niſi per hunc mediatorem, non pateat aditus ſicuti hic, clare docet Paulus.

Alij ne Deum quidem, ſed ſolos ſanctos inuocant,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

cum tamen mortui non norint nos sed dormiant, & requiescant, sicuti Esa. 63. dicitur Tu pater noster, & Abraham nesciunt nos, & Israel ignorauit nos, tu Domine pater noster & redemptor noster. Et ut maxime sancti, qui cœlesti gloria iam cum Christo fruuntur, pro nobis intercedant, tamen omnipotentia, quæ soli Deo debetur, non est tribuenda sanctis, nempe ut gemitus cordium nostrorum norint, Deus enim solus est scrutator cordium & solus gemitus nostrus intelligit.

Et cum Deus ipse promiserit, se exauditurum nos etiam antequam clamemus, non opus est inuocatione sanctorum, Sic & ait Esa. 65. Eritq; antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam. Sic Danielis. 9. Angelus Gabriel ait Ab exordio præcum tuarum egressus est sermo, & cap: sequenti inquit Angelus. Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te adfligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt uerba tua, & ego ueni propter sermones tuos.

Postremo falsa est & ea inuocatio, quæ non est excitata & incensa uero gemitu à Spiritu sancto & uera notitia misericordiæ Dei, quæ animis tantum batologia & præcum quarundam recitatio est, uerum

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

enim adoratores, adorant patrem Spiritu de ueritate
Ioan. 4. Hæc de inuocatione uera & falsa tenere ual-
de necessarium est, cum uera inuocatio præcipuus sit
cultus Dei.

Septimus locus de Ecclesia.

Iam igitur non estis hospites &c.

Postremus huius capituli locus est de Ecclesia, qui
quoque inter præcipuos est obseruandus. Repetitur
autem infra cap. 4. & 5. Quare pleraque, quæ de
Ecclesia hic dicenda erant in illis locis explicandis di-
centur.

Ceterum hæc est conclusio loci superioris de gen-
tium uocatione, quæ ubi multis uerbis & copiose tra-
ctauit, concludit iam in fine capituli, cum ait. Iam igitur
uos gentes scilicet nõ estis hospites & incolæ, sed con-
ciues sanctorum ac domestici Dei, uidetur autem Pau-
lus hoc loco respicere ad primam Prophetiam de uo-
catione gentium per Noham factam, cum illius uerbis
fere hoc loco utatur, & eam uideatur hic uelle inter-
pretari & ostendere ipso facto eam Prophetiam iam
per Euangelium, quod gentes susceperint, impleri, sic
enim ait Noha benedictus Dominus Deus Sem, & sit
Canaan illi in seruum, dilatet Deus Iaphet & habitet in
tabernaculis Sem.

uidet

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Videt Noha singulari reuelatione stirpem filij Sem
 uenturam promissionem de semine mulieris, & ex
 eius posteritate fore populum Dei, patriarchas, Pro-
 phetas, reges, & nasciturum Christum ipsum, uocat
 igitur Ecclesiam Iudeorū, quæ legem, quæ promissio-
 nes, & Christum ipsum cum omnibus æternis & cœ-
 lestibus bonis habet, tabernaculum seu domum seu
 ciuitatem Dei.

Vaticinatur itaq; fore, ut quanquam Iaphet filius,
 non sit Sem, hoc est, positus (id quod Etymologia hæ-
 braici uocabuli sonat) ut sit stirps seu radix, ex qua
 nascatur Christus, semen benedictum, fore tamen ut
 Iaphet, qui est pater gentium, dilatetur in maximum
 populum & recipiatur quoq; in tabernaculum Sem
 & fiat cum gentibus, sua posteritate conciuis sancto-
 rum, ac domesticus Dei, qui antea erat abalienatus à
 Repub. Israelis & extraneus à testamentis promissio-
 nis, Et sic fore unum tabernaculum, unam Eccle-
 siam, Sem Iudeorum & Iaphet gentium.

Nunc dicemus de Ecclesia, & primum quidem
 Quid sit Ecclesia. Ecclesiã aduersarij definiūt,
 esse collectionem, quæ non possit errare in fide, seu eius
 articulo, neq; in his quæ ad bonos mores necessarios
 ad fã

ENARRATIO CAPITIS SECVNDI

ad salutem pertinent. Deinde addunt hanc Ecclesiam alligatam esse ad successionem ordinariam Romanorum pontificum, & senatum pontificium, penes quem sit potestas condendi leges & traditiones, & interpretandi scripturam, Et necesse esse ut huius decretis & cognitioni, quaecumque Romanus pontifex statuerit, omnia membra Ecclesiae obtemperent, siue sint principes siue reges, ut papa sic sit caput Ecclesiae, & Monarcha, quem ceteri principes & reges tanquam supremam potestatem à Deo hic in terris constitutam colere & uenerari debeant.

Ita fingunt Ecclesiam nihil aliud esse quam exteriorem & mundanam quandam politiam, ut sicuti in Imperio Romano certi sunt ordines, & gradus dignitatum, plebei, nobiles, Barones, comites, principes, Electores, reges, & postremo summum imperij caput Cesar, cui reliqui in licitis & honestis obtemperare debent, ita in Ecclesia, & tota illa multitudine, certi sint gradus dignitatum, sint presbiteri, patriarchae, Episcopi, cardinales, & horum omnium supremum caput Romanus pontifex.

Est igitur uera definitio Ecclesiae uisibilis, hic à Paulo tradita, Quod est ciuitas seu domus Dei, edificata super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.

EPISTOLAE AD EMPESIOS

rara, in quo fundamento, summus angularis lapis est
Christus Iesus, quae ciuitas & domus, regitur, colitur
& habitatur à Deo ipso, ciues autem, & domestici
sunt, partim boni, partim mali sed tamen tales qui fun-
damentum doctrinam Prophetarum & Apostolo-
rum, non oppugnant, non conantur euertere, etiamsi
uitia & peccata habeant propter quae tamen non eis-
ciuntur ciuitate, hoc est non excommunicantur, sed
tollerantur, quod spes sit eos fore meliores & acturos
penitentiam.

Declaratio definitionis.

Vocatur autem Ecclesia ciuitas seu domus Dei,
more Prophetarum, quod Hierosolima olim
erat ciuitas, domus, templum & sedes Dei. Sicut enim
usq; ad aduentum Christi, Deus certum locum &
templum sibi Hierosolymis delegerat, ita & iam ex-
hibito saluatore, certam ciuitatem et domum sibi con-
stituit & delegit, in qua sola uult habitare, eam rege-
re & defendere.

Queritur igitur ubi sit illa ciuitas seu domus Dei?
Respondet Paulus, ibi esse, ubi fundamentum est Apo-
stolorum & Prophetarum, & ubi angularis lapis
est Christus Iesus, hoc est, ibi esse Ecclesiam, ubi pura
uox Euangelij sonat, & sola Christo angulari lapide,
non

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

non suis operibus, aut meritis nititur. Igitur Ecclesia non est alligata certo loco, ut olim Hyerosolime & templo Dei, aut ut nunc aduersarij fingunt, Romane sedi, aut certis personis, ut successioni ordinariæ Romanorum pontificum, aut senatui pontificio, quæ aiunt representare Ecclesiam catholicam, sed est alligata uerbo Apostolorum & Prophetarum, atq; adeo quidem, ut si Angelus è cœlo aliud doceat Anathema sit.

Hæc igitur ciuitas seu domus Dei, complectitur totam terrarum orbem, ut in quacunq; parte orbis, puritas Euangelij sonat, ibi sit pars Ecclesiæ domus Dei sicuti Ioha. 14. dicitur. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et Esa. 59. Hoc foedus mecum cum eis dicit dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui &c.

Vbi itaq; uerbum Dei pure docetur, cum hoc populo Deus iunctus est foedere sempiterno. In quo uero populo hoc foedus, hoc fundamentum & hic angularis lapis Christus non est, ibi non est domus & ciuitas Dei, sed spelunca diaboli, etiamsi sit ornata splendidis cultibus, et admirandis operibus, externis auleis, gemis,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Gemmis, auro et argento, ut est Ecclesia Romani pontificis. Dei enim Domus non ita externo sed interno cultu, uero timore, amore, & fide nitet, ut Psal. 45. dicitur Omnis gloria filiae regis ab intus, in sabbrijs auris.

Porro queritur qui sint Architecti & fabri, huius domus? In populo Israelitico, erant pontifices, sacerdotes, scribae & Pharisei, quibus praecipuum erat diuinitus ut domum, hoc est, populum Dei edificarent super fundamento Mosi & Prophetarum, qui suum fundamentum, hoc est, suam doctrinam, fixerant, firmarant & constituerant super pretioso illo lapide Christo filio Dei, à Deo ipso posito, ut gestet totum aedificium Domus Dei ut Esa. 28. dicitur. Ecce ego mittam in fundamentis Sion, lapidem angularem, lapidem probatum, preciosum in fundamento fundatum. super hoc lapide, Mosi, & omnium prophetarum fundamentum & doctrina est posita, Neque enim aliud Moses, Psalmi et Prophetae quam Christum docent, qui totius sacrae scripturae scopus est, ut ait Christus Ioan. 5. Scrutamini scripturas, ille sunt quae testificantur de me, Et Pet. Actorum 10. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

ENARRATIO CAPITIS SECUNDI

Sed illi fabri & Architecti, recedentes à fundamento Prophetarum, & aliud fundamentum, aliam doctrinam, alios cultus & ceremonias extra uerbum constituentes, aut non in hoc angulari lapide, sed in externis cultibus & suis operibus fiduciam ponentes, hunc lapidem præciosum filium Dei reiecerunt, & affixerunt cruci, sicut Psal. 118. prædictum erat, Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli, A domino factum est istud, Et est mirabile in oculis nostris, ideo et ipsi à Deo reiecti sunt, & regnum, hoc est uera doctrina Dei, ab ipsis est ablatum, & traditum alijs, hoc est gentibus.

Eodem prorsus modo nostri pontifices, & Episcopi, cum à fundamento Apostolorum & Prophetarum hoc tempore recedant & illorum doctrinam, ut suos errores stabiliant, corrumpant, reprobant Christum præciosum lapidem. Docent enim non solo Christo angulari lapide, sed & nostris operibus & meritis nitendum & fidendum esse, Quare tales fabri & architecti, etsi successionem ordinariam, ut olim pontifices scribæ & Pharisei, iactent, non sunt edificatores, sed destructores domus Ecclesiæ Dei. Itaq; & ipsi à Deo reiecti sunt & ministerium uerbi illis commissum est, qui fundamentum Apostolorum & Prophetarum

EPISTOLAE AD EPHESIOS

tarum retinet, sicuti Osee. 4, Deus minatur hanc pœnam contemptoribus uerbi, Quia tu scientiam reprobasti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

Veri igitur Architecti domus Dei sunt primum ipsi Apostololi & Prophetæ, qui domum Dei, Ecclesiam ædificant, super pretioso angulari lapide Christo Iesu, fundamentum enim aliud (ut 1. Cor. 3. dicitur) nemo potest ponere, præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. Deinde sunt quoque omnes ueri boni & fideles fabri, qui ad Prophetarum & Apostolorum fundamentum, amussim & regulam, domum Dei extruunt.

Cæterum materia ex qua domus Dei extruitur sunt uiui lapides sicuti 1. Pet. 2. dicitur. Ipsi ueluti uiui lapides ædificemini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias etc.

Extruimur autem hoc modo, primum positus est à Deo ipso lapis pretiosus & angularis Iesus Christus, qui utrunque parietem, Iudeos & gentes ac totam structuram sustentat, super hoc lapide ab ædificantibus ministris per fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, per ministerium uerbi ponimur, cum docemur per illum nos reconciliatos patri.

ENARRATIO CAPITIS TERTII

& ad patrem habere aditum, & in illo, solo non nostris meritis confidendum, qua fiducia seruamur sicuti ait Propheta, Omnes qui confidit in ipsum non confundetur, sic positi ab edificantibus supra per lapidem Christum, per fidem coagmentantur, structurae aedificij, & simul crescimus in fide, spe & charitate, ac ceteris uirtutibus, ut simus templum sanctum in Domino & habitaculum Dei per Spiritum sanctum, quae structura hic incipit, absoluetur autem in altera uita, ubi erit perfecta renouatio & Deus omnia in omnibus.

Postremo huius domus domestici & huius ciuitatis ciues, non sunt qui fundamentum Apostolorum & Prophetarum euertunt, & angularem lapidem Christum reprobant, ut Mahometistae, Iudaei & aduersarij pontifici Romano addicti faciunt, sed sunt hostes Ecclesiae, qui doctrinam caelestem corrumpunt, & contraria Apostolorum & Prophetarum doctrinae doceant, ut sunt doctrinae demoniorum, prohibitio ciborum & coniugij, & plurimi alij horrendi errores & idolatriae, de quibus praecipit scriptura, ne illorum societate sese contaminent, sicuti 2. Cor. 6. dicitur Exite de medio illorum, & separamini ab illis &c. Eodem modo in Apoca. cap. 21. Ecclesia comparatur ciuitati, qui locus prorsus cum hoc Pauli conuenit.

Caput

EPÍSTOLAE AD EPHESIÓS.
CAPVT TERTIVM.



RIORIBVS duobus capitibus Paulus commemoravit beneficia Christi, ab ipso ecclesie exhibita, & in secundo capite precipuos Christianae doctrinae locos est complexus, & simul in fine secundi

capitis ostendit haec Christi beneficia, quae Iudaei sibi soli arrogabant, & ab eis gentes exclusas uolebant, pertinere quoque ad gentes. Hoc uero capite initio docet, se diuinitus ad hoc uocatum, ut haec beneficia filij Dei doceat, & praesertim in gentes spargat. Fuit enim praecipue à Deo Paulus electus, ut gentibus annuntiaret Euangelium, sicuti Act. 9. scribitur Organum electum est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, Et ad Gal. 2. ait sibi concreditum fuisse Euangelium praepitij, sicuti petro circumcisionis.

Primus locus huius capitis est de ministerio uerbi.

Initio huius capitis Paulus mirifice commendat, & extollit ministerium suum, atque hoc primum ideo, Ne gentes propter ipsius uincula offensa incipiant

ENARRATIO CAPITIS TERTII

incipiant contemnere & odisse doctrinam Euangelij,
 & cogitent doctrinam esse seditiosam & erroneam,
 cum uictus & captus sit Paulus, qui eam circumtulera-
 rit, sicuti hoc tempore multi infirmi & ignari Euan-
 gelice doctrine, ab eius cognitione per sauitiam Ty-
 rannorum, & quod pios doctores & profitentes
 hanc doctrinam periclitari & opprimi uident, abster-
 rentur. Utitur igitur Paulus hoc loco inuersione, &
 quod ipsi, & ipsius doctrine ab imprudentibus dede-
 cori uersi poterat, hoc sibi & Euangelio Christi laudi
 ducit, & quod absterrere à cognitione & profes-
 sione Euangelij poterat, hoc ipsos ad id inuitare debere
 contendit. Ideo sic orditur.

Ego Paulus non propter meum scelus aliquod, sed
 propter uos gentes uinctus sum à ludæis, quod adserui
 Euangelium & omnia beneficia Messie, non ad ludæos
 tantum, qui sibi solis hæc uindicare uolunt, sed ad uos
 gentes quoq; pertinere. (Exstat autem hystoria hæc
 copiosissime descripta Acto. 21. & capitibus sequenti-
 bus) q. d. Hæc uincula quæ gero, non debent neq; mala-
 ri, neq; doctrine cœlesti, quam profiteor, apud nos de-
 decori, sed honori esse cum illa propter uos seram.
 Ideo enim in hæc à ludæis coniectus sum, quod Messie
 beneficia, quæ uobis gens Iudæica inuidet, per Euan-
 gelij

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

gelij uocem, uobis gentibus quoq; communico, & eorum omnium uos quoq; participes facio.

Non igitur propter mea uincula debetis contemnerere aut odisse doctrinam Euangelij, aut ab ea absterreri, sed ideo potius & ipsam doctrinam, quod ea beneficia Messiae uobis offert & comunicat, & me quoq; qui hac uincula ex inuidia Iudeorum propter uos sustineo, amplecti & amare. Testantur enim meum erga uos amorem, qui uinctus esse malo, quam uos beneficiorum Messiae, non esse participes, imo hac ipsa uincula mea, uos confirmare, & ad amplectendum Euangelium inuitare debent, cum uideatis à me tantifieri hanc caelestem doctrinam, ut prius quam illam deseram, aut perdam uinctus esse, aut proflus mori malim.

Talia igitur Prophetarum Christi & Apostolorum exempla, qui cruces, omnia mala ac mortem etiam pati, quam Dei doctrinam prodere maluerunt, tantum abest, ut nos ab eius professione absterrere, ut potius nos ad eius amorem & confessionem incitare debeant, sicuti & uox caelestis praecipit. Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo caelesti. Quia enim ut 1. Ioan. 3. scriptum est. Christus posuit animam suam pro nobis,

ENARRATIO CAPITIS TERTII

ideo & nos debemus pro fratribus animas ponere, id est, non debemus ulla mala, neque uincula neque mortem denique ipsam, defugere, dum modo uera doctrina asseri & propagari possit. Ideo Paulus hic suum Exemplum allegat & toti Ecclesie proponit cum ait Ego Paulus sum uinctus Iesu Christi pro uobis gentibus, ideo quod Euangelium uobis gentibus predicauimus.

Secundo cum Paulus suum ministerium ita extollet, non hoc agit, ut inde sibi aliquem honorem querat (honus enim à Paulo ex doctrina Euangelij questus sunt ipsius uincula & mors postremum. Euangelium enim sermo crucis est) sed ideo hoc facit, ne cruce offensi homines, Euangelium abijciant, sicuti etiam hoc tempore, posteaquam Tyrannorum scelerata contra Euangelium grassari coepit, & subinde maiora pericula oriuntur, sensim incipiunt homines, quibus sue opes, uitae tranquillitas, uoluptates, quam anime sue salus, cariores sunt, odisse Euangelij doctrinam, & ab ea deficere, Reliqua uero multitudo iam contemnit & existimat inanem doctrinam & professionem esse & multos qui antea uerbum Dei amplexi sunt, iam eius coepit satietas.

Contra haec mala ministerium uerbi in Ecclesia
Dei

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Dei uelendum & maximi faciendum est, cum per illud non opes, non honores, imperia & alia fluxa & interitura, sed diuina, coelestia & aeterna bona nobis conferantur, ad quorū possessionem homo initio conditus est, & cum ea per peccatum amiserit, missus est ad eorum recuperationem filius Dei qui per se & hoc suum ministerium ea credentibus restitueret, sicuti ait Paulus Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.

Quia enim Euangelium, ut hoc loco ait, est mysterium absconditum à seculis, quod per Spiritum sanctum Deus Apostolis et Prophetis reuelauit, ideo nulla philosophia, nulla humana doctrina aut sapientia res tantas tradere aut satis intelligere potest, cū sit uox, sapientia & potentia ipsius Dei, quam Prophetae, Apostoli, & ministri sonant sicuti 1. Cor. 2. ait Loquimur sapientiam Dei in mysterio, quae est recondita, quam praefinuerat Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum seculi huius cognouit. Item nos non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus, quae à Christo donata sint nobis, quae & loquimur, non sermonibus, quae docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus. Et 2. Corinth. 5. Nos nomine Christi

ENARRATIO CAPITIS TERTII

legatione fungimur, tanquam Deo uos obsecrante per nos &c.

Cam igitur ministerium Euangelij non sit hominum, sed ipsius Dei uox & administratio, ideo maxime fieri à toto humano genere debebat, sed maxima pars generis humani, contempto hoc ministerio, sequitur suas uoluptates, ideo etiam tot calamitatibus & miserijs mundus premitur & punitur, quas postremum æternæ pœnæ sequentur.

Siquidem audistis dispensationem gratiæ Dei.

His uerbis definit ministerium, & ostendit quid & quale sit, Esse nempe dispensationem gratiæ, Euangelij enim ministerium dispensat, offert & annunciat omnibus, & singulis gratiam et misericordiam Dei per Christum nobis partam apud Deum patrem, quæ fide accipienda est. Est autem dulcissima definitio ministerij cum dispensationem gratiæ Dei uocat, significat enim longe aliud esse Euangelij, quam legis ministerium seu dispensationem, legis enim dispensatio cum peccatum retegat simul etiam reuelat iram Dei aduersus peccatum, mortem & maledictionem. Quare legis dispensatio, non est administratio gratiæ.

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

gratis, sed iræ, mortis & damnationis, sicuti in Rom. ait. Lex iram operatur. Et 2. Corin. 3, uocat expressis uerbis legem administrationem mortis & condemnationis. Hoc discrimen legis & Euangelij sæpe inculcandum est, quod nisi in Ecclesia retineatur, simul non potest puritas cœlestis doctrinæ retineri. Sic etiam Iohan. 1. ponitur hoc discrimen, cum inquit. Lex per Moysen data est, Gratia autem & ueritas per Iesum Christum facta est, Et supra ait. Gratia estis seruari per fidem, idq; non ex nobis, Dei donum est &c.

Quod secundum reuelationem nostram mihi fecit mysterium.

Sæpe ostendit Paulus cum hic tum Gal. 1. & in alijs locis, se mysterium Euangelij, non ab hominibus didicisse, sed diuinitus sibi reuelatum, atq; hoc non ideo, ut suam inde gloriam quærat, erat enim blasphemus & persecutor Christi, cum uocaretur, sed ut & bonitatem Dei ostendat, qui rem tantam, etiam hosti Paulo, uoluerit notam, & ut Ecclesiæ certæ sint. Pauli doctrinam non esse humanum inuentam, sed reuelationem mysterij à Deo ipso factam, cogitemus igitur nos Dei uocem audire cum Prophetarum & Apostolorum doctrinam audimus, iuxta illud, Qui uos audit me audit.

ENARRATIO CAPITIS TERTII

Quemadmodum ante scripsi paucis,
ex quibus potestis legentes
intelligere &c.

Redit hic rationem consilij sui Paulus, cur hanc
Epistolam ad Ephesios, & ad ceteras Ecclesias
scripserit, nempe ut quæ antea uia uoce copiosius Ec-
clesijs tradidit, ea postea paucis certa methodo & sas-
ciculo quodam in talibus Epistolis comprehendens,
rursus inculcet, & meditando ac insigendo animis,
proponat. Detestandi igitur sunt qui Prophetarum et
Apostolorum scripta contemnunt, & suas phantasti-
cas illuminationes iactant, Amemus igitur & ueneremur
tales methodos, & quasi summas contionum &
doctrinæ Prophetarum & Apostolorum, ac cum illas
legimus, cogitemus, nos ipsos Prophetas & Apo-
stolos contionantes, imo ut iam dictum est, deum ip-
sum audire, sicuti ad talia scripta legenda & excutien-
da diligentibus, his uerbis hortatur. Paulus cum ait An-
te scripsi paucis, ex quibus potestis legentes intelligen-
te cognitionem meam in mysterio Christi.

Quod in alijs ætatibus non innotuit
filij hominum, quemadmodū nunc
reuelatum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.
reuelatum est sanctis Apostolis eius
& Prophetis per Spiritum &c.

Placet mihi hoc loco breuis huius loci S. Ambrosij expositio, qui sic hunc locum enarrat. Hoc ait ostensum à Deo tempore Christi quod antea latebat, quod scilicet gentes participes futuræ essent gratiæ promissæ in lege, Quod ostensum dicit prædicatoribus sanctis & Prophetis id est Apostolis, & legis explanatoribus, non Prophetis ueteribus. Quamuis enim admitterentur prius ad legem gentiles, sed circumcidi iubebantur, & Prophetæ sciebant gentes participes futuras doni Dei. Nam & hoc significauerunt multis in locis, sed hoc latuit, quia sine circumcissione et Sabbathis & neomenijs & cæteris talibus, gratiæ Dei future erant participes, ut absq; lege perciperent fidem Christi & saluarantur. Hactenus Ambrosius.

Erat aut tam alte Iudeorum animis infixæ persuasio, neminem sine lege & circumcissione saluari posse, ut necesse fuerit ab eo errore singulari uisione Petri reuocari ut habes Acto. 10. et fuerunt ea de re statim in primitiua Ecclesia magna certamina, sicuti Acto. 15. cum Paulo & Barnaba contendunt Iudei cum inquirunt. Nisi circumdamini secundum morem Moysi non potestis esse salui, Ideo Paulus hoc

ENARRATIO CAPITIS TERTII

In hoc loco ait reuelatum esse Apostolis & Prophetis, hoc est, interpretibus & doctoribus illorum temporum, per Spiritum sanctum, gentes quoque esse coheredes, & eiusdem corporis, consortesque promissionis Dei, in Christo per Euangelium.

Cuius factus sum minister secundum donum gratiae Dei.

Ostendit se uocatum ministrum Euangelij, sed non suo merito, cum fuerit hostis & persecutor Christi & piorum, sed hoc esse donum gratiae Dei, sicuti 1. Cor. 3. ait, Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum idoneus, ut dicar Apostolus, propterea quod persecutus sum Ecclesiam Dei &c.

Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia haec.

Pergit Paulus sicuti supra cepit Ministerium Euangelij commendare Ecclesiae Dei. Primum autem Paulus hoc loco sese ipsum proponit exemplum omnibus Episcopis & doctoribus Ecclesiae Dei, ut humiliter de se sentiant, ne uel donis sibi diuinitus concessis, uel propter magnitudinem & excellentiam ministerij docendi Euangelij de filio Dei offerantur & su

EPISTOLAE AD EHPESIOS.

et superbiant, sicuti multis contigit, quæ postea in horrendos errores prolapsi sunt, Superbis enim ut Petrus ait, resistit Deus, humilibus uero dat gratiam.

Est enim res etiam sanctis angelis admiranda, miserum hominem fungi officio ipsius Dei conditoris rerum, in docendo populo, in administrandis Sacramentis filij Dei, tollere miseros et damnatos homines ex regno tenebrarum et Diaboli, ac transferre in regnum lucis filij Dei, Bapuzare et remittere peccata loco Dei, Esse ducem et gubernatorem populi Dei, regere conscientias sanctorum hominum, et dare eis salutem et uitam æternam nomine filij Dei, per ministerium Euangelij. Hæc functio quantum anima prestat corpore quantum æterna et cœlestia bona præstant fugacibus et interituris huius seculi bonis, tantum anteferri debet omnibus omnium hominum muneribus et officijs, cum hoc Dei sit ministerium, quod per miseros homines Episcopos et pastores in Ecclesia regno suo exercet.

Hoc tantum ministerium gerens Paulus non superbit, non exercet in reliquos tyrannidem, non uult se ab omnibus tanquam regem aut principem aliquem coli et obseruari, ut nunc pontifex Romanus cum

Episcopis

ENARRATIO CAPITIS TERTII

Episcopis et Cardinalibus regum se similes haberi uolunt, contra Apertum mandatum Christi, reges gentium dominantur, uos autem non sic, & qui uult esse maior sit reliquorum minister, Ita hic Paulus, quamquam (ut 1. Cor. 15 ait) plus laborarit, quam reliqui Apostoli omnes, tamen non sumit sibi primatum, sed se & uocat & sentit minimum Apostolorum.

Satis autem apparet unde Tyrannis Pontificia & ex quibus iniurijs creuerit, nempe quod pii reges & principes maximi fecerint ministerium uerbi, & illud ornauerunt magnis operibus, ut ministri & scholastici, ac reliqui pauperes haberent necessarios sumptus, sed postea pontifices illa bona rapuerunt, & hoc tempore scelestis dilapidant, & suam potentiam & tyrannidem armis stabilire conantur. Et cum sint reges regum, tamen sanctissimus Pater pontifex Romanus rerum Domus, uocat se seruum seruorum, sed Paulus, ut appellat se minimum omnium, ita quoque re ipsa prestat se erga omnes, subijcit se & inscriuit omnibus.

Quare Episcopi & pastores ac omnes ministri uerbi, habeant hoc Exemplum Pauli perpetuo in conspectu. Et certe deploranda cecitas & amentia multorum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

torum est, qui iudicant Tyrannidem pontificiam, esse ordinationem Dei, cum in conspectu sint contraria Exempla, Prophetarum, Christi & Apostolorum, qui omnium hominum serui & ministri & miserissimi homines fuerunt, sine externa potentia & opibus, tantum in hoc occupati, ut Dei doctrina & ueri cultus Dei, in orbe terrarum propagaretur, at contraria apud illos sunt omnia, Nulla cura uerbi Dei & ueri cultus, sed unicum studium querendi opes, occupandi imperia mundi, stabilienda & confirmanda tyrannidis & suae potentiae.

Vt inter gentes Euangelizem imperuestigabiles diuitias Christi.

Isdem prope uerbis in Coloss. ait, In Christo lesse omnes Thesauros, scientiae & cognitionis. Scindum autem hic non agi de diuitijs temporalibus, & interituris, sed de Spiritualibus & aeternis, ut cum uideo me miserum perditum et propter peccatũ damnatum hominem, qui me ipsum a tyrannide Diaboli, peccati & mortis liberare non possum, ibi decurrendum mihi est ad Christum, in quo Deus recondidit uniuersos thesauros suae bonitatis, gratia

ENARRATIO CAPITIS TERTII
gratie, misericordie, remissionis peccatorum, iustitie,
salutis & uitae aeternae.

Hic enim ut I. Cor. I. dicitur factus est à Deo pater nobis sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio. Hic Christus datus est nobis à Deo patre, Primum ut sit donum, in quo omnes thesauri coelestes sunt repositi, ut cum nobis cum Deo agendum est, omnia in Christo thesauro nostro inueniamus & quasi in promptu habeamus, ut si propter peccata tua terrearis, cogites. Ecce hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hic est super quo dominus omnium nostrum iniquitates posuit, si ira Dei terret, cogites hunc esse propiciationem pro peccatis totius mundi, Si mors, Ecce hic absorbit mortem in uictoriam. Hic est resurrectio & uita &c. Deinde si uelis habere exemplar pie uitae, ad quod secundo datus est, Christus, inuenies in eo exemplar amoris erga Deum & proximum, item obedientiae, patientiae, mansuetudinis atque adeo omnium summarum uirtutum absolutissimum.

Et illuminem omnes, quae sit communio mysterij, quod absconditum erat à seculis apud Deum.

Magna

EPISTOLAE AD EHPESIOS.

Magna & stulta arrogantia uidetur esse Pauli, qui affirmat sibi gratiam datam ut omnes gentes illuminet, cum tamen inter gentes fuerunt uiri prestantes sapientia & magnis ingenijs, quos omnes hic cecos uocat & se solum sapientem esse & lucem habere, reliquos autem omnes uiuere in tenebris & errore affirmat, Non itaq; mirum fuit Paulum & ceteros Apostolos irrisos, & pro stultis habitos a philosophis & ceteris qui sapientia & eruditione prestant, sicuti & hodierno tempore, pro fatuis habemur, cum talia profiteamur, sed quia animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus, ideo mundus & carnales homines haec rident.

Cum enim uere hoc sit mysterium absconditum a seculis, Deum morte filij sui genus humanum uoluisse redemptum, neq; alia placari hostia, & hoc mysterium suum orbi terrarum, per filium Prophetas & Apostolos uoce Euangelij patefcerit, uere in rebus diuinis, in iusticia & aeterna uita consequenda, in mundo nihil sunt nisi mere tenebrae, ubi autem Euangelij lux accensa est, ibi uera Dei cognitio, uerus cultus est, Sic Ioannis. i. Erat lux uera, quae ueniens in hunc mundum, illuminat omnem hominem.

ENARRATIO CAPITIS TERTII
Vt nota fiat nunc principatibus ac
potestatibus in cœlestibus per Eccle-
siam multiplex sapientia Dei &c.

Hæc summa commendatio ministerij uerbi &
Ecclesie Dei est, tantum esse ministerium uer-
bi & res tantas in Ecclesie agi, ut quanquam sancti
angeli perpetuo conspectu Dei fruantur, tamen multa
eis nota fieri per Ecclesiam, quæ antea ignorabant.
Sunt enim ingentia & admiranda opera, quæ Deus
per Spiritum sanctum in Ecclesia quotidie gerit &
operatur. Sapientia & bonitas Dei, indies conspectior
& magis admiranda sit sanctis Angelis & omnibus
pijs membris Ecclesie Dei, dum alius opera, quæ in
Ecclesia à Deo geruntur, considerant.

Angelus (Acto. 10) iubens, ut Cornelius accersat ad
se ex Ioppe Petrum, ex quo doceatur, quid illi factum
opus sit, cum ipse longe melius uoluntatem Dei quam
Petrus explicare Cornelio posset, admiratur & con-
gnoscit inde ineffabilem bonitatem Dei, quod Deus
non angelorum sed hominis uoce & ministerio Cor-
nelium uult inseri Ecclesie, fieri heredem suum &
coheredem Christi Filij sui. Magna uoluptas est Angelo

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

gelo audire de morte & resurrectione Filij Dei, contionantem Petrum Apostolum, ingens gaudium est ei Cornelium, cum domo sua esse intentum in contionem Petri, & credere uoci Petri, & uerbo Euangelij & credentibus dari Spiritum sanctum & per baptismum ex Filijs irae regenerari in filios gratiae & uitae aeternae.

Hec opera & miracula Dei quae per ministerium hominis in Ecclesia Deus operatur, miratur Angelus, & ex ea sapientia & bonitas Dei, quam humano generi hoc modo prestat, ei innotescit quam celebrat & sua opera studet conseruare Ecclesiam & ministerium uerbi, pugnat pro Ecclesia contra Satanam hostem Christi & omnium piorum.

Sunt igitur Ecclesiae opera, nil nisi mera miracula, quae Deus gerit, admiranda ipsis sanctis Angelis i. Pet. i. dicitur. Ea annunciantur nunc uobis, per eos qui uobis praedicant Euangelium, per Spiritum sanctum missum e caelo, in quae desiderant Angeli perspicere, Et Christus testatur Angelos gaudere super peccatore agente poenitentiam &c.

ENARRATIO CAPITIS TERTII
Per quem habemus audaciam & aditum cum fiducia, quæ est per fidem illius.

Repetitur hic doctrina de inuocatione in proximo capite tradita, nullam ueram inuocationem sine mediatore Christo fieri posse, cum per illum solum pateat aditus ad patrem. Est autem hic primum obseruandum unde ueniat hæc παρρησία. libertas seu audacia, quod audemus accedere & alloqui tantam maiestatem, ac quam necesse est obstupescere totam creaturam, nisi hæc audacia adsit. Quia igitur homines, non hypocritæ, conscij sibi sunt sue prauitatis & indignitatis, ideo non audent attollere oculos ad Deum, non audent eum interpellare.

Ideo Paulus hoc loco claris uerbis ostendit, unde hæc audacia ueniat, per Christum ait habemus audaciam & aditum cum fiducia, quæ est per fidem illius, dicit corda nostra, quæ alioqui natura expauescunt & fugiunt Deum, excitari, erigi & confirmari, ita ut cum magna libertate (ut Epistola ad Hebræos quoq; ait) accedant ad thronum gratiæ Dei, & hanc libertatem accendi, in his qui credunt per Christum sibi placatum patrem, se illis

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

se illi curae esse, se respici, exaudiri & defendi à patre propter Christum mediatorem.

Est autem hic locus præcipue obseruandus, qui clare docet, quid sit fides, Aduersarij adfirmant fidem esse notitiam articulorum doctrinae Christianae, cum qua coniuncta sit Spes & Charitas. Paulus autem ait fidem esse non modo notitiam articulorum doctrinae Christianae, sed & fiduciam certam & firmam misericordiae & bonitatis Dei erga nos à Spiritu sancto per uerbum in credentium cordibus excitatam & acensam, & quidem talem, qua confirmati audemus per mediatorem accedere ad Patrem, & cum inuocare, semper enim necesse est, ut ueram inuocationem præcedat fides, sicuti in Rom: ait, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt, & quod fidem Paulus non simplicem hystoriae notitiam, sed & fiduciam misericordiae propter Christum intelligat, ipse se hoc loco interpretatur cum ait, fiduciam quæ est per fidem illius.

Quapropter peto ne deficiatis ob afflictiones meas.

Tria sunt præcipua quæ Paulus hactenus in hac Epistola tractauit. In primo capite recensuit orationis beneficia Christi, Secundo exposuit præcipuos

ENARRATIO CAPITIS TERTII

locos, Christianæ doctrinæ. Hoc uero capite commen-
dat in hunc usq; locum, ministerium uerbi, quod ma-
gnificis uerbis extulit. Hic autem orditur adhortatio-
nem, qua monet ut in doctrina Euangelij ab ipso tran-
sita, perseuerent, & ne offensi ipsius uinculis abijci-
ant doctrinam Dei.

Varie enim oppugnatur doctrina. Nam cum Satan
sciat Euangelium esse potentiam Dei, ad salutem omni-
credenti, ideo conatur eam primum per hereses &
Pseudopphetas extinguere, de quo sapius Paulus
conqueritur. Deinde quia Euangelium reprehendit
Idolatrias & scelera quibus & principes & multitu-
do est contaminata, ideo Satan principio instillat odi-
um coelestis doctrinæ animis principum & multitu-
dinis, & postea eos incendit furore, ut ui & oppres-
sione sauiant contra professores & confessores coe-
lestis doctrinæ.

Est enim Euangelium positum ceu signum cui con-
tradicitur, quod Satan cum tota mundi & inferorum
potentia oppugnare & delere conatur, sicuti non
tantum omnium priorum temporum hystorie testatu-
tur, sed & nos hæc ipsi hoc tempore experimur
cum multorum cede. Hæc mala, cum uident ij qui
Euangelium amplexi sunt, uarie tentantur à Dida-
bolo

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

homo, ut & infirmitate uicti, aut uinculis ministro-
rum uerbi, aut paucitate profitentium Euangeli-
um offensi, incipiant labascere, & dubitare, an hæc
doctrina uera sit, aut prorsus ab ea deficere &c. De-
inde quia multitudo uidet, Reges, Sacerdotes & tem-
pore Christi summos pontifices Annam, Caipham,
Scribas, Phariseos, & maximam gentis Iudaicæ par-
tem, alteram receptam & usitatam doctrinam ample-
cti, & odisse ac persequi Prophetarum, Christi &
Apostolorum doctrinam, ideo secuta illorum iudicium
& exemplum illis sese coniungit, & multi deterriti
periculis, à professione ueræ doctrinæ deficiunt.

Eadem plane ratio nostrorum temporum est, quo-
uidemus & experimur Euangelium, ideo esse in
contemptu, quod & nos qui illud docemus et profite-
mur homines miseri & abiecti, nulla muniti poten-
tia, aut autoritate sumus, quod contrarium genus
doctrinæ amplectuntur Pontifices, & Principes
& maxima pars populi, qui omnes extreme Euan-
gelium oderunt, & Diabolico furore persequun-
tur.

Sciendum igitur est, iuxta regulam à Paulo
hic traditam, in professione celestis doctri-

ENARRATIO CAPITIS TERTII

doctrinae, non intuendam personam docentis, aut respiciendum ad auctoritatem uel multitudinem eam amplectentium, uel persequentium, sed simpliciter ipsi uerbo in haerendum & innitendum, quod cum audio ipsius Dei uocem esse, obtemperare uerbo Dei debes, etiamsi minister uerbi sit, pastor ut Amos Propheta, aut piscator, ut Petrus, Iacobus & Iohannes, aut textor, ut Paulus, imo si asina me doceret uerbum Dei ut Balaam, obtemperandum esset.

Non enim ut 1. Cor. 1. dicitur, multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quae stulta erant, secundum mundum delegit Deus &c. quae omnia in Christo qui fabri filius putabatur & in Apostolis uidemus. Quid enim miseri homines fuerunt, collati ad pontifices Annam, Caipham, Herodem, Pilatum, ad Neronem & senatum Romanum dominos rerum, & tamen istorum doctrina contra horum furores, ipsis perditis, adhuc stat ac manet, sicuti sonat promissio in 1. Psalm. Erit tanquam arbor plantata iuxta riuos aquarum, & econtra impij erunt tanquam puluis, quem projicit uentus.

Neque uero me uel uincula uel paucitas & infirmitas docentium & profitentium Euangelium Christi, ab eius

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ab eius confessione abstergere debet. Videbat Noha totum mundum furciter contemnere Deum, & inter eos precipue doctissimos & sapientissimos homines ridere ipsum, circumferentem in orbe doctrinam caelestem, & hortantem ad poenitentiam, & praedicentem horribilem poenam diluuij. Sed horum autoritas & multitudo cum non mouebat, ut abijceret uerae doctrinae professionem, quam ipse cum sua domo tantum amplectebatur.

Videt Mater septem filiarum capi Hyerosolymanam à Tyranno Antiocho, interfici intra triduum octoginta hominum milia, conijci in uincula quadraginta millia, neq; minus etiam uendari, Prophanari templum, interfici sacerdotem senem nonagenarium Eleazarum, uidet & septem filios, charissima pignora & uiscera sua, propter Dei doctrinam horribiliter & miserabiliter excarnificatos occidi, uidet magnam multitudinem suae gentis propter persecutionem & sua commoda deficere à doctrina Dei, sed his tantis, & tot malis, publicis & priuatis suorum, quamquam mulier, non frangitur, non mouetur, ut Idolat, ut contra mandatum Dei porcinas carnes edat, sed manet constans & firma non tantum in suorum, sed & in suis tormentis, usq; ad extremum uitae halitum.

ENARRATIO CAPITIS TERTII.

Ita Paulus hoc loco monet Ephesios, atq; adeo omnes pios, ne uel propter adflictiones aut mala ulla alia, deficient à doctrina Christi, quam semel sint amplexi. Quæ hortatione in primis etiam hoc tempore in tanta Tyrannide, & contra Euangelium Christi seculis opus est, ut pij confirmentur.

Quas pro uobis tolero.

Subijcit duas rationes, quare à professione Euangelij non debeant deficere, Prior est, quia hæc uincula & has adflictiones tolero pro uobis, atq; hoc duplici nomine, Primum quia à iudeis erat coniectus in uincula, quod gentes iudeis equasset, ut supra dictum est, quod contra locum, legem & templum doceret fide sine operibus legis remitti peccata propter Christum q. d. propter uos gentes has adflictiones sustineo, cum igitur uos sitis causa mearum adflictionum, ergo non debetis ex his offendi. Deinde etiam eo nomine pro uobis hæc uincula patior, ut in doctrina uobis à me tradita, eo magis confirmemini, cum uideatis, me tanti eam facere, ut non acerbum mihi sit hæc uincula, imo ne mortem quidem pro ea subire. Debent igitur sanctorum cruciatus & tormenta, pios non abstertere à confessione doctrinæ
Dc.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Dei, sed potius ut in ea constanti animo perseuerent, eos confirmare.

Sunt autem hic quidam male sani, qui hunc locum Pauli ad hoc citant, sanctorum afflictiones prodesse alijs ad consequendam iusticiam & uitam eternam & multa bona alijs mereri, quae sententia, & aliena à Paulo & insulsa, minimeq; analogae fidei est. Solus enim Christus semel per peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo 1. Pet. 3. & Heb. 9. Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleretur &c. Huius solius afflictiones & mors meretur remissionem peccatorum iusticiam & uitam omnibus. Hic est enim agnus Dei qui tollit peccata mundi, hic traditus fuit propter peccata nostra, Reliquorum sanctorum mors & afflictiones non sunt uictima pro peccatis mundi &c. Non possunt esse praegium & *W* *H* *o* *p* pro redimendo genere humano.

Quae est gloria uestra.

HAec est altera ratio cur non debeant offendi
ex afflictionibus Pauli, quod afflictiones san-
ctorum non sunt dedecus aut ignominia, sed glo-
ria & ornamentum Ecclesiae, At dicat aliquis
an non

ENARRATIO CAPITIS TERTII

an non dedecus est cædi uirgis, conijci in carcerem,
 lapidari, ignominiosa morte occidi? Respondeo hæc
 sunt & debent esse dedecora cum scœlestis & impijs
 accidunt, iuxta illud, Lex est iniustis posita, sed cum
 pij præter meritum adfliguntur, ipsis & Ecclesie non
 est dedecori, sed ornamento, maxime in conspectu
 Dei, coram quo prætiosa est mors sanctorum, & qui
 gaudet, ac uult pios similes fieri imaginis filij sui, uult
 Ecclesiam humiliari & subiectam esse cruci, quo eam
 exaltare & cœlesti ac æterna gloria ornare possit, ad
 quam nisi per crucem peruenire non potest, sicuti &
 Christus Lucas ultimo ait. Nonne hæc oportuit pati
 Christum, & ita intrare in gloriam suam? Ita 1. Pet. 2.
 dicitur. Hæc est gratia apud Deum, si quis propter
 conscientiam Dei suffert molestias præter meritum
 effectus malis. Et Rom. 5. Gloriamur super afflictio-
 nibus, hoc est, ducimus afflictiones, quas propter Chri-
 stum patimur, rem in conspectu Dei gloriosam, ho-
 norificam, & salutarem, quam mundus iudicat esse
 ignominiam & mortem, sic de Apostolis Acto. 5.
 scribitur, ibant gaudentes à conspectu concilij, quo-
 niam digni habiti sunt pro nomine Iesu con-
 tumeliam pati, & Matt. 5. Beati qui perse-
 cutionem patiuntur &c.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Huius rei gratia flecto genua mea
ad patrem Domini nostri Iesu
Christi.

Hortationi subiicit præcationem, atq; adeo eam
quidem ualde ardentem, Tria enim doctoris
Ecclesie Dei præcipua sunt officia, docere, adhortari,
& orare. Doctrina summo studio, propter rudes ut
erudiantur, urgenda spargenda & propaganda est.
sive id fiat uia uoce, siue scripto, aut quocunq; alio
modo, sicuti hic uidemus facere Paulum, qui ideo in
talibus Epistolarum quasi compendijs, summam do-
ctrinæ christianæ complectitur, ut quæ antea uia uo-
ce Ecclesijs tradidit, his scriptis altius, infigat & ad
posteror quoq; transmittat, sicuti uidemus mirabiliter
Prophetarum & Apostolorum scripta ad conseruan-
dam puritatem doctrinæ, in tantis & tot regnorum
ruinis custodita.

Deinde etiam doctrinæ adhortatio adiungenda
est, cum propter eos qui falsa dogmata spargunt, ne
illis, deserta uera Dei doctrina, multitudo adsentia-
tur, tum, ne incipiant Euangelium fastidire & con-
temnere & in eo discendo fieri languidiores.

Postremo his omnibus addatur ab Episcopis &
doctoribus

ENARRATIO CAPITIS TERTII

doctoribus oratio ardens, qua Ecclesias Deo Patri Domini nostri Iesu Christi commendent, ut det incrementum uerbo, & ut Ecclesie in fide & agnitione Dei ac charitate crescant & perseuerent, cuius rei Paulus hoc loco sese exemplum omnibus Episcopis & pastoribus proponit.

Ostendit autem qui debeat esse gestus orantium cum ait flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, Quamquam enim externas illas ceremonias, nihil curet Deus, & cor & affectum orantis inuocatur, iuxta illud, ueri adoratores adorabunt Patrem Spiritu & ueritate. Et Esa. 29. Hic populus labijs me honorat, cor autem ipsorum longe est à me, tamen ubi cor accensum fuerit ad ueram & seriam precationem à Spiritu sancto, necesse est & illam exteriorem ceremoniam seu corporis gestum sequi, quo testamur nos & Spiritu & toto corpore subijcere Deo conditori rerum, & nos humiliter ipsius opem implorare. Tali gestu legimus Patres, Prophetas, Christum ipsum ac Apostolos orasse, Quare & haec externa ceremonia seruanda est.

Ceterum quod superius bis docuit, nos per solum Christum habere accessum ad patrem, idem ostendit in hac sua precatione. Ideo enim ait. Flecto genua mea

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ita ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut significet se inuocare Deum Patrem, non fiducia suae dignitatis, aut meritorum ullius sancti alterius, sed solius Christi mediatoris, qui placauerit Patrem, & nobis aditum suae mortis ad Patrem fecerit. Quare & nos omnia mortuorum sanctorum inuocatione, quam aduersarij docent, exemplo Patrum, Prophetarum Apostolorum ac piorum omnium solum Patrem Domini nostri Iesu Christi, fiducia eius mediatoris inuocemus.

Ex quo omnis paternitas, in caelis & super terram nominatur.

Duplex est paternitas, una in caelis, & altera super terram. Paternitas in caelis est, quod ex Deo Patre ab aeterno natus est filius, quem omnes Angeli, ut Patrem Domini nostri Iesu Christi, Deum, Dominum & creatorem suum colunt & adorant. Altera paternitas est in terra in qua omnes paternitates quoque ex Deo tanquam creatore & gubernatore rerum omnium sunt, excepta una, quae est Diaboli, quem Christus patrem mendacij appellat, sunt autem uaria genera Patrum in terra, ut sunt Patres ex quibus progeniti sumus. Deinde sunt Patres Spirituales ut Prophetae, Apostoli, Episcopi, ministri uerbi, qui nos per uerba

ENARRATIO CAPITIS TERTII

per uerbum regenerarunt, quales se Paulus & Petrus suarum Ecclesiarum Patres appellant, sunt præterea & principes Patres patriæ, nihil enim ut ille ait à bono patrefamilias bonus distat princeps.

Sed Præter & supra hos Patres omnes unus est, cæterorum omnium Pater et Dominus, qui est Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, ex quo alij omnes sunt, & qui Pater erit & in æternum durabit, etiam tum cum reliqui Patres omnes abolebuntur. Quare hic omnibus alijs præferendus, & ad hunc omnibus credentibus in filium ipsius, tanquam ad patrem, in quo certum & indubitatum præsidium est, confugiendum est, qui nos ut liberos suos propter Christum adoptatos, uult iuuare defendere & seruare.

Hic enim sciendum est, ut in perfectissima natura, longe maiores & ardentiores esse sórgox Dei patris erga nos liberos suos, quam sunt in patribus naturalibus, quarum natura uiciata est, sicuti & Esa. 49. dicitur. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui. Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui, illa enim coniunctio parentum & liberorum in hac uita tantum imago est, summi & inenarrabilis amoris Dei patris erga nos liberos

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

liberos suos, cuius certissimum pignus & sigillum est, quod filium unigenitum pro nobis dedit, sicuti inquit Christus Ioha. 3. Sic Deus dilexit mundum & c. In hac parte uult nos superbire & gloriari & confidere Paulus, ex quo alij patres omnes sunt, & quorum ille Dominus est.

Placet mihi & illarum interpretatio, qui uocem πατὴρ Hebraica consuetudine, cognationem seu familiam significare affirmant, ut sit sensus, Patrem Domini nostri Iesu Christi esse suorum omnium qui in caelis & in terra sunt supremum, patrem familias, gubernatorem & defensorem, tanquam caput, in quo omnes familiae et cognationes seu tribus adeoque omnia quae in caelis & terris sunt, sint coniuncta & copulata, sicuti & supra in Cap. 1. in uoce ἀνακεφαλαιῶν σαδάι explicatum est.

Vt det uobis iuxta diuitias gloriae suae.

QUAE hoc loco Paulus precatur à Deo Ecclesijs dari, res sunt omnium maximae, ideo etiam pro rerum dignitate utitur uerbis quam potest maxime magnificis, cum precatur ut Deus det iuxta diuitias gloriae suae. Gloria autem Dei est, quod suis beneficijs.

ENARRATIO CAPITIS TERTII

ficijs, sua bonitate & misericordia, omnia quæ in cœlis & terra sunt replet. Neq; enim solum uniuersa condidit, sed & conseruat, sustentat, gubernat, defendit & omnia bonis suis implet. Huius gloriæ Dei maiores & ampliores sunt diuitiæ (ut hoc loco uocat) quam animus humanus capere aut intelligere potest. Harum autem ideo hic mentionem facit, ut eas consideret, & pro eis grati sinus Deo, & ut petentes, & inuocantes Deum, sciamus tantas esse opes gloriæ Dei, ut nihil tam amplum petere possimus, quin si profuturum nobis uideatur, ille prestare possit, Sed quid petit dari nobis Paulus?

Ut fortitudine corroboremur per Spiritum suum in internum hominem, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus uestris.

Et si corporalia bona ut pax, uirtus, bona ualeatudo quoq; petenda sint à Deo, tamen alia sunt multo maiora & magis necessaria, quæ prius à Deo peti debent, sicut quoq; ordo petitionum in oratione dominica ostendit, Ita & hoc loco Paulus posteaquam Ephesij Euangelij doctrinam cognouerunt, precatur eis duo à Deo dari,

Primum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Primum ut corroborentur, per Spiritum sanctum in
 ea cognitione Christi, qua ex Euangelij auditu conce-
 perunt, & quidem iuxta internū hominem. Exterior
 enim homo non renatus neq; corroboratus per Spi-
 ritum sanctum, ut maxime sit peditus singulari uirtute,
 sapientia, integritate uitae & robore animi & corporis,
 munitus magnis presidys & ingenti potentia ta-
 men à peccato à Diabolo & morte uincitur, labascit
 & frangitur tum cum imminent pericula, ut testatur
 exemplum Petri negantis propter metum mortis
 Christum, neq; enim adhuc acceperat uirtutem & ro-
 bur omisso Spiritu sancto. Sed interior homo, renatus
 per uerbam Euangelij & Spiritum sanctum, quia iam
 non secundum carnem, sed secundam Spiritum uiuit,
 ideo concipit robur & uires, non ex corporali uictu,
 non ex ualetudine bona, non ex presidys & armis ex-
 ternis, sed ex Spiritu sancto, qui dat testimonium Spi-
 ritui nostro, quod simus filij Dei.

Cum uero hoc modo per uerbum & Spiritum
 sanctum interior homo confirmatus est, cum simul
 etiam Christus habitat per fidem in cordibus nostris,
 ibi tum ita confirmamur, ut confisi Christo Domino
 nostro, ingenti robore animi uincamus omnia pericu-
 la, omnes cruciatus corporis, peccatum, mortem, &

ENARRATIO CAPITIS TERTII

ipsam deniq; diaboli potentiam. Quia tum certi fide sumus, hæc omnia mala, à Christo nobis deuicta & abolita. Quare per illum & Spiritum sanctum habitantes in nobis corroborati, hæc omnia uicimus sicuti 1. Cor. 15. dicitur Deo gratia, qui dedit nobis uictoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum, & 1. Ioan. 5. Hæc est uictoria, quæ uicit mundum &c. Sed hoc robur non est humanarum uirium, sed uenit & datur per Spiritum sanctum, & Christum habitantem in nobis, cum igitur Diabolus conetur per ingentia & plurima pericula labefacere & euertere fidem nostram, conceptam ex auditu Euangelij, sicuti etiam presentium temporum horrenda bella testantur, ideo quotidie orandus est Deus, quo corroboremur uirtute & robore per Spiritum sanctum, secundum internum hominem, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus nostris, Ne fracti & uicti malis succumbamus & amittamus Spiritum sanctum & Christum habitantem per fidem in nobis.

Ceterum obseruandus est, & hic locus de adplicatione, Aduersarij enim contendunt, non sola fide sed & spe & Charitate nobis adplicari Christum & ipsius beneficia, sed Paulus hic clavis uerbis testatur, per fidem habitare Christum in cordibus nostris, quæ fides est fiducia

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

est fiducia solo Christo & ipsius beneficijs & meritis nitens, ut Paulus conuersus ad Christum, posteaquam cognoscit non ex operibus legis, sed gratis propter Christum nos iustificari, omissa lege & eius operibus, fide amplectitur Christum, credens sibi propter illum remitti peccata, donari se iusticia, Spiritu sancto & uitae aeterna, ita per fidem in ipsius corde habitat Christus, qua fide uiuificatur Paulus & quanquam opera legis habeat, ut charitatem, spem, patientiam & reliquas uirtutes tamen non ducit eas esse iusticiam, sed solum Christum agnoscit esse suam iusticiam, hoc est propter illum solum se esse acceptum & gratum Deo, non propter legis opera, sicuti Phil. 3. ait. Quinetiam arbitror omnia damnatum esse, propter excellentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei, propter quem omnia pro damnis duxi habeoq; pro reiectamentis, ut Christum lucrifaciam, utq; reperiar in illo, non habens meam iusticiam ex lege, sed eam qua per fidem est Christi, qua est ex Deo iusticiam, super fide &c.

Alterum quod precatur Paulus dari ijs in quibus fides & cognitio Christi accensa est, est charitas, uidelicet ut Charitas illorum animis, firmis radicibus sit infixae & ipsi in ea tanquam firmo fundamento fundati & locati, quibus uerbis & Meta-

ENARRATIO CAPITIS TERTII

taphorus hic utitur Paulus, uita enim Christiani hominis duabus partibus constat fide & Charitate, cui ceteræ uirtutes connexæ sunt. Sicuti autem fides per uiam ignita Sathanae tela facile labefit & conuellitur, nisi robore Spiritus sancti sit confirmata, ita & charitas, nisi altas radices uirtute Spiritus sancti in corda piorum egerit & firmo fundamento locata sit facile frigescit & labefit. Est enim difficillimum proximum amare sicuti teipsum amas. Hæ enim corrupta natura plus se quam alios amat, sicuti ille apud Comicum ait. Heus proximus sum egomet mihi, contra quam naturæ corruptionem iuxta hoc Pauli præceptum, indices nobis orandum est, ut charitas per Spiritum sanctum firmas in corda nostra agat radices & ita fundata sit, ne facile conuelli & labeficri possit. Ita Paulus suo exemplo docet indices pijs orandum, ut fides & charitas in nobis crescant & confirmentur, sed quis est istarum rerum fidei & charitatis ita animis infixarum fructus & effectus? Eos iam ordine enumerat.

Ut ualeatis adsequi cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo
& profunditas & sublimitas.

Primus

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Primus fructus est cum in fide & charitate sumus confirmati, quod tunc deniq; quæ antea humanis uiribus aut sapientia nullo modo comprehendere poteramus, adsequi possumus quæ sit latitudo & c. hoc est, quam late, longe, quam in profundum et sublime potentia Christi pateat, illum esse Dominum peccati, mortis, Diaboli, inferorum, celestium, & terrestrium, sicuti inquit, Data mihi est omnis potestas in celo & in terra, Et Phil. 2. Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genua flectat, celestium ac terrestrium, & infernorum & c. Adest igitur Christus Ecclesie, exaudit preces, uota, & gemitus piorum, eos custodit, gubernat ubicunq; sint & c.

Et cognoscere excellentem cognitionis charitatem Christi.

Secundus fructus est, quod in fide & charitate ita confirmati, soli cognoscere & aliqua ex hac parte in hac uita intelligere incipiunt excellentem & admirabilem erga nos amorem Christi, superantem omnem humanam sapientiam, quod cum in forma Dei esset, ita se exinaniuit, ut adsumpta humana natura noster seruus factus sit, & se

ENARRATIO CAPITIS TERTII

uictimam Deo patri obtulerit, Huius tanti miraculi consideratio dulcis & admiranda est, omnibus Angelis & pijs hominibus, & erit magna pars eterni gaudij in altera uita, ubi hæc propius & perfectius intelligemus.

Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Tertius fructus est quod tales implentur plenitudine Dei, Nam cum Christus in nobis per fidem habitat, habitat simul plenitudo Dei in nobis, ut Coloss. 1 dicitur. In ipso complacuit omnem plenitudinem Dei inhabitare, cum Christus & Spiritus sanctus est efficax in nobis, regit & gubernat nos, ut non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulemus.

Ei uero qui potest cumulate facere ultra omnia quæ petimus &c.

Concludit primam partem huius Epistolæ, quæ est doctrina Euangelij, per gratiarum actionem. Est autem egregius locus, quo nos ad precationem exuscitat, ut cogitemus, nihil nos tam amplum & magnum petere posse, quin Deus pro ingenti sua efficacia & potentia, quam etiam in nobis infirmis & miseris

EPISTOLAE AD EHPESIOS.

miseris creaturis, per Spiritum sanctum exercet, multo maiora & ampliora præstare possit. Ita Abraham sine herede moriturus, rogat sibi heredem à Deo dari, sed multo maius impetrat, ut non modo multarum gentium, sed & Pater Domini nostri Iesu Christi sit secundum carnem &c.

CAPVT QVARTVM ad Ephesios.



PRIOR Epistolę pars quam tribus capitibus est complexus, est Didactica, continet enim præcipuos locos Christianę doctrine, de beneficijs Filij Dei, De peccato, de gratia, de fide, De bonis operibus,

De abrogatione legis, De uocatione gentium, De uera inuocatione, De Ecclesia, De dignitate ministerij uerbi Dei. Hic uero orditur alteram Epistolę partem, quę est Parenetica. Posteaquam corda sana doctrina instituit, informat iam hisce tribus posterioribus capitibus uitam piorum, ac docet quę opera pijs sint faciendæ, ac monet ut cogitent uitam debere re-

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

Spondere ipsorum uocationi. Cum enim sint uocati ad consortium eterne uite, omnibus uiribus dandam operam, ut hanc suam uocationem bonis operibus ornent & tueantur. Nam induemur quidem eterna uita, sed ita tamen, si non nudi reperiemur.

Totam uero doctrinam de bonis operibus, prouidentissime partitus est Paulus. Docet enim hisce tribus capitibus, quae opera pijs primum in Ecclesia. Deinde in politica. Postremo in economia sint praestanda, quam seriem postea ostendemus.

Hortor itaque uos ego uinctus.

ORditur hortationem Paulus ad opera in Ecclesia maxime à doctoribus praestanda, suduissimis uerbis, ac mouet uoluntatem à sua persona & uinculis suis cum ait. Ego uinctus hortor uos, quod uel haec uincula mea, quae propter uos tollero, uos ad uite sanctimoniam & integritatem hortari debent, quae ipsa per se multum erumnarum mihi adferunt, quas meas erumnas & miseras, multum mihi augebitis, si audiero, quos doctrina mea denuo genui, filios & heredes Dei, dedecorare uocationem uestram & Euangelium Christi, esse inter uos contentiones & certamina, & uiuere uos Ethnico more.

Deinde

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Deinde nulla alia res mea uincula mitigare & lenire
dolare magis poterit, quam ubi animaduertem
ro, uos, quos preseci Ecclesijs doctores & Episcopos,
seruare concordiam doctrinae, & totam Ecclesiam
sancte & pie uiuere, crescere in uobis fidem, spem,
charitatem, humilitatem, patientiam & ceteras uir-
tutes quibus Christianos & praesertim doctores uer-
bi decet esse ornatos, Quae ut studeatis, & prestetis,
uel haec uincula mea à uobis impetrare debent.

Ita primum argumentum adhortationis ad bona
opera, sumptum est à persona Pauli & figuratum est
affectu ad animos mouendos ualde efficaci & com-
modo. Docet autem hoc loco Paulus, etiam propter
onera & pericula, quae interdum doctores uerbi sus-
tinere coguntur, à pijs dandam operam, ut sancte
& pie uiuant, ne doctoribus tot arumnas sustinen-
tibus, plures & maiores addant, sicuti boni liberi ideo
abstinent flagitijs, ne parentes merore afficiant.

In Domino.

Secundum argumentum ducit à persona Christi,
cum ait. Vincit in domino. q. d. Haec uincula
patior

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

patior propter Iesum Christum Dominum meum, cuius quia Euangelium uobis gentibus communicavi, & uos gentes, quod ad salutem & uitam eternam consequendam per fidem in Christum attinet, & quasi Iudæis, ideo coniectus sum in hæc uincula, seruus & minister Iesu Christi in docendo & propagando Euangelio. Quare siue gaudio siue merore me affeceritis, non tam me quam Christum ipsum Dominum meum & uestrum affeceritis, Quia quod ipsius ministris præstat, idem etiam ad ipsum redit, siue honoris siue contumelia sit, Sicuti inquit. Quicquid feceritis uni ex minimis istis, mihi fecistis.

Præterea cum inquit: Vinculus in Domino, significat se non propter scelus aliquod hæc uincula sustinere, sed propter Dominum, & Euangelij doctrinam, ideo hæc uincula sibi laudi & honori ducit eaq; iustat, sicuti Dominus Matt. 5. præcipit, Beati estis cum persecuti uos fuerint propter me, gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in caelis. Et 1. Pet. 4. Gaudete quod consortes estis afflictionum Christi, & si probris afficiamini in nomine Christi, beati estis. Item ne quis uestrum adflagatur ut homicida aut fur &c.

Ita dulcissimis uerbis & affectibus orditur adorationem,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tionem. Estq; magna uis in his breuissimis uerbis ad
 permouendos animos, si quis ea diligentius consideret.
 Habent autem Episcopi & pastores exemplum hic in
 Paulo propositum, quomodo se erga Ecclesias sibi
 commissas gerere debeant, ne illis, tanquã Dominium
 in eas exercentes, imperent, sed eos qui sunt sanabiles,
 summa cum modestia & mansuetudine tractent &
 sui officij commonefaciant. Non inquit mando uobis
 atq; impero, sed mollissimis uerbis compellans, ne à se
 & doctrina Euangelij ipsorum animos alienet, ait.
 Ego uinctus in Domino obsecro uos. Neq; enim fun-
 ctio Ecclesiastica Dominium, sed ministerium est.
 1. Pet. 5 Non exercentes Dominium aduersus clericos,
 An uero ministri, aut Domini sint Episcopi, qui hoc
 tempore Ecclesijs satis duriter imperant, uiderint
 ipsi.

Vt ambuletis, ita ut dignum est uo-
 catione, qua uocati estis.

Qua sit uocatio piorum amplectentium Euan-
 gelium, ostendit supra, cum ait, conditos nos
 in Christo Iesu ad opera bona, quae preparauit Deus,
 ut in eis ambulemus, Et 1. Thessa. 4. Non uocauit nos
 Deus in immundiciam, sed in sanctificationem.

Est autem uocatio nostra quae per uocem Euange-
 ly sit.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

lij sit, amplissima, quod ad hoc diuinitus uocamur, ut simus filij & heredes Dei, Coheredes autem Iesu Christi, uita & glorie aeternae, conciuues Spirituum coelestium.

Sicuti autem Angeli conciuues nostri obediunt Deo conditori suo, ita & omnes pii considerent, omnes cogitationes, studia, consilia, et actiones nostras eo debere esse intentas & directas, ut per eas & Deus Pater noster coelestis & eius doctrina celebretur & ornentur, Sicuti Christus Matth. 5. Praecipit. Sic luceat Lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra opera bona, glorificentq; patrem uestrum qui in caelis est.

Nam cum tetra & abominanda confusio sit rerum omnium in mundo, & maxima pars humani generis corrupta et impulsu à Diabolo, ita uiuat, ut neq; Deum conditorem suum curet, & illum ac doctrinam Euangelij contemnat ac contumelia afficiat, uocat & eligit Deus quosdam ex toto genere humano per Euangelij uocem, ut sit tamen uel pusillus grex & minima humani generis portio, à qua agnoscatur, colatur & celebretur hic in hac uita & postea in omnem aeternitatem, ne genus humanum prorsus frustra sit conditum.

Qui igitur in hoc uocato & electo coetu sunt, semper

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

semper cogitent ita uiuendum eis, ne uel Deum Patrem suum offendant, aut doctrine Euangelij sint dedecori, & suo exemplo alijs noceant, imo ut ad Philip. dicitur, ut sint tales quo nemo de eis queri possit, sinceriq; Filij Dei irreprehensibiles in medio nationis prae & tortuose, inter quos luceant tanquam luminaria in mundo. In hoc enim conditi sumus, ut per nos & Deus ac ipsius doctrina ornentur, & ad eum cognoscendum & celebrandum alijs inuitentur, Ideo etiam infra ait, ut filij lucis ambulate. Et L. Thessa. 4. Ambulate honeste erga eos qui foris sunt.

Quoniam autem hoc Pauli praecipuum de regenda uita in genere ad omnes pertineat, tamen sciunt Episcopi Doctores & Pastores, quibus cura regendarum Ecclesiarum commendata est, hoc in primis ipsis praecipui, ut ita uiuant, ne uita a doctrina dissentiat. Illorum enim uocatio summa est, ut non modo in docendo, monendo & castigando populo Dei, suum officium fideliter faciant, sed & suo exemplo alijs prae luceant, & ad amplectendum Euangelium Christi alios inuitent, ut 1. Pet. 5.

Præceptum est presbyteris, Sitis exemplaria gregis,

Cum

ENARRATIO CAPITIS QUARTI
Cum omni humilitate.

HActenus ad uitæ integritatem in genere omnes est hortatus, nunc præscribit in specie etiam quasdam uirtutes quibus pios & præcipue deo res Ecclesiæ Dei uult excellere & lucere, quarum prima est ταπεινοφροσίνη Humilitas, Est autem Humilitas ea uirtus, cum agnoscimus corruptionem & imbecillitatem uirium nostrarum, & ideo cum timore nos subijcimus Deo, & nostræ uocationis opera in fide & inuocatione Dei facimus, & quanquam sunt aliqua dona in nobis, tamen quia agnoscimus illa non nostro studio aut industria parata, sed diuinitus concessa, & facile fieri posse, nisi à Deo regamur, ut illis uel in nostram uel aliorum perniciem abutamur, aut ea iterum effundamus, ideo ex illis non superbumus, non erga alios nobis inferiores efferimur, sed ijs ad gloriam Dei, & Ecclesiæ ac Reipub. utilitatem utimur.

Vt Paulus uidet se ornatum maximis & splendidissimis donis præ cæteris Apostolis, sed ex ijs non inflatur, non cogitat illa esse per se parata, sed Dei gratuita dona, donata sibi ad propagationem Euangelij in gentes, sicuti 2. Cor. 3. ait. Si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, Et 1. Cor. 15. Gratia Dei sumus,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sum, id quod sum, non ideo contemnit ceteros, sed se
 & Deo, & alijs omnibus subijcit, illis inseruit, utitur
 suis donis ad gloriam Dei, & adificationem Eccle-
 sie.

Hac uirtute in primis opus habent doctores uerbi
 Dei ideo petenda est à Deo, Hoc enim genus homi-
 num præcipue à Satana per superbiam & ambitio-
 nem tentatur, sicuti in exemplo Apostolorum uide-
 mus, inter quos oritur contentio, quis inter eos sit ma-
 ior, Et Mater filiorum Zebedei petit ut unus filiorum
 sedeat ad dextram, alter ad sinistram Christi, quo si-
 gnificatum est, fore in Ecclesia homines ambitiosos
 & superbos, qui potius potentiam, opes & honores
 quesituri sint, quam Dei gloriam & Ecclesie salu-
 tem, unde & Papatus ex talibus certaminibus, ambi-
 tionum & honorum, in hoc summum fastigium cre-
 uit.

Nos igitur ad humilitatem, uirtutem in Christiano
 homine pulcherrimam, gratam ipsi Deo & uniuer-
 sis hominibus, primum hortentur exempla, & præ-
 cipue ipsius filij Dei, qui cum in forma esset Dei, non
 rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed se-
 metipsum exinaniuit, forma serui sumpta, Hoc in Chri-
 sto Filio Dei creatore rerum exemplum humilitatis
 summum, admirandum ipsis Angelis, sepe intueamur.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

quod studium ἵταπενοφροσύνης in nobis accendat, ubi
 considerauerimus, diuinam maiestatem ita se demissis-
 se, ut hanc infirmam carnem nostram susciperet, &
 seruum nostrum omnium fieret, in se peccata nostra,
 & poenam peccati, mortem deriuans, Sicuti Iohan. 13.
 In pedum lotionem discipulis & toti Ecclesie, hoc suum
 humilitatis exemplum perpetuo considerandum omni-
 nibus proponit cum ait. Si ego Dominus & Magis-
 ter uester, Laui pedes uestros, uos quoque debetis
 inuicem alij aliorum lauare pedes, Exemplum enim
 dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita &
 uos faciatis, Et Matth. 11. Discite a me quia mitis
 sum, & humilis corde.

Deinde etiam promissiones & premia, ut Esa.
 57. Dominus in sancto habitans, & cum contrito,
 & humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium,
 & uiuificet cor contritorum. Et Psal. 33. Humiles
 spiritu saluabit. Proverb. 11. Vbi fuerit superbia,
 ibi erit & contumelia, ubi humilitas ibi & sapientia.
 Item. Initium sapientie timor Domini. Matth. 23.
 Qui se humiliauerit exaltabitur. Et 1. Pet. 5. Huius-
 milibus dat gratiam. Et ibidem: Humiliamini sub
 potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore uisita-
 tionis.

Postremo

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Postremo etiam poenae nos hortentur, ut humilitatem sectemur. Resistit enim superbus Deus, ut ibidem ait Petrus, Et Lucae 16. Quod altum est hominibus abominatio est apud Deum, Item. Qui se exultat, humiliabitur. Prouerbiorum 15. Domum superbiorum demolietur Dominus, Et Cap. 16. Contritionem praecedit superbia, & ante ruinam exaltabitur Spiritus. Testatur lapsus Angelorum, quam horribiliter Deus superbiam excretur & punit. Praeterea etiam lapsus generis humani, quod propter superbiam, & contemptum Dei in mortem & tantas misérias & ærumnas cecidit.

Hortatur igitur Paulus ut singuli opera uocationis nostrae cum humilitate, hoc est timore, fide, & inuocatione Dei, ac ne arrogantes, & confidentes nostris uiribus & sapientia, maiora & aliena à nostra uocatione faciamus.

καὶ πρότις.

PRIMA uirtus, qua Christianos, & in primis Ministros uerbi ornatos, uult Paulus, est ταπεινοφροσύνη, quam humilitatem uocant, cum agnoscimus imbecillitatem uirium nostrarum, & cum timore;

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

timore, & inuocatione Dei in nostra uocatione uersamur, non ex confidentia nostrarum uirium, & arrogancia suscipimus maiora & aliena à uocatione nostra, & ex donis diuinitus concessis non superbumus, non alios contempnimus, sed ijs in ministerium Ecclesie & piorum utimur.

Secunda uero uirtus est *πραότης*, quam lenitatem seu mansuetudinem uocant, ea uirtus est quæ iracundiam, & impetus animi coercescit & reprimit. Quia enim multa tristitia & acerba sepe accidunt doctoribus uerbi, quibus Sathan eos ad iracundiam impatientiam & uindictam incendere nititur, ut multa & dicant & faciant indigna suo ministerio & uocatione, & ut hoc modo uerbum Dei & Ministerij auctoritatem in contemptum adducat, ideo Ministris uerbi hac uirtute ualde opus est, ut impetus animi, propter Dei honorem & sui ministerij dignitatem refrenent. In silentio & spe erit fortitudo uestra. ait Esa. cap. 30. Hoc est, si quid aduersi accidit, nolite incandescere, ne turbetis & misceatis contentionibus, & furoribus omnia, nolite confugere ad humana presidia, sed coercete impetus animi, & inuocatione, fide & spe expectate promissam liberationem à Domino.

E. Reg. 16.

Semei cum uirum sanguinum & uirum Belial uocat.

EPISTOLÆ AD EHPESIOS.

procat, coniectis insuper lapidibus in prætereuntem, summa iniuria & acerbissimis conuicijs & contumelia afficit Dauidem, quibus ut quidem commouetur, ita tamen incendia iracundiæ lenitate seu mansuetudine propter Deum uincit, & extinguit, ne quid durius in illum statuatur aut faciat.

Est igitur προότης ea uirtus quæ propter Dei gloriam, Ecclesiæ & reipublicæ tranquillitatem, iracundiam reprimit, ne quid indignum uocatione nostra faciamus, sic & Iacob. Cap. 1 præcipit. Ira uiri, iusticiam Dei non operatur.

Resfragenda igitur ira est ne turbetur conscientia & Spiritus sanctus in nobis & alijs pijs mentibus, ne impediatur inuocatio Dei, & cetera bona opera, quæ uocatio nostra postulat, & ad eam uirtutem compleendam, hortetur nos promissio quæ extat Matth. 5. Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram, Et Psal. 37. Mansueti hereditabunt terram & delectabuntur in multitudine pacis.

μετὰ μακροθυμίας, Cum longa
nimitate.

Cum per lenitatem prima incendia iracundiæ extincta sunt, coniungenda προότης, seu
k 3 mansuetudine

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

mansuetudini, μακροθυμία seu longanimitas est. Neque enim semel uictus aut repressus Diabolus, statim cedit aut quiescit, sed subinde noua bella & mala excitat, & maiores machinas admouet, quibus nos assidue oppugnat, & hac assiduitate oppugnationis fessos & fractos tandem uincat, ad impatientiam, blasphemias, & alia scelera impellat, hic non satis est semel amouisse hostem, sed longa & diuturna & perpetua patientia opus est, quibus hostis furores & impetus sustineas, & tandem uincas.

Est igitur Longanimitas ea uirtus cum mens p̄i hominis, non solum ut πρῶτος seu mansuetudo primos impetus animi frangit, sed & longos & assiduos insultus Diaboli in fide & inuocatione Dei, & à Spiritu sancto confirmata & adiuta, patienter & constanter profert & tandem uincit, Ioseph uenditur & abducitur in seruitutem, conijcitur in carcerem, ac multis æramnis durissime, exercetur per annos quatuordecim continuos, armatus hac uirtute μακροθυμία & adiutus ac confirmatus à Spiritu sancto, non frangitur his malis, sed fide, spe & inuocatione expectat liberationem.

Sic & Deus uocatur μακροθυμος, & Hebraice
 וועס

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

uoce Arech apaim **ד'פס.י.י.א** tardus ad iram, qui
 quanquam magnis, multiplicibus & quotidianis con-
 tumelijs ad iram prouocetur, tamen quia natura bo-
 nus, misericors & longanimis est, non statim accendit
 omnem iram suam, sed ineffabili bonitate & patien-
 tia nos ad poenitentiam inuitans, miseretur & dif-
 fert poenas. Hanc naturam suam uult nos imitari
 Deus, ut cum ipsum rerum conditorem erga nos qui
 quotidie poenas meremur, μακρόθυμος esse uidea-
 mus, eadem lenitate mansuetudine & patientia er-
 ga alios utamur, ne simus precipites in iracundiam
 aut uindictam, sicut & Iacobi i. precipitur. Omnis
 homo sit tardus ad iram.

Ἀρεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ.

Sustinentes uos inuicem in charitate.

HOc præceptum humanissimum est, & latissi-
 me patet, quo prohibetur morositas, & præ-
 cipitur tollerantia. Sunt enim quidam qui nullius
 mores ferre possunt, tantum abest ut errata aut
 infirmitates aliorum ferant, sed omnium dicta &
 facta reprehendunt, Et qui (ut ille apud Comicum
 ait) nihil nisi quod ipsi faciunt rectum putant. Ma-
 gna autem totius humane nature est imbecil-
 litas, & singulorum plurima sunt infirmitates.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

Et quanquam quidam excellentibus donis sint præditi, tamen uerissima poetæ sententia est cum ait. Nam uitijs nemo sine nascitur, Optimus ille est, qui minimis urgetur.

Monet igitur hoc loco Paulus, ut singuli nostra uicia & errata seu infirmitates agnoscamus & consideremus, ne nimis duri & acerbi iudices in alios sumus, dum multa uicia & errata in nobis quoque hæc re uidemus.

Ego met mi ignosco, Meuius inquit, Stultus & improbis hic amor est, dignusque notari, cum tua peritias deas oculis mala lippus inunctis. Cur in amicorum uicijs tam cernis acutum &c.

Maxime itaque ad seruandam concordiam tum in Ecclesia, tum in ciuili uita, opus est tollerantia, quam uirtutem ἀνοχῆ Paulus uocat, ut prius nostris uicijs consideratis & agnitis, Postea aliorum infirmitates propter Deum & dilectionem æquius feramus, ne dum aliorum uicia carpinus contra legem Christi, que est ut inuicem diligamus, peccemus, Charitas enim (ut 1. Cor. 13. scribitur) patiens est, benigna est, Omnia suffert, omnia sustinet, Ideo cum ait, sustinentes, seu tollerantes uos inuicem, addit, (in Charitate) Idem & ad Gal. 6. Precipitur. Alter alterius onera portate, & sic

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Et sic adimplebitis legem Christi. Tolerantia autem utendum est erga eos, qui sunt infirmi et sanabiles, de quibus spes est fore meliores, non erga pertinaces et hostes Dei, quorum uicia taxanda sunt, et ab eorum consuetudine, ne ipsorum peccatis communicemus, abstinendum est.

Ὅσοι ἀγαπᾶτε τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος
ἐν τῷ σκιδέσμῳ τῆ ἑρήνης.

Sicuti rebuspub: nulla maior pestis aut calamitas accidere potest, quam si exoriantur, dissensiones, discordiæ, seditiones, et bella, quæ mala plerumq; ab ingenijs superbis, ambitiosis, morosis, iracundis, et ardentibus cupiditate uindictæ excitantur, ita et Ecclesie summa pestis est, discordia in cœlesti doctrina, quæ simili modo ex ambitione, superbia, emulatione, et iracundia, aut morsitate plerumq; inter doctores, et Ministros uerbi oritur. Cum igitur ualde commo- do ordine quasi coronam pulcherrimarum uirtutum contexens, Episcopos, et Pastores ad humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem, et deniq; ad tol- lerantiam mutuam sit hortatus, subiicit iam postremo uirtutem omnium pulcherrimam, et Ecclesie maxi- me necessariam, concordiam et consensum in doctri- na uerbi Dei.

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

Erant enim etiam eo tempore ambitiosa ingenia, quae à uera doctrina, & unitate Spiritus discedebant, & noua dogmata ad captandam popularem auram seriebant. Erat iam tum Ecclesia Corinthiorum, ubi biennium fere docuerat Paulus, in partes distracta. Alij uolebant esse Pauli, Alij Cephae, Alij Apollo.

Quia igitur metuit Paulus ne omnibus etatibus in Ecclesia talia mala ueluti dissensiones, sectae & schismata sint futura, ideo tum hic, tum alibi saepe, Episcopos & pastores ad unitatem Spiritus & consensum doctrinae hortatur.

AD hanc unitatem Spiritus tuendam, tenenda haec Regula est. Cum unus sit Magister, Filius Dei, qui doctrinam coelestem ex sinu aeterni Patris protulit, & eam orbi terrarum sua ipsius, deinde Prophetarum quoque & Apostolorum uoce patefecit, & mandatum coelestis Patris de coelo sonantis sit. HVNC dilectum Filium, solum esse audiendum, nullo modo ab huius doctrina discedendum est, & qui ab hac discedunt, & noua, praeter aut contra Filij Dei doctrinam, dogmata spargunt, aut cultus Dei per ipsum non mandatos instituant, quantumuis sapientia, eruditione, autoritate, uiribus & po-

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

et potentia praestent, fugiendi sunt ut Anathemata et corruptores ecclesiae doctrinae, iuxta praeceptum Pauli: Si nos, aut Angelus è caelo praedicauerit uobis Euangelium, praeter id quod praedicauiimus uobis, anathema sit.

Tales enim non seruant, sed soluunt ac uiolant unitatem Spiritus, quae in sinceritate et puritate doctrinae Dei consistit. Ex hac unica Regula manifestum fit, qui ab hac unitate Spiritus, qui à catholica, et Orthodoxa Ecclesia Christi discedant, et discesserint, qui sint Schismatici, sectarum et haeresium auctores.

Neque enim ij, qui contra doctrinam Christi idolola, qui hominum traditiones, quique impurum coelibatum ac doctrinas demoniorum defendunt et stabiliunt, uera Ecclesia Dei esse possunt, imo tales hostes Dei censendi sunt, iuxta illud qui non colligit mecum, dispergit. Non tot lerneae hydrae capita fuerunt, quod capita et sectas noua illa pontificia Romana Antichristi, non Apostolica sedes, uel in uno loco iustificationis seu doctrina Remissionis peccatorum nobis peperit. Docent in Missis ex opere operato, tum uiuorum tum mortuis remitti peccata, ideo tot missae assumulana

ENARRATIO CAPITIS' QUARTI

accumulantur, & tanta est idolatria ut eo opere se se expiari credant, qui etiam in manifestis peccatis perscuerant & poenitentiam non agunt.

Dicunt, sicuti habet Missæ Canon, se offerre hoc sacrificium laudis pro se, suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis &c. Cum scriptura testetur unicum & æternum esse sacrificium propiciatorium, mortem nempe Filij Dei, qua sola & semel in æternum expiata, iusticia, salus, & vita restituta sunt, ita ut amplius necesse non sit, immolari aut offerri Christum. Vt Rom. 6. Quod mortuus est peccato, mortuus est semel, & ibi cap. 4. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, Et Heb: 7. Qui non habet necesse quotidie (quemadmodum sacerdotes summi) prius pro suis delictis, hostias offerre, Deinde pro populi. Hoc enim fecit semel, se offerendo. Item, cap. 9. Neq; ut sæpe offerat semetipsum, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel instante consummatione seculorum, ad profligationem peccati, per hostiam suam apparuit, Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic & Christus semel oblatus est, ad multorum tollenda peccata, Et 1. Pet. 3. Christus

EPISTOLAE AD EPHESIOS

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.

Est igitur horribilis & execranda idolatria, cum Christum toties iterum, ac quotidie tot millies, pro redemptione animarum suarum (ut habet canon) pro spe salutis offerunt. At si dicant se non Christum ut sacrificium propiciatorium, sed ut sacrificium laudis, & gratiarum actionis pro illo unico & aeterno sacrificio propiciatorio Christi morte, offerre, constat illud sacrificium non mereri redemptionem animarum & salutem aeternam, sed solum & unicum propiciatorium sacrificium Christi quod semetipsum pro peccatis mundi Deo patri obtulit. Igitur frustra eo nomine, Missas & sacrificia tales idolatrae offerunt.

Profunt quidem sacrificia laudis & gratiarum actionis ita, ut ea Deus cum in hac uita, tum in altera liberaliter uelit compensare, sed ad iustificationem & uitam aeternam promerendam, sola mors Christi prodest. Sicuti Ambros: supra cap. 2. Epistolae ad Galatas ait. Mors Christi iustificatio peccatorum est. Et Bonaventura ait: In sola fide passionis, Christi remittitur omnis culpa, Et sine fide eius nullus iustificatur.

Neque per Missas solum queritur iusticia & uita aeterna, sed & per commentitias indulgentias, peregrinationes,

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

nationes, inuocationes mortuorum sanctorum, per
 certas preculas à Monachis excogitatas, ut sunt ora-
 tiones S. Gregorij, Et S. Brigittæ, per ieiunia atq; alia
 exercitia corporis, Item per Vitam Monasticam, que
 plures habet sectas quam Thebarum sunt porta, Alij
 reiecto Christo & operibus ab ipso mandatis, per S.
 Benedicti, Alij per Francisci, alij Domini regulam
 ac stulta præscripta opera, se satisfacere pro suis, &
 aliorum peccatis, & tum sibi, tum alijs mereri rem-
 issionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam
 contendunt.

Tanta itaq; uel in hac unica doctrinã de remis-
 sione peccatorum, iusticia & uita æterna consequen-
 da, in Romani pontificis Ecclesia est uarietas & dis-
 tractio, ut, Non mihi si lingue centum sint, oraq; cer-
 tum, Omnes & diuersissimas de hoc loco iustificati-
 nis doctrinæ formas enumerare possim.

Ita uel ex hoc solo loco apparet, in Ecclesia ponti-
 ficia non seruari unitatem Spiritus, & doctrinæ con-
 sensum, sed tetram & abominabilem esse confusio-
 nem. Qui autem de hoc ipso loco iustificationis sit, &
 fuerit perpetuus consensus & unitas Spiritus in Ec-
 clesia Dei, testatur Pet. Acto. 10. Huic omnes pro-
 phetæ testimonium perhibent, remissionem pecca-
 torum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

torum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Et ibidem cap. 4. Non est in alio aliquo salus, Neque enim aliud nomen datum est hominibus in quo oporteat nos saluari.

Sicuti autem Ecclesie nihil potest accidere pestilentius, quam unitatem Spiritus, & doctrinae consensus solui & dissipari, ita eadem nihil est salubrius, quam concordia & harmonia doctrinae. Ad quam doctores Ecclesie Psalmus 133. Elegantibus figuris, & similitudinibus hortatur. Ecce, inquit, quam bonum & iucundum habitare fratres in unum, quam salutaris, Ecclesijs & rebus pub.:, & quam suavis res est concordia doctorum & principum, qua sola Ecclesie & respublice florent & seruantur, & discordia soluantur & euertuntur.

Hanc propositionem illustrat collatione. Confert enim doctrinae concordiam fragranti balsamo quo Aaron & omnes summi sacerdotes ungebantur. Caput nostrum Christus est, qui balsamo Spiritus sancti ab eterno Patre ungitur, ex quo capite consensus doctrinae & Spiritus sanctus in barbam, Aaron, hoc est in omnes sacerdotes & Ecclesie doctores promanare debet, ne aliud doctrinae genus spargant, quam quod ex capite filio Dei in ipsos defluxit.

Ceterum

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

Ceterum ex barba Aaronis balsamum concordis doctrinae & unitatis Spiritus distillet etiam in oram uestimenti eius, hoc est, propagetur etiam in reliqua Ecclesiae membra, ut per fragrantem odorem concordis doctrinae, totum Ecclesiae corpus recreetur &c.

Vtitur autem in hac exhortatione illustribus & significantibus uerbis Paulus $\sigma\omega\delta\delta\acute{\alpha}\zeta\omicron\nu\tau\epsilon\varsigma$ ait solliciti seruare unitatem Spiritus, hoc est, Sathan omnibus temporibus & summis uiribus conabitur euertere doctrinae consensum, excitabit petulantia & ambitiosa ingenia, per quae dissensiones & noua dogmata sparget, Hypocritae quibus sua idolatria honori & questui est, conabuntur ueram Dei doctrinam uarijs Sophismatibus corrumpere & unitatem Spiritus distrahere, ut suos errores, suam potentiam stabiliant, Quare hic uobis contra acri studio & summa uigilantia, cura & sollicitudine opus erit, ut puritatem & consensum uerae doctrinae conseruetis.

Seruabitis autem inquit in uinculo pacis, hoc est, si non erunt inter uos certamina ambitiosa, non sectae, contentiones & rixae, sed studium pacis, tranquillitatis, non nouarum opinionum & dogmatum, sed ueritatis inquirendae & conseruandae.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Vnum corpus & unus Spiritus.

○ Stendimus supra priorem Epistolae partem, quae tribus capitibus prioribus continetur, esse Didacticam, quod in ea precipuos doctrinae locos sit complexus. Posteriores uero esse Pareneticam, quam in quarto capite orsus est à propositione, qua Ephesios, & precipue Ecclesiarum Doctores, ad eas uirtutes hortatur quae summa & propria doctorum Ecclesiae ornamenta sunt, ut est, humilitas, leuitas, seu mansuetudo, Longanimitas, patientia & studium seruandae concordiae in tradenda doctrina coelesti.

Occasio autem hortationis ad seruandum doctrinae consensum, quae fuerit Paulo, satis apparet cum ex hac Epistola, tum ex 1. ad Cor. 12. Quia enim quidam in gentibus donis à Deo erant ornati, quae eo in loco commemorantur, alius enim habebat donum Prophe-
tia, alius linguarum, curationum alius, & quidam isti non ad edificationem, ad quam diuinitus data erant, sed ad distractionem & labefactionem Ecclesiarum utebantur (ut fere omnibus aetatibus homines donis Dei abutuntur) ideo eos tum hoc loco, tum 1. Cor. 1. & cap. 12 ad concordiam hortatur.

Propositioni uero subiiciuntur iam rationes gra-
uissimae

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

nissimæ. Prima est, Quia estis unum corpus, & unus Spiritus, Hæc ratio sumpta, est ab imagine humani corporis, & translata ad Spirituale corpus Christi, quæ est Ecclesia. Sicuti enim in humano corpore, multa sunt membra, & quanquam alia alijs sint robustiora, magis necessaria, & uarius sit singulorum membrorum usus, tamen nullum inter illa dissidium, sed summus consensus est. Et cuiusq; usus eo destinatus est, Vt tum se, tum reliqua membra, atq; adeo totum corpus conseruent & tueantur, & in eo corpore, quanquam multa membra sint, unus tamen est Spiritus, ex quo totum corpus, & singula eius membra uiuunt, & mouentur (Neq; enim oculus alio Spiritu quam auris, Pedes aut manus uiuit & mouetur) & si quod membrum ab hoc corpore & Spiritu, quo antea uiuebat, sese sciungat, necesse est illud amittere uitam & perire.

Ita & Ecclesia (quæ est corpus Christi) quanquam multa membra habeat, & alia alijs sint præstantiora & digniora, propter dona diuinitus ipsis concessa, tamen præstantiora non debent imbecilliora præ se contemnere, aut illa abicere, neq; imbecilliora odisse ex quæ magis eminent, & quæ sunt in usu digniori seu magis honesto, sed nisi totum corpus interire uelit, necesse est esse summum consensum membrorum, ut alterum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

alterum alteri seruiat, & omnium actiones seu operationes eo sint distinctae, non ut quodq; membrum sibi tantum, aut aliquibus tantum, sed ut praecipue capiti Christo, Deinde toti corpori seruiatur, & quidem ut infra dicet, non ad destructionem, sed ad edificationem corporis Christi.

Præterea quauquam multa huius corporis sint membra & diuersa singulorum officia seu functiones, tamen quia uno Spiritu, Christi nempe, per uocem Euangelij sunt collecta, & per baptismum corpori Christi coagmenta & inserta, quo solo Spiritu omnia membra, atq; adeo totum corpus uiuificatur & mouetur, sanctificatur & regitur, (neq; enim alio Spiritu regitur Paulus, alio Thimotheus, omnes enim in unum Spiritum potati sumus, sicuti 1. Cor. 12 ait) singula & omnia unum tantum corpus constituunt, Sed si quod membrum, ab hoc sancto corpore Christi, cui per uocem Euangelij, baptismum & Spiritum sanctum insertum est, sese segreget aut auellat, mori & perire illud necesse est, Spiritus enim est qui uiuificat, Et uulgare dictum est, Extra Ecclesiam non est salus.

Avelluntur aut membra ab hoc sancto corpore Christi dupliciter. Primum cum discedunt ab unitate Spiri. hoc est à doctrina per filium Dei, Prophe-
tas & Apostolos tradita. Necesse .n. est Primū audire

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

Euangelium & illud fide retinere, per quod donatur Spiritus sanctus, qui sic credentes, per uerbum et baptismum nos regenerat, & uiti Christo inserit, ut simus frugiferi palmites. Qui igitur Euangelium non audiunt, aut auditum, fide non retinent, sed uel contemnunt, uel corrumpunt, aut persequuntur, sunt palmites steriles neque manent in uite Christo, quos agricola Pater cœlestis tollit, & à uite præcisos ignem conijcit, ut docet parabola Iob, 15. Sic quoque I. Iob. 4 dicitur. Qui nouit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos, in hoc cognoscimus Spiritum ueritatis, & Spiritum erroris, Et Ioha. 4. Qui ex Deo est, uerba Dei audit.

Sic Cherimthus, Arius atque alij heretici, item qui doctrinam corrumpunt, qui prohibent cibos conuugia, qui usum Sacramenti coporis & sanguinis Christi, contra institutionem Christi mutant, qui contra mandatum Dei novos cultus, inuocationes mortuorum, Missas et alias nugas instituunt, non sunt uera membra corporis Christi, Etsi sibi titulum Ecclesie uendicent, sed sunt steriles palmites, & putrida membra, auulsa à corpore Christi, Tales enim discedunt ab unitate Spiritus, per quem inserimur corpori Christi.

Deinde auellimur quoque ab hoc corpore seu ab
hac

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

hac uite que Christus est, cum scientes & uolentes
 labimur in peccata, iuxta illud 1. Ioh. 3. Omnis qui ma-
 net in eo, non peccat. Qui facit peccatum ex Diabolo
 est, & Gal. 5. Qui agunt talia, regnum Dei non con-
 sequentur. Tales enim amittunt fidem & Spiritum
 sanctum, & non sunt Christi, sed diaboli membra.
 Qui enim adheret Domino, unus Spiritus est 1. Cor. 6.
 Ita qui adglutinatur diabolo, unus Spiritus est cum
 diabolo.

Iubet igitur Paulus nos intueri nostrum corpus &
 Spiritum, quo in hac uita uiuimus, in quo cum sum-
 mam coniunctionem & concordiam esse uideamus,
 quanto maiori cura, & sollicitudine seruanda est con-
 cordia in Spirituali sancto & eterno corpore Chri-
 sti, quod uno Spiritu sanctificatur & regitur.

Neque enim alius Spiritus est ueteris testamenti,
 & alius noui, sed sicut unum corpus Christi est. Eccle-
 sia ab initio humani generis, uoce Euangelij de pro-
 misso semine & liberatore generis humani & eo iam
 exhibito collecta, ita & unus ac idem Spiritus est
 Ecclesie omnium temporum, Et sicuti Filius Dei sem-
 per affuit generi humano, ita & Spiritus sanctus ab
 initio affuit populo Dei, ut sanctificator, defensor &
 gubernator. Sicut Esaia 63. dicitur. Vbi est qui posuit

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

in medio eius Spiritum sanctum suum &c. Et præclara irenici sententia est lib. 4. aduersus hereses Valentiniani, quæ cum hoc loco Pauli conuenit. Ab initio inquit assistens filius suo plasmati, reuelat omnibus patrem, quibus uult & quando uult, & quemadmodum uult Pater, & propter hoc in omnibus, & per omnia unus Deus Pater, & unum uerbum, & unus filius, & unus Spiritus & una fides & salus omnibus credentibus in eum.

Cum igitur unus sit Spiritus Ecclesiæ Dei omnium temporum, qui per Patres, Prophetas, & Apostolos generi humano doctrinam cælestem patefecit, non possunt uaria esse dogmata, sed necesse est unam & perpetuam doctrinam esse Ecclesiæ Dei, semper sibi consentientem.

Sicuti uocati estis in una spe uocationis uestræ.

Hæc est secunda ratio, qua confirmatur propositio, studendum esse ut doctrinæ consensus seruetur. Quia inquit, uocati estis in una spe uocationis uestræ. Primum enim per uocem Euangelij omnes ad hoc uocamur, ut corruptionem naturæ nostræ, atq; adeo peccata nostra, & immensam iram Dei aduersus peccata, mortem & poenas, tum præsentem in hac uita,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ta, tum aeternas cognoscamus, & has miseras nostras deploramus.

Deinde ut in his arumnis & doloribus constituti, ad Filium Dei mediatorem nostrum confugiamus, & credamus hunc peccata nostra, & horrendam iram Dei in se deriuasse, & poenas uobis debitas nostra causa exoluisse. Sicuti Psal. 69. ait, quae non rapui, tunc exolebam, & per hunc placatum nobis Patrem, & propter hunc solum mediatorem, gratis peccata, non imputari, sed nos recipi, iustificari & saluari.

Tertio uocat uox Euangelij etiam ad hoc ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs, sicuti ad Titum 2 scribitur, Sobrie, & iuste, & pie uiuamus, in presenti seculo.

Quarto ut beatam illam Spem & apparitionem gloriae magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi expectemus, & sciamus nos ex huius uitae arumnis, ex diaboli Tyrannide, & morte liberatos, ornandos esse aeterna iusticia, leticia, gloria, & uita. Ad hanc unicam spem cum uoce Euangelij omnes uocemur. Ergo unitas Spiritus & doctrinae concordia seruanda est omnibus, qua dissoluta, necesse est etiam unitatem spei liberationis ex huius uitae miserijs, resurrectionis mortuorum & uitae aeternae dissipari.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI
Unus Dominus.

Tertia ratio est, seruanda est unitas Spiritus & consensus doctrine, Quia unus Dominus est, per quem doctrina coelestis orbi terrarum est patefacta & tradita, Filius, nempe Dei Dominus noster Iesus Christus, sicuti de ipso scriptum est. Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis, de quo solo audiendum uox Patris de caelo sonat. Hunc audite. Hunc igitur solum doctorem Ecclesia audire, nec ullam aliam doctrinam amplecti, aut nouam aliquam gignere debet, iuxta illud, Qui aliud Euangelizauerit, etiam si sit Angelus de caelo, Anathema sit. Sic & i Cor. 3. dicitur, Etiam si sint Domini multi, nobis tamen unus est Dominus Iesus Christus.

Sed hoc loco sciendum est, quod quanquam unum Dominum Iesum Christum confiteamur, tamen ideo non negamus & Patrem Dominum, Et Spiritum sanctum Dominum, Sed sicuti Athanasij Symbolum docet, sicuti Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, Et tamen non tres dij sunt, sed unus est Deus, Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus, Quia sicut sigillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana ueritate compellimur,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur.

Et taxandus hic error Sabellij & aliorum est, qui sinxerunt Trinitatem in nominibus tantum, et non in rebus esse, sed sciendum & confitendum est, quod quanquam una sit $\theta\upsilon\sigma\iota\alpha$ seu essentia diuina immensa, eterna, increata, omnipotens, seu unus Deus, & Dominus immensus, aternus increatus, omnipotens, tamen tres esse in hac unica diuina essentia distinctas $\upsilon\pi\omicron\sigma\acute{\alpha}\omicron\upsilon\varsigma$ subsistentias, seu tres subsistentes personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ne qua confusio personarum fiat.

Et placet mihi hoc loco & Hieronimi interpretatio, qui sic scribit, Sicut Deo Patri non adimit filius ne Dominus sit, cum Dominus solus ipse dicatur, ita & filio non aufert Pater ut Deus sit, quia Pater tantummodo Deus nominatur. Si enim ut existimant Ariani, Deus Pater solus est Deus, eadem consequentia solus erit Dominus Iesus Christus, & nec Pater erit Dominus, nec Filius Deus, sed absit ut non sit uel in Dominatione deitas, uel in deitate Dominatio. Unus est Dominus, & unus est Deus, quia Patris & filij Dominatio, una est diuinitas.

Sed queritur cur scriptura Domini appellationem

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

fere filio tribuat? Respondeo. Primum ideo quia Pater dedit ipsam caput super omnia ipsi Ecclesie, quæ est corpus ipsius, supra. cap. 1.

Deinde quia, Pater filium constituit heredem universorum. Heb. 1.

Postremo quod à Patre illi dominatio & regnum usq; ad consumationem rerum traditum est, sicuti 1. Cor. 15 scriptum est. Oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Nam omnia subiecit sub pedes eius. Deinde tradet regnum & Dominium patri & tunc erit Deus omnia in omnibus.

Vna fides.

Quarta ratio, uerissimum est, & utraq; manum tenendum, quod hic dicitur unam esse fidem, nempe eam quæ est fiducia acquiescens in mediatore Filio Dei promisso uel exhibito, statuens propter hunc non imputari peccata, nos recipi, & donari Spiritu sancto, & uita aeterna, Hac fide seruati sunt Patres, & quotquot ante Christi aduentum seruati sunt, & saluantur hoc tempore post Christum exhibitum, Sic enim Acto. 4. ait Petrus. Non est in Alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et ibi, cap. 10. Huic omnes Prophete testimonium perhibent, remissionem peccatorum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

torum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in
cum 1. Cor. 10. Omnes eundem potum Spiritualem bi-
berunt, biberant autem de Spirituali, quæ illos comi-
tabatur, Petra, Petra autem erat Christus.

Hanc autem fidem quam fiduciam appellamus ad-
prehendentem misericordiam Dei propter Christum
promissam, necesse est præcedere noticiam beneficio-
rum Christi, & articulorum doctrine Dei, quam no-
ticiam solam scholastici fidem appellant.

Vna semper fuit, uox Euangelij ab initio mundi
sonans in Ecclesia Dei, de mediatore Filio Dei ad fi-
duciam in illum ponendam omnes inuitans, ut sonant
promissiones. Ipsum semen mulieris conteret caput
serpentis. Item in semine tuo benedicentur omnes na-
tiones terræ.

Quare non sunt audiendi qui dicunt Patres ante
legem datam, seruatos per legem naturæ, Post legem
autem datam, homines illa lege Mosi seruatos, Et
hoc tempore homines seruari lege Christi, sed sci-
endum & firmiter tenendum est, nullos omnium
ætatum homines seruari ulla lege, seu ullis operibus,
nisi fiducia huius mediatoris. Sicuti ad Gala. 2.
inquit Paulus Scientes quod non iustificatur homo ex
operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Hæc est
uita æterna, inquit Christus Ioh. 17. Ut cognoscant
te solam

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Ergo sine agnitione Christi uita eterna nullus datur. Et Esa. 53. scriptum est. Noticia sui seruus meus iustus multos iustificabit.

Cum igitur una fides sit Ecclesie omnium temporum, que ex unitate Spiritus, & doctrine celestis concipitur, sicuti testatur Paulus, Roma. 10. Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Christi, Ergo in Ecclesia seruanda est unitas Spiritus, & consensus doctrine, distracta enim & dissipata doctrina, non potest esse una fides, Doctrina autem unitas est, que mediatorem Christum monstrat, sicuti ait Christus Ioh. 5. Scrutamini scripturas, ille sunt que testimonium de me perhibent, Et fidei unitas est, que cum certa fiducia hunc mediatorem monstratum amplectitur.

Vnum Baptisma.

Sicuti Ecclesia ab initio uerum & omnibus atatinibus, unum tantum corpus fuit, unum tantum Spiritum, unum Dominum, unam fidem, semper habuit, ita & Sacramentorum semper eadem uis in Ecclesia fuit, nempe quod per illa externa signa, & tanquam per Verbum uisibile, Deus testatur se amare, complecti & recipere Ecclesiam, & singula uera Ecclesie membra,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

membra, sicuti cum Patrum tempore ante institutam
circumcisionem, ignis de caelo delapsus depascebatur
oblata sacrificia, erat hæc sacrificiorum incensio Patri-
bus Sacramentum & certissimum signum, se propter
promissum & uenturum semen Mulieris respici, ex-
audiri, defendi & seruari. Deinde sequentibus tempo-
ribus circumcisio erat signaculum iusticiæ, & signum
fœderis inter Deum & hunc populum, quod testa-
batur istum populum & singula eius membra, creden-
tes & expectantes benedictionem ex semine Abraham
promissam, esse acceptum Deo propter promissum li-
beratorem, Et huius gentis circumcisæ, Deum esse de-
fensorem, & Patrem, ut sonant uerba fœderis, Gen. 17.
Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen
tuum post te in generationibus suis fœdere sempiter-
no, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te, Deus tuus
inquit, scilicet, qui te uelit exaudire, defendere, serua-
re, id quod proprie est esse Deum.

Sic noui testamenti Sacramenta certissima signa
sunt, gratiæ & beneuolentiæ diuinæ, & pignora seu
sigilla diuini erga nos amoris, quod propter Filium
Dei Dominum nostrum Iesum Christum, simus iam
accepti Deo, Filij & hæredes Dei, & cohæredes Iesu
Christi.

Quod.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

Quod igitur Apostolus ait unum esse Ecclesie Dei
 baptisma, ideo unitatem Spiritus esse seruandam, id
 intelligatur in genere de uirtute & efficacia omnium
 Sacramentorum, omnium etatum Ecclesie Dei. Quam
 quam externa Sacramentorum signa alijs etatibus alia
 fuerunt, tamen ea uis, quæ baptismatis in nouo testa-
 mento est, semper omnium Sacramentorum fuit, sic om-
 nes omnium etatum pij, uno baptismo tincti & munda-
 ti sunt. Ita I. Pet. 3 scriptum est. In diebus. Nos octo
 anime saluæ factæ sunt per aquam, quod & nos nunc
 similis formæ saluos facit baptisma & c. Et I. Cor. 10.
 Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes ma-
 re transierunt, & omnes in Moise baptisati sunt in
 nube & in mari & c. Diluuium enim & transitus ma-
 ris rubri, ite nubes fuerunt umbra seu figura bap-
 tismi, unde sanguinis Iesu Christi seu lauacri regenera-
 tionis, quo credentes à peccatis mundantur, & per
 Spiritum sanctum in nouam uitam, et obedientiam er-
 ga Deum regenerantur & sanctificantur, ut qui antea
 fuerunt filij iræ, credentes in Christum, per bap-
 tismum efficiantur filij & heredes Dei, ac coheredes Ie-
 su Christi.

Quod autem ad baptismum noui testamenti Sacra-
 mentum attinet, sciendum est & in nouo testamento
 unicum tantum esse baptismum à Christo ipso institu-
 tum, Neq;

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

tum, Neq; enim audiendi sunt, Valentiniiani qui duo baptismata commenti sunt, unum remissionis peccatorum quod per aquam fiat, quod animale uocant, Alterum redemptionis quod sit Spirituale, qui etiam institutionem & uerba baptismi, prorsus in portentosa uerba mutarunt, de quo uide Ireneum lib. i. cap. 18. aduersus Valentiniianos. Eodem modo neq; monachi audiendi sunt, qui professionem uitæ Monastices, baptismi æquant.

Vnus Deus & Pater omnium.

Sexta ratio est. Cur unitas Spiritus non sit solueda, quia unus est Deus et Pater omnium, Cum igitur unus tantum sit Deus, à quo Spiritus sanctus Ecclesie datur, qui ipsam (ut Christus in Iohanne ait) in omnem ueritatem ducat, hoc est, ueram Dei doctrinam, & ueros cultus Dei Ecclesie patefaciat, Ergo audiendi non sunt qui uarios Spiritus iactant, & alia dogmata seu alios cultus Dei in Ecclesiam inuehere conantur, qui per Spiritum sanctum uoce Prophetarum aut Apostolorum non sunt traditi.

Sicuti enim Dei unitas, ita & unitas Spiritus credenda & seruanda est. Qui enim plures Spiritus esse fingit, idem etiam plures Deos esse affirmat, unum autem tantum esse Deum, ostensum est supra.

Et Pater omnium.

VNUM

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

VNum esse Patrem ex quo omnis paternitas in
 coelus & in terra nominatur proximo capite
 docuit Paulus, qui est Pater Domini nostri Iesu Chri-
 sti, & omnium Patrum pater, à quo unico Patre &
 Filio eius unico Domino nostro Iesu Christo, unicus
 Spiritus ab aeterno procedit, qui in corda credentium,
 per uerbum mittitur. Si qui igitur alij sunt Spiritus,
 hi non sunt ab hoc Patre, neq; à Filio eius Domino
 nostro Iesu Christo, uaria quidem huius unius Spiritus
 sancti dona sunt, sicuti sequitur, sed unus & idem
 Spiritus est.

Qui super omnes est.

IN prioribus uerbis docuit unum esse Deum, hic
 ostendit in hac unitate tres esse distinctas perso-
 nas, hic enim interpretatur. Hieronimus, ut super
 omnia sit Pater, Quia autor est omnium, per omnes
 Filius, quia per filium creata sunt omnia, & in omnia
 bus Spiritus sanctus, Ipse enim credentibus datur, &
 templum sumus Spiritus sancti, & Pater & Filius ha-
 bitant in nobis. Theophilaetus autem breuibus expo-
 nit, hoc est inquit, qui supra omnia & per omnia pro-
 uidentia gubernationeq; sua commecat & in omnibus
 nobis habitat.

Verum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Verum unicuique nostrum data est
gratia iuxta mensuram dona-
tionis Christi.

HAtenus confirmata est propositio multis ar-
gumentis, & rationibus grauissimis, hic subij-
citur occupatio, qua obiectionem confutat, uaria sunt
singulorum in Ecclesia Dei dona, huic enim per Spiri-
tum, datur sermo sapientiae, alij sermo scientiae, alij sci-
des, alij dona sanationum &c. Cum igitur tam uaria
sint dona & ministeria in Ecclesia Dei, Ergo non po-
test esse unitas Spiritus, Responso & solutio clara
extat 1. Cor. 12. Diuisiones donorū sunt, sed idem Spi-
ritus, & diuisiones ministeriorum sunt, et idem domi-
nus, & diuisiones operationum sunt, sed idem est
Deus, efficiens omnia in omnibus, Et ibidem, Omnia
efficit unus ille & idem Spiritus, diuidens peculiari-
ter unicuique sicut uult, iisdem uerbis & hoc loco re-
spondet, unicuique nostrum data est gratia iuxta men-
suram donationis Christi, id est, pro ut uoluit Chri-
stus, dona Spiritus sancti in singula Ecclesiae membra
distributa sunt, ita ut alij Prophetiae, alij linguarum,
alij curationis donum collatum sit.

Sicuti enim in corpore humano singula membra
sua dona & ministeria habent, uidelicet oculus ut
uideat,

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

nident, auris ut audiat, manus ut operentur, & tamen in tanta diuersitate officiorum, summa inter membra corporis humani concordia est, & uno omnia Spiritus uiuificantur & mouentur, ita & in Spirituali corpore Christi, quod est Ecclesia, singulis membris sua attributa sunt dona, & ministeria, ita ut alterum alteri seruiat, & nullum alterum contemnat aut negligat, Et sicuti non omnia membra humani corporis possunt esse oculus aut auris, ita & in Ecclesia non omnes possunt esse uel Apostoli uel Prophetae &c.

Sed hoc loco obseruandum est, Spiritum sanctum Christo ad mensuram non dari, sicuti Ioh. 3. testatur Baptista. De eius enim plenitudine omnes sancti accipiunt. Quia in ipso habitat omnis plenitudo Dei corporaliter Coloss. 2. Cateris autem sanctis, cuilibet pro sua uocatione, datur Spiritus sanctus ad mensuram. Moyses educentis populum ex Aegypto insignis fuit uocatio, ideo etiam maiori mensura Spiritus sancti donatus est quam quisquam alius in inferiori uocatione. Obseruandum autem & hoc est, ut quisq; mensuram suorum donorum agnoscat, & consideret, ne supra eam maiora suscipiat.

Propter quod dicit, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.

Hic

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Hic locus est dulcissimus, & consolatione plenissimus, Describit enim triumphum regis Christi victoris, ostentantis detracta hostium spolia, & spargentis in milites suos uaria dona, Quales multi alij loci sunt in Prophetis & Psalnis, & ad Col. 2. Hic uero sumptus est ex Psal. 68. Vbi Dauid regis Christi triumphum his uerbis depingit. *Currus Dei millies mille, Dominus in eis, in Sinai sancto.*

Ascendisti in altum, coepisti captiuitatem, accepisti dona pro hominibus, Etiam rebellibus ut inhabitet Dominus.

Captiuitas nostra in qua totum genus humanum, tanquam in tetro carcere uinctum & captiuum tenebatur, Erat carcer peccati, mortis irae Dei, & Tyrannis diaboli cum lege accusante, & damnante nos, & inferno.

Cum his hostibus nostris Filius Dei, iuxta decretum aeterni Patris, quod antequam iacerentur fundamenta mundi factum est, assumpta humana natura congregitur, in sese iram aeterni Patris deuians, poenam humani generis ipse in suo corpore sustinuit, & morte sua eam exoluit, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, qui cumq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

seruituti Heb. 2. Mortem horrendam humani generis
 hoste exarmat, destruendo eius aculeo, peccato nem-
 pe, quod quanquam adhuc inhercat carni, tamen
 propter Christum credentibus non imputatur. Item
 deleto legis Chirographo, quod conscientias antea
 damnabat & accusabat, dum illud affixum cruci sustu-
 lit è medio, hoc est dum Christus ipse maledictum le-
 gis pro nobis factus est, quam maledictionem nos su-
 stinere oportebat.

VT autem toti mortalium generi perspicuum,
 certum & manifestum fiat, ipsum quanquam
 uere mortuum & sepultum, non esse à morte absorp-
 tum, sed diuina potentia esse uictorem mortis, peccan-
 ti, legis, diaboli, & inferorum, ideo solutus doloribus
 mortis, tertio die uictor & triumphator resurgit, ac
 plurimos ex mortis uinculis & terræ pulueribus si-
 mul secum exuscitat, qui multis pijs in urbe Hieroso-
 lima comparuerunt, & quadraginta dies continuos
 post resurrectionem se suis discipulis & magne mul-
 titudini (Visus enim est plus quam quingentis fratri-
 bus simul) uictorem ostentans, & hic in terris pri-
 mum ita triumphans, quadragesimo tandem die, glo-
 riosissimo & pulcherrimo triumpho, circumseptus
 millies mille curribus Dei, innumerabili militia &
 exercitu

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

exercitu sanctorum Angelorum, ducens secum agmen illud sanctorum Patrum, quos ex morte ad aeternam uitam & gloriam resurgens excitauerat, in conspectu discipulorum tollitur in altum & euehitur in caelum, & hic tantus rex & triumphator, collocatur ad dextram Dei patris, & ei subiiciuntur omnia, sicuti & haec supra cap. 1. copiose descripta sunt, & 1. Petri 3. Christus est in dextera Dei, profectus in caelum, subiectis ipsi Angelis & potestatibus & uirtutibus Et Coloss. 2. Expoliatos principatus ac potestates ostentauit palam, triumphans de illis per semetipsum.

Per hunc igitur triumphum Christi Filij Dei, destructa & capta captiuitas peccati, mortis, diaboli legis & inferni est, ita ut credentibus in Christum uictorem & triumphatorem, hi hostes uicti, & fracti, & suis armis & uiribus exuti & spoliati amplius non sint metuendi, sicuti inquit Christus. Qui credit in me, non uidebit mortem in aeternum, Item etiamsi mortuus fuerit uiuet. Neque enim sibi, sed nobis hos hostes uicit, ut nobis, quos uincere humanum genus suis armis & uiribus minime poterat, uictoriam de illis pareret & donaret, Sicuti, 1. Cor. 15. ait. Deo gratia qui dedit, nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Quare nemo, quantumuis sanctus aut

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

multis uirtutibus ornatus, huius uictoriæ aut triumphæ
gloriam sibi aut suis meritis uel operibus, sed soli Chri-
sto uictori adscribat, ideo disertis uerbis in Coloss. in-
quit. Triumphans de illis per semetipsum.

DE hoc Triumpho Christi diu ante uaticinati
sunt Sancti Prophetæ. Esa. cap. 9. Osee cap. 13.
De manu mortis liderabo eos, de morte redimam eos,
Ero mors tua ò mors, Morsus tuus ero inferne. Mors
est pestis & exitium omnibus mortalibus. Neq; enim
ullus hominum mortem effugere potest, Sicuti inquit
poëta, & res ipsa loquitur, Omnia sub leges, mors uo-
cat atra suas. Sed Christus, qui æternus Deus & uita
est, ac uitam omnibus uiuentibus impertit, adsumpta
humana natura, cum à morte deglutiretur, fuit ipsi
morti pestis & exitium, ita ut non Christus, sed mors
sit absorpta in uictoriam, & per ipsum omnibus crea-
dentibus in ipsam sit abolita, nisi quod nobis hoc cor-
pus peccati, in quo in hac uita uiuimus, adhuc sit exu-
endum, ut hoc corruptibile & mortale, induat incor-
ruptibilitatem & immortalitatem, tunc nouissimus
hostis abolebitur mors, & tunc fiet hoc sermo, qui
scriptus est. Absorpta est mors in uictoriam.

Hic est primus fructus & effectus in altum ascen-
dentis

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

deatus & Triumphantis Christi, quod cepit seu captiuitatem duxit captiuitatem nostram, in qua antea serui & captiui detinebamur, de qua liberatione Christus loh. 8. ait. Si uos Filius liberauerit uere liberi eritis. Cum hoc effectu ascensionis Christi coniuncti sunt & hi sequentes.

Primum quod non suo nomine ascendit, ut isthic suauiter uiuat, sed ut sedeat ad dextram Dei Patris, hoc est, ut occupet & teneat regnum aethernum, & ut sit caput Ecclesiae, suo sanguine & morte sua redemptae, ut suorum gemitus & preces exaudiat, eos inuet & defendat, ut sit pontifex noster, Patronus & intercessor apud Deum Patrem, & ut Ecclesiam & singula uera membra Ecclesiae seruet & ad se colligat, sicuti dulcissimam promissionem Iohan. 10. dedit Ecclesiae, Oues meae uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea. Et Heb. 4. Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit caelos, Iesum Filium Dei, teneamus professionem. Non enim habemus pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum per omnia, iuxta similitudinem absque peccato, Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae etc. Et Ro. 8, Quis intentabit

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis &c.

Secundus effectus est, quod per Christi ascensum, qui est caput nostrum, et caro nostrasumus enim membra eiusdem corporis, ex carne eius, & ex ossibus eius) nobis quoq; aditus in coelum patefactus est, & corpus nostrum, quanguam in terrae pulueres reuadactum, tamen ad immortalitatem suscitandum, & euebendum est in caelos, ut aeterna uita & gloria ornentur, sicuti prima Thes. 4 scriptum est, ipse Dominus cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei descendet de caelo, & mortui in Christo resurgent primum. Deinde nos qui uiuimus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domino in aera, & sic semper cum Domino erimus. Ascendit enim ut certa hospicia Ecclesiae & singulis membris pararet, sicut Ioh. 14. ait. Non turbetur cor uestrum, creditis in Deum, & in me credite, in domo Patris mei mansiones multae sunt, Vado parare uobis locum &c. Item, Volo ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus.

Dedit dona hominibus.

Descriptio

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Descriptio triumphantis & in altum ascendenti-
tis Christi sumpta ex Psalmo 68, complectitur
duo beneficia. Prius est quod ascendens in altum, cepit
captiuitatem, destruxit potentiam Sathanae, aboleuit
mortem et peccatum, quod legem ac Chirographon,
quod contra nos erat, deleuit, ita ut reliquiae peccati
quae carni inhaerent, propter ipsum non imputentur.

Alterum autem beneficium est quod uictor &
triumphator, sedens ad dextram Dei patris, dat dona
hominibus, mittit Spiritum sanctum, qui per ministe-
rium uerbi colligit Ecclesiam & eam sanctificat &
gubernat, qui etiam in singulis credentibus, nouam
lucem agnitionis, timoris et amoris Dei, accendit, cor-
da regenerat, renouat, & nouam obedientiam in re-
generatis inchoat, & uarijs donis Ecclesiam ornat,
Dat quosdam Apostolos, quosdam Prophetas &c.
Quae dona infra copiose exponuntur. Sed priusquam
haec dona à Christo in Ecclesiam sparsa commemorat,
obuiat tacite obiectioni. Posset enim dici, Qui fieri
potest ut homo Christus Iesus in caelum ascenderit?
Nemo enim (ut Christus ipse Ioh. 3. ait) ascendit in coe-
lum, scilicet sua ipsius uirtute & placans iram Dei,
sicuti Christus ascendit, Nisi qui descendit de caelo.

Docet igitur in Christo duas esse naturas, & cum

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

de descensu de caelis loquitur, significatur eum ab aeterno cum Deo Patre fuisse, & esse ab aeterno ex natura & substantia Patris natum, non tum primum coepisse esse Christum cum ex Maria natus est, ut Ebion; Cherinthus, Photinus, Samosatenus, & nostro tempore, Seruetus, & quidem alij homines in Christum blasphemi somniarunt, qui finxerunt Christum solum hominem, non etiam Deum esse, Alij negabant eum esse aeternum Deum, fuisse enim tempus quando Christus non fuerit Deus, qui diuinam naturam adimebant Christo, & dicebant appellari Christi Deum largitate gratiae, sed non proprietate naturae.

Ita magna & portentosa fuerunt multorum de diuina natura Christi deliria, Quae cum hic locus, tum pleriq; alij, manifeste refutant, & in primis totum Euangelium Iohannis, quod praecipue eo nomine ab Apostolo scriptum est, ut has blasphemias Ebionis, Cherinthi, & aliorum, qui Christo diuinam & aeternam naturam adimebant, refutaret, Ideo etiam his uerbis orditur historiam de Christo. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, & ibidem cap. 17. inquit Christus. Clarifica me tu Pater apud te metipsum, claritate quam habui, priusquam mundus fieret apud te.

Cum igitur Paulus ait Christum descendisse de caelis
 primum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

primum in inferiores partes terræ, significat eum natura Deum & æterni Patris æternum filium, sicut manifestus uerbis Rom. 9. Christum Deum appellat, cum inquit. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula Amen.

Hanc diuinam naturam affirmat eum habere ab æterno ex Deo Patre, Sed quia iuxta decretum æterni Patris, quod intercessor & ἱκέτης pro genere humano erat filius, & iuxta editam promissionem. Ipsum semini mulieris conteret caput serpentis, necesse erat uerbum, Filium Dei, fieri carnem seu hominem, dicit eum descendisse in inferiores partes terræ, hoc est, adsumpsisse humanam naturam, & sua morte exoluisse nostrum debitum & poenam pro nobis, quam nos merueramus. Quare cum ait Paulus, Christum naturæ Deum, descendisse primum in inferiores partes terræ, intelligatur non de cælo attulisse corpus uel humanum uel aliud nescio quod phantasticum sicuti impietas Manicheorum fuxit, qui affirmarunt Christum tantum speciem carnis, ad iudificandos sensus humanos, assumpsisse, & passionem, mortem & resurrectionem Christi, non fuisse ueram, sed tantum phantasmata et ludibria quædam, Sed intelligantur hæc uerba (Descendit primum in inferiores partes terræ) iuxta sententiam totius scripturæ, et symbolorū quod

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

quod secundum Esaie uaticinium, & angeli uocem, in inferioribus terra, hoc est in utero uirginis Mariæ, uirtute Spiritus sancti, Filius Dei conceptus & formatus sit, qua forma uerborum etiam Psa. 139. utitur. Non est occultatum os meum à te, quando factus sum in occulto, & formatus sum in inferioribus terra, hoc est in utero matris, quod hic diuina natura, admirabili unione, humane nature unita sit, ita, non ut diuinam relinqueret, aut exueret, & humanam assumeret, sed ut sonat Ecclesia confessio, id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit, ita unus Dei & uirginis Mariæ Filius nascitur, non alius Filius Dei, & alius Mariæ Filius.

Deinde intelligatur hic descensus de omnibus beneficijs Christi, que pro redimendo genere humano prestitit, quod iram Dei & peccata mundi in se transtulit, quod passus, mortuus, & sepultus est, quod ad inferos descendit. Que quanquam humane nature tantum conueniant, tamen iuxta communicationem idiomatum de tota persona Christi, Deo & homine intelligenda sunt.

Quanquam enim dicendum non sit diuinitatem esse passam, mortuam, sepultam, & descendisse ad inferos, tamen recte in concreto dicitur, Deum pro nobis passum, mortuum, sepultum & descendisse ad inferos

Sic

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Sic Petrus disertis uerbis inquit. Mortificatum quidem carne (humana nempe natura cui pati & mori, propria sunt) uiuificatum autem Spiritu, ex natura nempe diuina, quæ Spiritus æternus, immortalis, & impassibilis est, resuscitatum. 1 Pe. r. 7.

Irenei hac de re erudita uerba hæc sunt, lib. 3. cap. 21. Sicut homo erat ut tentaretur, sic & uerbum ut glorificaretur, requiescente quidem uerbo, ut posset tentari & inhonorari & crucifigi & mori, absorpto autem homine in eo quod uincit & sustinet, & resurgit & assumitur & c. Sicut enim hæc propria diuine nature, uincere diabolum, destruere mortem & inferos, resurgere & ascendere ad coelos, quæ tamen cum unus Christus sit Deus & homo, quoque de homine intelligenda sunt, ut Christus Deus & homo sit uictor mortis, diaboli & inferorum, sedeat ad dextram Patris, regnet pari potentia cum Deo Patre.

Clara etiam & perspicua hac de re explicatio Augustini extat, contra Felicianum Arianum cap. 10. idem inquit in diuinitate auctor est rerum, qui in carne redemptor est hominum, idem impassibilis in se, qui passus in corpore & c. Item, Scio ad inferos deitatem descendisse, proprietate carnis, scio ad coelum ascendisse carnem, merito deitatis. Non est Dei proprium

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

prium quod samentis sensit, sed Dei proprium est, quod paucis panibus tot milia hominum faciat. Item ibidem. Non ergo apud inferos Christi anima? non diuinitas fuit? Fuit inquam. Neque aliter uideo potuisse resuscitare carnem suam, si apud inferos predicetur, uelut absentis, Dei non fuisse potentiam. Nec ideo tamen localem nos credat aliquis Dei predicare presentiam, de quo ista propter manifestationem certi operis dicimus, quia alicubi fuit, qui ubique non defuit, iacebat quantum ad corpus mortuum in sepulchro, mortuos resuscitans in inferno, uitam tribuens uniuersis in caelo, non mundum dimittens ad caelos ascendit, nec caelum deserens ad terram uenit, sed uno atque eodem tempore totum totus impleuit.

Ceterum de descensu Christi ad inferos, etsi uariae sint disputationes multorum, tamen hic articulus simpliciter credendus est iuxta dictum Psal. 16. Quod et Petrus Act. 2. citat. Caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Distincte et disertis uerbis ait, se habere à Deo promissionem, non futurum ut corpus in sepulchro iacens putrescat, nec anima in inferno relinquatur.

Satis igitur sit pio pectori, scire et credere per descensum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

descensum Christi abolitum esse peccatum, absorptam mortem, destructam diaboli, & inferorum potentiam.

Observandum hoc loco est, in descensu, describi humiliationem Christi, quod aeternus filius Dei, pari potentia cum Deo Patre sese ita abiecerit, ut sicuti Propheta ait, nouissimus uirorum, & nostrorum omnium seruus factus sit, plenus dolorum & infirmitatum, Ac eo Apostolus Paulus hoc Argumentum & exemplum Christi accommodat, ut cum Filius Dei conditor rerum ita se demiserit, ne nos ex donis nobis diuinitus concessis elati, concordiam doctrinae & unitatem Spiritus, ut supra appellauit, soluamus, quo argumento & exemplo etiam ad Philippen: cap. 2. utitur, Sitis unanimes, idem sentientes, ne quid fiat per contentionem, aut per inanem gloriam, sed per humilitatem quisque alios superiores existimet. Is affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset equalis Deo, sed semetipsum exinaniuit.

Debet igitur descensus & hoc summum humilitatis exemplum Christi, ita sese infra omnes homines conijcientis, semper omnibus pijs esse in conspectu, Ut quantuscumque donis, uel sapientiae, uel opum

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

opum aut potentia sint præditi, non efferantur animis, sed eo magis sese infra alios demittant, ac meminisse debent, ideo hæc dona concedi. Primum ut non sua propria, aut sua uirtute seu industria parta, sed diuinitus data agnoscant.

Deinde ut quanto maiora & ampliora dona habent, eo demissius sese gerant, & illis donis, non ad suum fastum, sed ad Dei gloriam & cæterum hominum utilitatem utantur.

Proponitur enim descensus Christi nobis dupliciter. Primum ut donum, quod per hunc descensum, Filij Dei, & propter hanc uictimam, reconciliatione iusticia, & uita æterna donamur.

Deinde ut exemplum, Sicuti Christus lauans discipulorum pedes ipse ait. Exemplum dedi uobis &c. Et 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius, Necessè est enim nos prius in hac uita humiliari & descendere cum Christo, sustinere uarias ærumnas & miseras, priusquam exaltemur & ab ipso euehamur & tollamur ad æternam gloriam, ut Rom. 8 scriptum est. Si cum eo patimur, etiam cum illo glorificabimur. Et 1. Pet. 4. Si constantes estis ad afflictionum, gaudete, ut & in reuelatione glorie eius gaudeatis exultantes. Et

Proverb.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

*Proverb. 15. Gloriam præcedit humilitas, Hæc de des-
censu Christi breuiter dicta hoc loco sufficiant.*

Qui descendit, ipse est qui ascendit
super omnes cœlos.

Hic locus præcipue contra Nestorium & Euti-
chen hæreticos obseruandus est. Quorum Ne-
storius tempore Theodosij iunioris imperatoris, anno
post Christum natum quadringentesimo tricesimo
septimo, qua tempore S. Augustinus mortuus est,
damnatus est in concilio Ephesino. Sparserat enim
impium dogma, uirginem Mariam non Dei, sed homi-
nis tantum genitricem fuisse, ut aliam carnis, aliam
deitatis personam faceret, & seiunctim alterum esse
Dei Filium, alterum hominis ostenderet.

Eutiches uero eodem tempore Abbas Constanti-
nopolitanus asserbat Christum post assumptionem
humanam, non ex duabus naturis existere, sed solam
in eo diuinam naturam remanere, Cuius sententia in
Concilio Chalcedonensi sub Martino imperatore re-
probata est, quo tempore Roma à Vandalis est capta,
anno post Christum natum 455.

Refellitur autem his Pauli uerbis manifeste Ne-
stori error, cum inquit, Qui descendit, ipse est qui &
ascendit.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

ascendit, Descendit autem Filius Dei, natura eternus
Deus, in uterum uirginis Mariæ, ut iuxta Patris de-
cretum, assumpta humana natura, peccata humani ge-
neris in sese reciperet, & pro humano genere debita
tam poenam exoleret.

Dei ergo Filius (ut Augustinus ait) hominis factus
est Filius, natus secundum ueritatem naturæ ex Deo
Dei Filius, & secundum ueritatem naturæ, ex homine
hominis Filius, ut esset uerus Deus, & uerus homo
unus filius, Non ergo duos Christos, neq; duos filios,
sed Deum et hominem unum Filium confitemur, quem
propterea & unigenitum dicimus, manentem in dua-
bus substantijs, sicut ei naturæ ueritas contulit, non
confusis naturis neq; immixtis, sicut Timotiani uo-
lunt, sed societate unitis.

Et Iohan: Damascenus libro 3. de orthodoxa fide.
In Domino nostro Iesu Christo, duas quidem naturas
cognoscimus, unam autem hypostasim ex utrisq; con-
positam. Item unam hypostasim Filij Dei confitemur,
in duabus naturis perfecte se habentibus, deitatis &
humanitatis, Et Aug. in libro de Trinitate.

Quemadmodum secundum deitatem, una est Pa-
tris filijq; natura, ita etiam iuxta humanitatem, eadem
est Matris & Filij una natura, Ex utraq; ergo sub-
stantia

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

stantia & diuinitatis & humanitatis unus atq; idem est Deus, Dei & hominis Filius Iesus Christus, ut uerus Deus, ita etiam homo uerus,

Sic & hoc loco Paulus dicit unum atq; eundem esse, qui descenderit, & qui ascenderit, Dei nempe & hominis Mariæ Filium, non alius descendit, & alius ascendit, sed unus Christus Deus descendit, et assumpta humana natura, non factus duplex Christus, sed unus Christus Deus & homo, ascendit. Sic quoq; Lucae 1. inquit Angelus. Quod nascetur ex te sanctum, uocabitur Filius Dei. Hunc ipsum Mariæ Filium, uocat Angelus Filium Dei, Ergo post assumptam naturam humanam, iam non duo sunt Filij, sed unus Dei & Mariæ Filius Dominus noster Iesus Christus sedens ad dexteram Dei Patris.

Vt adimpleret omnia.

HAec sententia non intelligatur tantum de generali actione Filij Dei creatoris rerum, quod ab initio adfuerit & semper adsit rebus omnibus per se conditis, quod omnia sustentet & gubernet, sicuti Hebræ. L. dicitur. Portans omnia uerbo uirtutis sue. Et Actorum. 17. In ipso uiuimus mouemur & sumus.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

& sumus, Sed præcipue de speciali actione in Ecclesia, quod sedens ad dextram Dei, totam Ecclesiam & singula eius membra omnibus beneficijs corporalibus & Spiritualibus ac æternis adimpleat & ornet, ita ut sine ipso, nihil boni, nihil sancti fiat, sed ut ipse operetur omnia in omnibus, ut sit super omnia Deus & Dominus cœli ac terræ, ideo ascendit ut acciperet à Deo Patre dominium supra omnia, sicut ascensurus in cœlum ait. Data mihi est omnis potestas, quæ est in cœlo & in terra.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas.

Redit ad descriptionem Triumphæ ac ostendit quæ dona his victor in suos milites & populos sparsit, quod sedens ad dextram Patris, miserit Spiritum sanctum effusum in Apostolos, qui etiam toti Ecclesie perpetuo adsit, qui eam sanctificet & gubernet, qui sit afflictis Paracletus &c. Deinde quod Ecclesie dat quosdam Apostolos, quosdam Prophetas &c. hoc est quod subinde alijs in aliorum locum doctoribus excitatis, instaurat ministerium uerbi & illud perpetuo conseruat.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Est autem hic locus ualde illustris & copiosus, quæ prolixè de dignitate ministerij concionatur, de quo infra dicemus.

Principio hic perspicuum testimonium de diuinitate Christi obseruandum est, Mittere enim Spiritum sanctum, dare Apostolos, Prophetas, Euangelistas, solidius Dei opus est, sicuti & 1. Cor. 12. ait. Et alios quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, Deinde Prophetas & c. Hunc autem Deum mittentem Spiritum sanctum & donantem Ecclesie Apostolos & Prophetas affirmat esse Christum Dei & Mariæ Filium, Ergo Christus uere Deus est, pari cum æterna Patre potentia, sicuti in Iohanne ait, Pater meus operatur usq; modo, & Ego operor.

Deinde & hoc obseruandum est quod ministerium uerbi initio per Patres, Deinde uoce Prophetarum & Apostolorum in orbem terrarum propagatum, non sit humanum inuentum, sed diuinitus ad colligendam æternam Ecclesiam, quæ sit sponsa Filij Dei constitutum, & hoc contra furores & insidias Diaboli ac mundi, mirabiliter conseruari. Sedens enim ad dextram Dei Christus Filius æterni. Patris, dat Ecclesie omnium temporum Patres, Apostulos, Prophetas, doctores & c. ut uera doctrina de Deo in genere hu-

ENARRATIO CAPITIS QUARTI
mano sonet & ad colligendam Ecclesiam late spars
gatur.

Quosdam Apostolos.

E Numerantur, hic ordine certi gradus docen-
tium in Ecclesia Dei. Primi, quos Filius Dei as-
cendens in altum ac sedens ad dextram Dei Patris de-
dit, sunt Apostoli. Est autem Apostolus persona im-
mediate à Christo ad hoc uocata, electa ac missa, ut sit
testis, Messiam olim patribus, & populo Dei promissa
sum, de quo uenturo & eius regno constituendo uati-
cinati sint Prophetae, iam exhibitum, ipsius passione
& morte generi humano placatum Patrem, delenda
esse peccata, destructam diaboli potentiam & mor-
tem abolitam, hoc est, ut sit testis resurrectionis Chri-
sti, & ut per eam uox Euangelij de Filio Dei, non in
certo aut uno tantum loco, sed ubiuis per totum ter-
rarum orbem, quo à Spiritu sancto, uocata uel impul-
sa fuerit, spargatur & propagetur, quae persona
donata est Spiritu sancto quem Deus etiam alijs crea-
turis ipso uerbo largitur, & qui ad stabilien-
dam & confirmandam Euangelij doctrinam, uaria
miracula edere possunt, quae miracula testantur ipsos
Apostolos non errare, & ipsorum doctrinam non esse
ab ipsis inuentam aut excogitatam, sed à Deo ipso &
DOMINO

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Domino nostro Iesu Christo eis traditam, ut eorum uoce & ministerio colligatur Ecclesia, & uocentur homines ad aeternae uitae societatem.

Hi nihil negocij habent cum imperijs & administratione politica, ipsorum cultus ministerium, est ministerium Spiritus, non rerum corporalium & externarum administratio, Et hi in summo sunt gradu. Neque enim cuius hominum doctrinam per Apostolos traditam mutare licet, iuxta illud, etiam si Angelus è caelo aliquid Euangelizauerit Anathema sit, Ab his solum petenda est doctrina Ecclesiae Dei, non à concilijs non à Patribus, doctoribus, aut scriptoribus ullis, Hos enim certum est non posse errare, & ipsorum doctrinam esse ipsius Dei uocem, iuxta illud Christi. Qui uos audit me audit, Et 1. Thessal. 1. Quum accepissetis à nobis uerbum auditus Dei, id est, quo Deus auditur, aut quod qui audit, audit ipsum Deum secum loquentem, Accepistis illud non ut uerbum hominum, sed, sicut uere est uerbum Dei.

Quosdam autem Prophetas.

Prophetæ in nouo testamento, de quibus hic et alibi loquitur, sunt interpretes scripturarum, qui doctrinam ab Apostolis acceptam Ecclesijs proponunt, & mysteria scripturarum eruant ac exponunt, sicut 1. Corin.

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

Cor. 14 ait. Qui Prophetat, hominibus loquitur ad
 edificationem & exhortationem & consolationem,
 qui loquitur lingua, semelipsum edificat, qui autem
 Prophetat, Ecclesiam edificat.

Prophete autem in ueteri testamento erant qui
 immediate à Deo ad hoc uocabantur ut editas pro-
 missiones de uenturo Messia liberatore generis huma-
 ni, interpretarentur, & eas suis concionibus & uati-
 cinijs illustrarent, quiq; legem exponerent, & erro-
 res, circa sacrificia atq; alios impios & idolatricos cul-
 tus, taxarent, & ueram doctrinam Dei monstrarent,
 ac eius lucem rursus accenderent, & qui Regum, sa-
 cerdotum et totius multitudinis uitia & peccata ma-
 nifeste reprehenderent, & eos ad poenitentiam hor-
 tarentur, editis certis uaticinijs de secuturis poenis nisi
 poenitentiam agerent, & diuinis mandatis obtempe-
 rarent.

Isti quia ex instinctu Spiritus sancti docent &
 edunt uaticinia, habent ex miraculis testimonia quod
 ipsorum doctrina sit diuina, & quod non errent, Ho-
 rii multi etiam onera politica gubernationis sustinu-
 erunt, ut Samuel, Elias, Eliseus, Daniel & quidam alij
 qui mandato Dei quosdam reges ex suo officio sum-
 mouerunt, alijs in ipsorum locum substitutis. Apostoli
 autem

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

quæ em & Prophetæ noui testamenti atq; adeo omnes ministri uerbi, nullam politicam administrationem habent.

Alios uero Euangelistas.

Euangelistas fuisse Augustinus & Theophylactus existimant, non tantum eos, qui cum ex numero Apostolorum non essent, Euangelia, ipsis Apostolis eos docentibus, scripserunt, ut fuerunt Marcus & Lucas, sed eos etiam, qui discipuli Apostolorum, eos in peregrinationibus secuti, Euangelij doctrinam ab Apostolis acceptam, populis rudioribus tradiderunt, & in ministerio Apostolos adiuuerunt, quales fuerunt Aquila & Priscilla, Apollo, Silas, Barnabas, Marcus, Epaphreas, Archippus, & multi alij quos Paulus & uerè pijs adiutores & cooperarios uocare solet.

Alios autem pastores & Doctores.

Quos hic pastores & doctores, eos i. Thimo. 3, & Tit. 1. Præbiteros & Episcopos uocant. Erant autem ij, qui non immediate à Deo ut Apostoli, sed mediate, uel per ipsos Apostolos, uel per alios ad docendum Euangelium & constituendas & gubernandas Ecclesias in certis locis uocati & ordinati erant.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

erant, sicuti ad Titum 1. Scriptum est, Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ desunt pergas corrigere, & constituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi ordinavi. Talis Pastor & Episcopus Colossis, fuit Archippus, Timotheus. Ephesi, Ignatius Antiochie, Policarpus, Smyrnæ &c. Tales cum à doctrina Prophetarum & Apostolorum discedunt, errant, neque sunt audiendi. Non enim aliam doctrinam comminisci, aut alios cultus Dei instituere debent, quam ab Apostolis, ipsis sunt traditi, iuxta illud, Frustra colunt mandatis hominum, sed tales debent esse custodes doctrinæ Apostolicæ, & cultuum à Deo mandatorum.

Ad consummationem sanctorum in opus ministerij.

PAulus hoc loco valde significanti & illustri uerbo utitur, cum ostendit causam cur à Christo sedente ad dextram Patris dentur Apostoli, & Pastores Ecclesiæ, nempe προς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας &c. Significat autem καταρτίζω coagmento seu compono, & apud Aeginetam, Luxata membra in artus repono, Et apud Galenum καταρτισμὸς ἢ μεταγωγή usῶν ἐκ τῆς παρὰ φύσιν τῶν εἰς τὸν κατὰ φύσιν. Cartatissimus est reductio

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ductio ofcium ex loco qui est præter naturam, in locum naturalem.

Significat igitur Paulus totam Ecclesiam angelorum & hominum, initio ad hoc conditam, ut esset corpus Filij Dei, in quo in omnem æternitatem habitaret. Sed genus humanum, insidijs diaboli distractum & auulsum à Deo, ita ut post lapsum iam non sint in loco naturali eius corporis, in quem initio à Deo conditi & insiti sint, nempe ut Deo capiti & conditori suo obediant, illi seruiant, illum perpetuo cum cœteris membris, cœlestibus nempe Spiritibus celebrent, sed homines iam esse membra luxata & distracta ex loco naturali, & seruire iam peccato & diabolo.

Deum autem misertum generis humani, ne totum periret, instituisse Catartismum, hoc est opus Ministerij, Docendi nempe Euangelij, quod Ministerium uerbi, sit tanquam officina seu ars qua membra luxata & auulsa à corpore Filij Dei, rursus in eum naturalem nempe locum, reponantur & cogmentantur, in quem in initio genus humanum à Deo fuit conditum. Et ideo Filium Dei sedentem ad dexteram Patris dare Apostolos, Prophetas, Pastores, qui in hoc ministerio sint tanq; medici seu Chirurghi, qui luxata membra sua arte,

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

arte, ministerio nempe uerbi, corpori Christi rursus
 inserant, quo corpus Christi iterum extruatur et edifi-
 ficetur. Ita hoc loco Ministerium uerbi significanti
 uoce descripsit cum $\alpha\tau\alpha\rho\tau\iota\varsigma\mu\acute{o}\rho$ uocat, & ipsos
 Apostolos & ministros uerbi ad hoc opus Ministerij
 diuinitus dari ostendit, ut hunc catartismum in san-
 ctos, ad extructionem corporis Christi, exercent.

Singuli igitur cogitemus quam tetra à sanctissimo
 corpore Filij Dei, nostri sit facta luxatio & auulsio,
 ita ut iam non Dei, sed diaboli membra fuerimus. Hoc
 ingens malum nostrum cognoscamus & deplemimus.
 Deinde grati simus Filio Dei medico & Chirurgo nos-
 tro, qui factus uictima pro nobis, nos ita auulsos à
 Deo, rursus suo corpori inseruit, Veneremur etiam
 & amemus Ministerium uerbi, pastores & doctores,
 quos Filius Dei ad hunc Catartismum exercendum
 dedit, non simus prefracti & contumaces, sed pre-
 beamus nos dociles, patiamur nos ipsorum uoce &
 ministerio, ut luxata membra coagmentari, etiamsi
 doleat ueteri homini ipsum aboleri & mortificari, si
 qui cruciatus ferendi sunt.

Inferimur autem baptisati & credentes Euange-
 lio, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti,
 Credenti nempe se per mortem Filij Dei, translationem
 iam ex

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

iam ex regno peccati, mortis & diaboli, in regnum
lucis, iusticie & uitae eterne, Sicuti Rom. 5. dicitur.
Iustificati ex fide, pacē habemus erga Deum, per Do-
minum nostrum Iesum Christum, Et Ro. 8 Nulla nunc
condemnatio est his, qui insiti sunt Christo Iesu.

Postremo cum per fidem & Lauacrum regenera-
tionis ita rursus Christo sumus insiti, cogitemus non
secundum carnem, sed secundum Spiritum, sicuti ibi-
dem precipitur, ambulandum esse, Et ut Ro. 6. scribi-
tur. Neq; accommodetis membra uestra, arma iniusti-
cie peccato, sed accommodetis, uosmetipsos Deo ue-
lut ex mortuis uiuentes, & membra uestra, arma ius-
ticie Deo.

In ædificationem corporis Christi.

Corpus Christi est ipsa Ecclesia, ad cuius exædi-
ficationem *κατασκευασμός*, hoc est, Ministerium
uerbi diuinitus est institutum. Aedificantes sunt
ipsi Apostoli, Episcopi, Pastores, qui luxata & per dia-
bolum à Christo auulsa membra rursus corpori Chris-
ti, per suum ministerium, inserunt, & in locum nam-
turalem in quem primum à Deo condita sunt, repon-
nunt, seu qui nos (ut 1. Pet. 2. ait) tanquam uiuos lau-
pilas in ipsam angularem lapidem Christum im-
ponunt.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI
nunt & edificant, ut simus membra corporis Christi, seu domus Spiritualis, in qua habitet Christus.

Donec occurramus omnes in unitatem fidei &c.

Sunt qui hunc locum ita interpretantur, ut dicant Somnes pios, qui in Domino obdormierint, resur-recturos circa eam etatem, in qua Christus ex mortuis excitatus resurrexit, nempe circa annum 33. aut 34. Sed Paulum hoc loco de his rebus non loqui manifestum est, uerum de incremento fidei, Charitatis, & coeterarum uirtutum in hac uita, & simplex sententia est, fidem & cognitionem Christi, habere quoq; suam infantiam, iuuentutem & etatem uirilem, hoc est, sua incrementa & progressus, sicuti i. Corin. 3. inquit. Non potui uobis ut Spiritualibus loqui, sed loquendum fuit ut carnalibus, ut infantibus in Christo, lactis potu uos alui & non cibo &c. Et Hebr. 5. Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis iusticie, infans enim est. Perfectorum autem est solidus cibus &c.

Hortatur igitur nos, ut in cognitione & fide Christi quotidie crescamus, & ut ad Colossen. 2. ait, Sicut accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulare

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

ambulate, radicati & super aedificati in ipso & confirmati in fide & c. Qui talem cognitionem firmam & stabilem habet, is uir est perfectus & mensuram etatis plenitudinis Christi attigit, Sed hæc perfectio & plenitudo in hac uita talis tamen est, cui semper adhuc aliquid accedere & potest & debet, iuxta illud, Philip. 3. Non quod adprehenderit, aut iam perfectus sim, sed sector & c. in hac enim uita sicut 1. Cor. 13. ait. Ex parte cognoscimus, & ex parte Prophetamus, At ubi uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur & c.

Vt iam non simus pueri, qui fluctuamus & circumferamur quouis uento doctrinæ.

HAc adhortatione in primis opus habet Ecclesia atq; adeo omnes pij. Primum doctrina coelestis magno studio discenda & insculpenda animo est, ut firmas radices agat, ne facile conuelli & labefactari possit. Deinde doctrina recte percepta, firmiter per omnem uitam contra omnes corruptores & impostores retinenda est, & uititur hoc loco duplici similitudine, Primum hortatur ne simus inconstantes ut pueri, quorū cum iudiciū propter aetatem sit imbecille & infirmū

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

Et infirmū, facile sese uel quibusuis sermonibus nuntia illam, deinde in aliam partem flecti patiuntur. Sicut etiam I. Cor. 14. nos hortatur cum ait, Fratres ne sitis pueri sensibus, sed malitia pueri sitis, sensibus uero perfecti sitis.

Secunda similitudo est à nauibus, seu arundinibus sumpta, quæ omnium uentorum flatibus cedunt, et iam in illa, Deinde in alia loca circumaguntur. Monet igitur ne pij ad quemuis doctrine flatum se moueri patiantur, sed ut in uera Ecclesiæ doctrina, contra omnes procellas et tempestates ut in mari scopuli, sint firmi et stabiles.

Videmus enim quomodo omnibus etatibus petulantia et ambitiosa ingenia, ad corrumpendam celestem doctrinam excitari Diabolus, quorum corruptelis et Sophistica, multi errores in Ecclesiam inuerti, et plurimi non satis firmi et tenaces uerbi Dei, subuersi sunt.

IN primis autem hoc tempore, quo omnia talium impostorum plena sunt, Ecclesia hac commotione habet opus. Posteaquam enim hoc seculo, uarij errores, qui Ecclesiam oppresserant, detecti sunt, et doctrine Euangelij lux et puritas rursus accensa et restituta est, exorti sunt passim, maxime in potentia

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

in aulis plurimi, qui, aut odio ueræ doctrine, aut ambitione, seu cupiditate querendarum opum flagrantes, non secus atq; *κωβουτοι*, id est, lusores in ludis, talos aut tesseras seu cubos, Ita illi cœlestem doctrinam ad uoluntates potentum torquere & inflectere norunt, Sicuti hic illustri uerbo has corruptelas & hanc hominum malitiam *κωβουτοι* uocat, Tales corruptores David in Psalmis sæpe execratur, & precipue Psal. 141. Cum ait: Desiciantur in loca petrosa doctores eorum, & audient uerba mea, quoniam sunt iucunda.

Imago talium impostorum & corruptorum cœlestis doctrine depicta est in militibus crucifigentibus Christum, uestes quæ tegunt & ornant Christum, sunt ipsæ sacræ literæ, uestium autem Christi alias scindunt in partes milites, de alijs sortiuntur, Ita quidam doctores Ecclesiæ, uerius Christi & Ecclesiæ crucifixores, quam doctores, scripturam pro sua libidine, in quas uolunt partes, scindunt, trahunt atq; retrahunt, Atq; hi sunt heretici & schismatici, qui falsa & uiolenta interpretatione scripturas lacerant quales milites seu doctores fuerunt Ebion, Cherinthus, Samosatenus, Arius & quidam alij. Deinde sunt *κωβουτοι* die Spitzbuben, seu Sophistæ, qui arte sophistica, fucosis interpretationibus & concili-

ationibus,

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

liationibus, cœlestem doctrinam figunt atq; resigunt. Hos præcipue hoc loco taxat Apostolus & uitari iubet. Hi enim omnium corruptorum sunt pestilentissimi, neq; enim horum insidiæ & fuci facile animaduerii à quibusuis possunt.

Veritatem autem facientes in Charitate crescimus in illo per omnia, qui est caput, Christus.

Hæc est conclusio prioris exhortationis, qua doctores Ecclesiæ ad humilitatem, mansuetudinem & cœteras uirtutes ac præcipue ad concordiam & consensum doctrinæ hortatus est. Est autem collatio, impostores in corrumpenda doctrina utuntur mendacijs, sophistica, insidijs & fucis, Veros autem & pios doctores Ecclesiæ, decet abstinere à fucis & sectari ueritatem, ut Charitas & ipsa pietas mouet, ac dare operam, ut membra antea auulsa, & iam per ipsorum ministerium rursus insita Christo, Crescant per omnia in ipsum Christum, qui corporis caput est. Persistit enim in similitudine seu Metaphora sumpta ab humano corpore.

Sicuti enim in humano corpore ex capite nerui & omnes uitales motus oriuntur, qui delabentes in membra

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

membra totius corporis, suis commissuris ad certa officia recte compacta & coagmentata, ea uiuificant, mouent & eis augmentum conferunt, quæ deinde membra per sua dona & distincta officia, non sibi solis, sed toti corpori ad incrementum & conseruationem seruiunt, ita ex Christo capite, omnia membra coaptata & ad coherentiam, per omnem commissuram, ad certam administrationem adducta, quodq; membrum suam uim & efficaciam, seu donum suum, iuxta mensuram suæ partis ex Christo accipens, facit ut corpus crescat & edificetur in Charitate, & illis donis, ad totius corporis non suam tantum utilitatem utitur.

Exempli causa Paulus, Timotheus, & Titus sunt membra eius corporis cuius caput Christus est, qui per commissuram, fidei & baptismi ideo coaptantur & inseruntur corpori Christi, ut singulorum, certa, in eo copore, sit functio seu administratio, & ideo quoq; à capite Christo quisq; horum, iuxta mensuram suæ partis dona accipens, facit ut corpus Christi Ecclesia nempe crescat & edificetur.

Paulus ut membrum coeteris preclarius, cuius maior in corpore Christi functio esse debet, pro sua mensura & uocatione, ut præcipuus inter Apostolos, maiora

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

dona accipit, Ex illius igitur ministerio maius incrementum capit Ecclesia, & plus edificatur quam ex ministerio Titi aut Timothei.

Paulus magnam orbis partem perlustrans, plures ad fidem & noticiam Christi adducit, quam Titus qui in Creta, aut quam Timotheus qui Ephesi Episcopus fuit, & tamen singuli non ad suam gloriam augendam, non per contentionem ad dissipationem, sed per concordiam & charitatem, quam erga Christum caput & Ecclesiam ipsius corpus habent, sua dona & operas suas, ad eius corporis edificationem conferunt, & dum Ecclesiam suo ministerio augent & edificant, simul & ipsi ut uiua membra eius corporis, uiuificantur & extruuntur.

Hoc modo priorem partem primæ exhortationis absoluit, cuius propositio fuit, ut doctores atq; adeo omnia membra Ecclesiæ studeant seruare unitatem spiritus per uinculum pacis, quam propositionem quibus argumentis confirmarit, & quam multis similitudinibus & metaphoris illustrarit, ostensum est supra.

Hoc igitur dico & testificor
in domino.

HActenus ostendit Paulus qui Ecclesiæ status, & quibus uirtutibus hi potissimum excellere debeant.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

debeant, quibus Ecclesie gubernatio commissa est, nempe cum uocatio ad ministerium uerbi, sit amplissima, quam, ut Petrus ait, etiam sancti Angeli admirantur, ut eam humilitate, mansuetudine, patientia & concordia ornare & ministerij sui dignitatem tueri studeant, non eam superbia, odijs & dissensionibus deforment, de qua dignitate & conseruatione ministerij longa oratione concionatus est, Christum ideo ascendisse in altum, ut ad conseruationem & propagationem ministerij, daret alios quidem Apostolos, alios uero Prophetas etc. Hoc uero loco de ijs precipue uirtutibus concionatur quæ ad politiam, atq; ad communem hominum societatem conseruandam pertinent, & iubet fugere uicia quibus uita tranquillitas perturbatur, ut sunt libidines, Mendacia, Iræ, furta, conuicia, obscena dicta & reliqua.

Priusquam uero exhortationem orditur, instituit collationem uitæ gentium, & uitæ conuersorum ad Christum. Est autem horribilis descriptio uitæ Ethnicorum.

Primum enim etsi inter gentes multi uiri præstantes eruditione uirtute & sapientia fuerint, ut fuit Xenophon, Plato, Aristoteles, Cicero & multi alij qui sine uerbo Dei magna cura & industria, ueros

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

Deos inquirere conati sunt, & alij alios Deos & alios cultus commenti sunt, unde Græci Palladem, Venere-
rem, Dianam, Romani Martem, Iouem Capitolinum.
Aegyptij Apim, Iouem Ammonium. & alij alios Deos,
multis & magnis ac sumptuosis ac monstrosis culti-
bus colucrunt, tamen quia gentes sine uerbo Dei, pro-
pria & humana autoritate illa sinxerunt, hæc omnia
Paulus uanitates appellat.

Sunt igitur uanitas, omnes cultus quantumuis spe-
ciosi, qui sine expresso uerbo Dei humana autoritate
instituantur, ut hoc tempore est mortuorum sancto-
rum inuocatio, abominatio missarum, cultus sancto-
rum qui ad statuas fiunt, & pleriq; alij, qui ab ethni-
cis cultibus profus nihil differunt.

Est autem cultus opus mandatum & præceptum
à Deo, quo, in fide & uera agnitione, Deus honore
se uult affici, qui per Christum offertur, & propter illu-
lum placet Deo 1. Pe. 2. Offeramus Spirituales hostias,
acceptabiles Deo per Iesum Christum, qualis est inuo-
catio, Ut Inuoca me in die tribulationis, erua te et hon-
norificabis me. Est igitur ματαιότης uanitas, quia
quid humanus animus, proprio motu seu intentione
bona de Deo, seu cultu Dei sine mandato Dei et agni-
tione mediatoris uel fingit uel instituit uel Deo offert,

ἐκ κούτης ἡδῶν τῆς σαρκός.

Obtenca

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Obtenebrati mente.

Sciendum est Paulum hoc loco non loqui de hominibus Epicureis, & Deo & prorsus impijs, sed de ijs, qui ex creatione, gubernatione & conseruatione rerum, uident & norunt esse Deum, tales autem quia abiecto & contempto uerbo, quo se Deus patefecit, ex sua ratione & iudicio Deum fingere & mentiri & eius colendi uarios ritus instituire uolunt, errant & uana ac irrita sunt ipsorum de Deo, *διὰ τὸ οὐκ ἔχοντες* cogitationes seu ratiocinationes, sicuti isdem uerbis Rom. I. ait, Cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed uani facti sunt in cogitationibus suis. Atq; hic est primus gradus impietatis abijcere & contemnere uerbum quo se orbi terrarum Deus reuelauit, extra quod nulla certa & firma Dei cognitio est.

Secundus gradus impietatis est cæcitas, quæ contemptum uerbi Dei sequitur, Quamquam enim gentes, atq; adeo omnes impij ex creatione & gubernatione rerum Deum esse cognoscant, tamen quia uerbum quo Deus reuelatur, abijciunt, diabolus hanc scintillam quam ex creatione habent, facile delet, ac deinde caliginem & uarias tenebras ipsorum mentibus inducit, ut tandem prorsus Epicurei & *ἀθεοὶ* fiant.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

Præstent igitur homines quantavis sapientia & potentia, tamen ubi lux uerbi, & uera agnitio mediatoris non est, ibi plus quam Cimmeriæ sunt tenebræ, ibi nulla uera Dei agnitio esse potest. Animalis enim homo, non percipit ea quæ sunt spiritus, Et Iob: 1. Erat lux uera, quæ ueniens in mundum, illuminat omnem hominem, ubi igitur uox & lux Euangelij non est, ibi necesse est meras esse tenebras, sicuti & 2 Cor: 4. ait Paulus: Quod si ad huc uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est, In quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Euangelij, gloriæ Christi, qui est imago Dei.

Quare lucem uerbi amemus neque sinamus excuti aut deleri nobis, aut rursus caliginem ac tenebras humanarum traditionum & impiorum cultuum induci, & hanc lucem hoc tempore in his terris accensam, quotidie petamus conseruari, & pijs studijs & exercitijs feueamus sicuti sepe Psalmi monent, & præcipue Psalmus 118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. & ibidem: LuceRNA pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Cecitatem autem sequitur idolatria. Vt Ro. 1. Copiose hæc & pene iisdem uerbis declarat. Obtenebratum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

bratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis, hominis & uolucrum & quadrupedum, & serpentium.

Ὁτι τὰς ἀπειθοῦς βιωμῶν τῆς ζωῆς τῆς θεοῦ.

Abalienati à uita quæ est ex Deo.

Tertius gradus uitæ impiorum est, quod segregati sunt ab ea uita, quæ ex Deo est. Est enim duplex uita, uita animalis, qua homines sicuti cetera animantia uiuunt, nisi quod ratione & sermonis facultate homines excellunt reliqua animantia, quarum uictum, opes, honores, potentiam, procreant sobolem, eamque tuentur, de qua uita, Psal. 49. ait. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus quæ intercunt, Quæ uita quam & ipsa ex Deo sit, sicuti Acto. 17. dicitur. In ipso uiuimus, & mouemur & sumus, tamen ea uita non est, ad quam tam præstans natura condita est, Atque impij qui uita animali tantum uiuunt, hoc nomine præ cæteris animantibus peius habent, quod cum cætera animantia semel intercunt, isti ad iudicium & æternas poenas suscitabuntur.

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

Deinde altera uita ad quam genus humanum conditum est, est uita spiritualis, coelestis seu aeterna, de qua Abacuc ait. iustus fide sua uiuet, Et Paulus ad Coloss. 3. Vita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Quandocunq; Christus manifestatus fuerit, uita nostra, tunc & uos manifestabimini in gloria, Ad hanc coelestem & aeternam uitam regeneramur per baptismum & Spiritum sanctum. Cum enim fide complectimur Christum, uitam nostram, credentes quod ipse morte & sanguine placatus Pater, non uelit nobis peccata nostra, sed iusticiam propter ipsum imputare, & nobis donare uitam aeternam, accenditur praeter uitam animale[m], alia, aeterna nempe in animis nostris, quae in hac uita inchoatur, reuelanda & perficienda in altera.

Perfundimur enim in hac regeneratione noua luce & uera agnitione Dei, uero amore & timore Dei, & incipimus execrari & odisse scelera & peccata, quae cum antea uita nostra & summa uoluptas essent, nunc mortem ducimus, & ita confirmamur, ut prius quam nosse Christo, uita nostra, in quo unico acquiescimus, uiuimus & letamur, nos uelli patiamur, sustineamus mortem, & mala extrema omnia, quae etiam propter Christum suauia & dulcia

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

dulcia ducimus. Scimus enim aliam uitam nobis repositam & promissam esse in Christo Iesu quam iam fide tenemus. Hæc uita est ex Deo, sed per cognitionem Iesu Christi Filij Dei liberatoris nostri, & est pars atq; adeo inchoatio uitæ æternæ etiam in hac uita, sicuti Ioh. 17. inquit Christus. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te, solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Vitam enim æternam (ut 1. Iohan. 5. dicitur) dedit nobis Deus, & hæc uita in Filio eius est, sed hæc uita (ut in Coloss. ait,) hic est tecta & abscondita per crucem cum Christo in Deo, ut sicuti Filij Dei gloria nondum conspicitur, sed in ipsius glorioso aduentu tandem reuelabitur, ita & nostra gloria iam non cernitur, reuelanda cum Christus in sua gloria manifestabitur, sicuti & 1. Iohan. 3. scriptum est. Carissimi nunc Filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus, Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est.

Nihil autem horribilius dici potuisset quam impios à uita, quæ ex Deo est, esse abalienatos. Tales enim ut maxime abundant opibus, honoribus, uoluptatibus, tamen sunt sine luce, siue agnitione Dei.

fina

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

sine pace, consolatione, gaudio & tranquillitate conscientie, & oppressi sunt ira Dei, morte & eternis poenis & tenebris. Ita tribus uerbis tristissima & horrenda mala Paulus est complexus, quibus uitam impiorum describit, sed querat aliquis, unde hæc tanta mala eueniant impijs? Has causas ostendit Paulus cum ait.

Propter ignorantiam quæ est
in ipsis.

Hæc est prima causa malorum quæ eueniunt gentibus, ignorantia, quod Euangelij uocem reuelantem uoluntatem Dei Patris & annunciantem beneficia Filij Dei generi humano exhibita, aut ignorant, aut audire nolunt, sed eam aspernantur, continent & pro stulticia & fabula habent, seq; sapientes & iustos esse somniant. Fons igitur impietatis et causa malorum est, ignoratio & contemptus Dei & Domini nostri Iesu Christi, sicuti econtra fons iusticie & uite eterne est uera agnitio Dei & Domini nostri Iesu Christi, sicuti Esaie. 53. scriptum est. Noticia sui, seruus meus iustus, multos iustificabit, ipse enim portat peccata ipsorum. Et sapientie 15. Nosse te consummata iusticia est, & scire iusticiam & uirtutem tuam,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tuam, radix est immortalitatis, Et Hier. 9. In hoc glo-
rietur, qui gloriatur, scire & nosse me.

Propter duritiam cordis ipsorum.

πώρωσις qua uoce hic utitur Pauli, significat pro-
prie duriciam, πώρωσις enim concallescere, coales-
cere seu consolidari significat, & πώρωσις durities
est in artubus, ut apud Dioscoridem λυφ & η τους
περι τὰ ἄρθρα πώρους, soluit autem & duriciam
circa artus, unde & apud Iohannem Christus ex Esa.
αὐτῶν πετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ πε-
πώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν, Excecauit oculos eo-
rum, & indurauit cor eorum.

Est igitur altera causa impietatis, quod etsi im-
piorum quidam uident doctrinam cœlestem mi-
raculis confirmatam, & audiunt eam reuelare iram
Dei aduersus impietatem & ipsorum scelera, tamen
in flagitijs & peccatis ita occalluerunt & obdura-
runt, ut sint sine sensu mali sui, non agnoscant mor-
bos suos, uidet Saul se propter inobedientiam & im-
pietatem desertum & abiectum à Deo, & sibi pre-
ferri Dauidem, quem, furore incensus, innocentem
persequitur, interficit sacerdotes Domini & multi-
pliciter peccat, & in hac impietate ita occalluit, ut
quanquam sepius admonitus, tamen non sentiat, non
intelligat.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

intelligat furores suos, sic inuenias qui adulterijs & libidibus ita se polluerunt, ut etsi admoniti, tamen hæc non ducant uicia & peccata, ideo subijcit Paulus.

Οἱ τινες ἀπειληκότες. Qui sine sensu doloris seipfos tradiderunt lasciuia.

Obseruanda hoc loco phrasis est, Rom. 1. dicitur, Quapropter tradidit eos Deus per cupiditates cordium suorum in immundiciam, Hic uero ait quod ipsi se tradiderint lasciuia, Et indurauit Deus cor Pharaonis, Et iam citato loco ex Esaia, Ioh. 12. Excæcauit eorum oculos, & indurauit cor eorum.

Certum est Deum qui omnes homines uult saluos fieri & ad agnitionem ueritatis uenire, neminem excæcare neq; indurare hominum corda, Quare hæc phrasæ permissiue sunt intelligendæ.

Quia enim impij contemnunt & abijciunt uerbum Dei, quo tanquam instrumento corda ad se trahit Deus, & tanquam freno ea regit & gubernat, ideo tales rectorem & gubernatorem Deum ipsi excutunt, & postea deserti à Deo rectore ipsi suo arbitrio reguntur, seruntur suis cupiditatibus, & imbiti à Diabolo, in libidines & uaria scelera ruunt.

Tales

EPÍSTOLAE AD EPHESIOS.

Tales per uerbum & Spiritum sanctum cupit regere Deus, ideo uocem Euangelij per totum orbem terrarum spargit, sed hunc rectorem nolunt impij & contemnunt, & ipsi se regere uolunt, ideo etiam Deus permittit eos suo ferri iudicio.

Quare tales ipsi se excæcant, indurant, & lasciuie tradunt, sicuti hoc loco Paulus tales Phrases ipse interpretatur, id quod & Theophilactus hic monet, qui sic scribit. Quando alio in loco audiueris, quod Deus tradiderit eos in reprobam mentem, reminiscere etiam huius loci, atq; compingens utraq; intellige quod Deus dicatur tradere eos, qui seipsos tradunt, hoc est permittere nec non concedere, quandoquidem se dignos hoc permissu fecerint.

Ceterum Etymologiam uocis ἀσέλγεια deducunt ab oppido Selge, in quo scribunt fuisse homines moderatos, temperantes, honestati & uirtuti deditos, inde ἀσέλγης dicitur non habens rationem temperantia, honestatis aut uirtutis ullius, Et μετρίοτητι καὶ σωφροσύνῃ opponitur ἀσέλγεια, inde ἀσέλγειν ἐπι lasciuire, libidinari.

Vos autem non ita didicistis Christum.

Postquam uitam impiorū horribiliter depinxit, subiicit iam alterā collationis partē, in qua uita conuersorum

ENARRATIO CAPITIS QUARTI
conuersorum ad Christum usq; ad finem Epistole
describitur.

Ceterum hic locus obseruandus est contra Antino-
mos, & eos omnes qui somniant fidem posse existere
sine conuersione uera, & renouatione. Nam cum ait,
uos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum
audistis, significat duplicem esse conuersionem, unam
fucatam, Alteram autem ueram. Sunt enim qui Euan-
gely uocem & Christum se didicisse & nosse iactant,
quorum tamen nulla est renouatio, sed perseverant in
ijsdem erroribus, uitijs & peccatis, in quibus antea
uiuebant, prius quam doctrina Euangely ipsis tradere-
retur, quales plurimi omnibus etatibus & fuerunt,
sunt & erunt, hos negat Christum didicisse, nosse &
audisse.

Vera enim conuersio est, cum uero dolore & ge-
mitu agnoscimus errores & lapsus nostros, & prop-
ter hos sentimus iram Dei, & nos eternas poenas me-
ritos uidemus, Sed quia Dominus noster Iesus Chri-
stus uenit in hunc mundum ut saluos faceret peccato-
res, hac fiducia iterum erecti & uiuificati, acquiesci-
mus in mediatore Christo Iesu Domino nostro, quem
proposuit Deus reconciliatorem per fidem interuen-
niente ipsius sanguine. & c. Rom. 3. Ac ita fide concipi-
mus Spiritum sanctum, quo regeneramur, regenerati

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

rati autem incipimus fugere & odisse peccata, quibus antea delectabamur, & uiuere iusticie ac obedi-
re Deo, ideo ait, sicuti est ueritas in Christo Iesu quasi diceret, Credere in Christum seu esse in eo edoctum, non est persuasio, opinio, seu hypocrisis, aut inanis noticia, sed est uere dolere de peccatis, & uere, fide ex morte resuscitari seu uiuificari ad nouitatem uitae & obedientiam erga Deum. Declarat autem in sequentibus uerbis quia appellet ueritatem in Christo Iesu cum ait, nempe hanc esse.

Deponere secundum pristinam con-
uersationem ueterem hominis
nem &c.

Duplicem hominem facit, ueterem & nouum.
Vetus homo est illa natura quae ex lapsu primorum parentum corrupta, est sine uera noticia Dei, sine timore & amore Dei, de qua Moyses ait, Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, Et Paul. Ro. 5. Sapiencia carnis inimicitia est aduersus Deum, Et Christus Ioh. 3. Quod natum est ex carne, caro est, hoc est corruptum & de-
prauatum, nihil intell gens de Deo, non Deum, sed sua tantum curans, in hac ueteris hominis corrupta natura potenter dominatur peccatum & eam prorsus
p captiuam

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

captiuam tenet, ita ut uetus homo cogatur obedire regnanti & imperanti carni & peccato, Hic enim aestuant humana corda uarijs desiderijs & concupiscentijs, per quos inquit hic ueterem hominem corrumpi & damnari, Ardent pectora, ambitione, libidine, ira, odio, inuidia, maleuolentia, cupiditate uindictae & alijs illicitis & prohibitis flammis, quibus non renati, non resistunt, sed eas augent & fouent, & ita frena laxant, ut saepe impellantur in uaria peccata & scelera, ut est cernere in impijs.

Iubet igitur Paulus hunc ueterem hominem fide, timore, & amore Dei, ac auxilio Spiritus sancti deponere & exuere, eos qui uere ad Christum sunt conuersi, hoc est, delere has flammis, & resistere concupiscentijs carnalibus, quibus natura trahimur & impellimur ad peccandum, ne caro seu peccatum, sed Spiritus dominetur, sicuti Genes. 4. Praeceptum est, Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, Et Rom. 6. Ne regnet peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis illi per cupiditates eius. Manifesta autem sunt ueteris hominis seu carnis opera ut ad Gal. 5. ait, quae sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus etc. ex quibus

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

quibus tanquam ex fructibus uetus homo facile cognoscitur.

Renouamini autem spiritu
mentis uestræ.

Hic locus ostendit, quod discrimen sit inter disciplinam Philosophicam seu externa opera legis, & inter renouationem spiritualem, seu qua fit per spiritum sanctum. Socrates etsi flammis libidinum, iræ, odij, uindictæ resistit, & eas ratione moderatur ac cohercet, Et Paulus ante conuersionem, Etsi externa opera legis facit, & in lege sine querela conuersatur, sicut Philip. 3. de se scribit, tamen neuter ad huc est renouatus mente, nec placet Deo. Vterque enim adhuc est sine luce, sine uera agnitione Dei, sine cognitione mediatoris domini nostri Iesu Christi, quem quia non norunt, nec patrem norunt, per quem solum nobis patet accessus ad patrem, ac propter quem solum opera & sacrificia nostra placent Deo, ut 1. Pet. 2. dicitur, Offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Vtrique igitur renouatione, opus est.

Renouatur autem Paulus cū per uocem Euangelij illuminatur, hoc est cū ex Euangelij uerbo noua lux, deter sis squamis, mentis cœcitate, et uera agnitio Dei

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

per mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum
 in ipsius corde accenditur, qua luce illuminatus &
 simul donatus Spiritu sancto, suam immundiciam
 quam antea iusticiam esse putabat, agnoscere, & eam
 pro detrimento et ut stercora habere incipit, ac credit
 propter solum mediatorem sibi remitti peccata, se re-
 cipi, exaudiri, iuuari & defendi, quam lucem sequitur
 deinde uera obedientia erga Deum, incipit crucifige-
 re carnem cum concupiscentijs suis, & obedire Spiritu
 tui ducenti & regenti ipsum, unde sequuntur fructus
 Spiritus, Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas,
 bonitas, fides & cœteræ uirtutes, quæ Gal. 5. enume-
 rantur. Hanc uocat Paulus renouationem mentis, &
 alibi regenerationem, quæ fit in credentibus per Spi-
 ritum sanctum, At disciplina Philosophica seu legis
 est opus humanæ rationis, quod etiam sine luce Spiritu
 sancti in impijs esse potest.

Et induite nouum hominem qui se-
 cundum Deum creatus est &c.

Dvplex est creatio hominis, Prior qua homi-
 nem Deus ad imaginem & similitudinem su-
 am, ad imaginem Dei creauit, ut Gen. 1. scriptum est,
 in qua imagine Dei uera lux & perfecta agnitio Dei,
 perfectus

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

perfectus amor & timor Dei, uera non simulata obedientia erga Deum, uera iusticia & sanctitas fuit. Sed hæc Dei imago per lapsum Adæ ita est deformata & corrupta, ut magna ex parte hæc lux sit extincta & obtenebrata, & ut in locum lucis, successerint tenebræ, dubitatio de Deo, odium & contemptus Dei. Et si qua est obedientia, iusticia & sanctitas, tamen illa non est ex agnitione mediatoris, non est spontanea, non uera, sed ex lege coacta, simulata & hypocritica.

Quare necesse fuit de nouo creari & quasi refingi hominem. Quæ creatio per Dominum nostrum Iesum Christum facta est, cum is se Deo Patri uictimam offerret, ut novos homines per se conderet.

Est autem uetus homo Adam post lapsum cum tota posteritate sua, plenus tenebris, peccato, ira Dei, plenus mendacio, & hypocrisi, Est enim sine luce sine uera & firma noticia, manens in perpetua dubitatione, fugiens contemnens Deum ac irascens Deo, quod tot miseris & ærumnis oneret genus humanum.

Nouus uero homo est dominus & creator noster Iesus Christus, plenus (ut Ioh. 1. scriptum est) Gratia & ueritatis, qui ab eterno ex substantia Patris natus, cum naturaliter à Patre diligatur, assumpta humana

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

carne & se patri pro redimendo genere humano, & placando patre offerens, nobis qui antea natura filij iræ, id est, destinati ad iram Dei, ad mortem & æternam damnationem eramus, poenam in sese deriuans & transferens, sua passione & morte gratiam & fauorem Dei patris promeruit, ut iam propter hunc dilectum filium suum (sicuti supra Cap: 1. ait. nos diligat, in quo habemus redemptionem, per sanguinem eius, in remissionem peccatorum etc.

Qui igitur antea eramus sub lege & filij iræ, ita per mortem et sanguinem Iesu Christi sumus conditi, abluti & sanctificati, ut iam simus noua creatura, sumus sub gratia, filij & heredes Dei, donati remissione peccatorum, & spiritu sancto ac uita æterna propter mediatorem filium Dei, sicuti ibidem Cap. 1. inquit, Elegit nos in ipso ante conditionem mundi, ut essemus sancti & immaculati coram Deo, per dilectionem prædestinans nos ad adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.

Deinde & hic nouus homo Christus plenus est ueritatis, id est uera noticia Dei. Nemo enim nouit filium nisi pater, neq; patrem quisquam nouit nisi filius & cui uoluerit filius reuelare, Et unigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit, Hic enim
filius

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

filius uere & perfecte nouit patrem cum sit splendor gloria patris & expressa imago substantiæ illius. quam noticiam Dei per uerbum, quo patrem & se ipsum cum omnibus suis beneficijs reuelat & patefacit, & per spiritum sanctum credentibus communicat.

Hanc autem ueram noticiam Dei sequitur uera iusticia, sicuti Esaie 53. scribitur, Noticia sui seruus meus iustus, iustificabit multos.

Iubet igitur Paulus induere nouum hominem, sicuti & Rom: 13. præcipit, Induamini dominum Iesum Christum, quod fit dupliciter, Primum fide, cum cor humanum sentiens peccata sua, & iram Dei aduersus peccata, conterritum, confugit ad mediatorem filium Dei pro peccatis suis passum & mortuum, & fiducia huius mediatoris sese sustentat & in hoc solo acquiescit, & iam confirmatum spiritu sancto audet inuocare Deum, & ab eo se iuuari regi & defendi petit, quem ante renouationem fugiebat, Hæc est uera iusticia coram Deo, quæ amplectentibus uera fiducia propositum propiciatorem dominum nostrum Iesum Christum gratis imputatur & donatur, quæ non est nostri operis, sed bonitatis Dei, non imputantis nobis peccata propter filium qui pro peccatis nostris ἀντιποιον se patri obtulit

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

DEinde induendus est Christus ut exemplum quoq; ut ipsius uestigia & opera sequamur, Ita Christus dupliciter uestus est nostra. Primum ut co uestiti & induti tanquam munimento seu clipeo seu umbraculo aduersus iram Dei, aduersus furorē & ignita tela diaboli, ut infra docebit, aduersus legem damnantem, & terrentem nos, utamur, & ut hac ueste Christo Iesu peccata nostra in conspectu Dei sint tecta, sicut inquit Psalmus, Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata &c. Ita solus Christus est uera iusticia nostra, qua aduersus iram Dei & maledictum legis tegimur.

Hoc modo primum Christum fide induentes, donamur simul Spiritu sancto, qui in renatis odium peccati & nouos motus accendit, ueram & ardentem dilectionem & timorem Dei, ueram & spontaneam obedientiam & ceteras uirtutes, quae hoc loco enunciantur. Ita primum imputatiue noua creatura sumus conditi per Christum Iesum, quod propter hunc mediatorem non imputantur peccata, quod recipimur, donamur iusticia, Spiritu sancto ac uita aeterna.

Deinde etiam effectiue quod fide iustificati, recepti & facti iam Filij & haeredes Dei, sicut supra cap. 2. inquit

EPISTOLAE AD EPHESIOS,

inquit conditi sumus in Christo Iesu ad opera bona incipimus esse noua creatura. Neq; enim spiritus Christi, quem fide accepimus habitans in nobis, est ociosus, sed, ut in Romanis cap. 8. ait, Mortalia corpora nostra, hoc est quæ antea peccato & morti seruebant, ad ueram iusticiam & sanctitatem, placentem Deo propter mediatorem, quem fide amplexi sumus, uiuificat.

Ita Christum dupliciter induimus, Primum fide, ut in conspectu & iudicio Dei ipso tanquam ueste, scuto seu clipeo induti, muniti simus, in cuius conspectu (sicuti Propheta ait) non iustificabitur omnis uiuens. Deinde etiam exemplo coram hoc mundo, ut Christus in corde coram Deo indutus & lucens, fulgeat & luceat quoq; coram hominibus sicuti Matth. 5. precipitur, Et Philip. 2. Filij Dei irreprehensibiles, in medio nationis prauæ ac tortuosæ, inter quos lucete tanq; luminaria in mundo. Hanc totam renouationem seu regenerationem, quæ per fidem ac Spiritum sanctum fit, nouitatem uitæ in credentibus excitantem, uocat hic nouum hominem qui secundum Deum Creatus est in uera iusticia & sanctitate uera, non in Pharisæica aut Philosophica seu legis iusticia.

Sic & 2. Cor. 3. inquit Nos reueta facie gloriam

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Domini intuentes, ad eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam tanquam a Domini spiritu, hoc est lex reteguit nobis nostram faciem, turpitudinem & peccata nostra, sed intuentes & admirantes ineffabilem & immensam gloriam, id est, misericordiam & dilectionem Dei in filio Christo Iesu nobis exhibitam, qui est splendor glorie & imago Dei, transformamur ad eandem imaginem, id est, spiritus Christi habitans in nobis, inchoat in nobis similitudinem Christi, ut aliqua ex parte etiam in hac uita incipiamus esse similes imaginis Christi, sed in altera uita tandem plene & perfecte illum representaturi, Addit autem Paulus tanquam à Domini spiritu, id est, hoc non est humanarum uirium, sed spiritus sancti opus ita transformantis nos ad imaginem Christi.

Ceterum nullo modo audiendi sunt qui hoc tempore docent nos per renouationem seu ut ipsi uocant per iusticiam inherentem iustificari & affirmant eam constare, fide, spe, & Charitate.

Etsi enim sine renouatione sine fide, spe, Charitate & ceteris uirtutibus quæ fidem & renouationem sequuntur nemo seruari possit, tamen hæc uirtutes quas spiritus sanctus in renatis efficit & accendit, non sunt *causæ*.

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

cause, propter quas deleantur peccata, tollatur ira
 Dei, & donetur uita eterna.

Horum enim tantorum bonorum tantum unica cau-
 sa est, misericordia Dei promissa, quod propter uni-
 genitum filiū, qui se pro nobis miseris $\mu\epsilon\lambda\epsilon\sigma\iota\tau\eta\rho\upsilon\ \nu\omicron\upsilon\lambda\iota$
 inērup constituit, & nostra peccata & iram Dei ac
 poenas peccati in se transtulit, non uelit amplectentib.
 uera fiducia in Christo promissam misericordiam, im-
 putare peccata sed ea condonare, & simul propter
 hunc deprecatorem et propiciatorem recipere nos ut
 filios & heredes, & donare nobis uitam eternam.
 Sic enim sonat & principalis promissio, & prima
 uox Euangelij qua hæc bonitas Dei & misericordia
 reuelata est generi humano, ipsum semen mulieris
 conculcabit caput serpentis, hoc est, peccatum &
 mortem, in qua uestra culpa prolapsi estis, tollet fili-
 us Dei assumpta humana natura ex muliere, & amis-
 sam iusticiam & immortalitatem uobis restituet,
 Sic & altera promissio Abrahæ Genes: 22. sonat. In
 semine tuo (qui est Christus) benedicentur omnes
 gentes terræ, hoc est, Sicuti Adam author est pecca-
 ti, mortis & maledictionis omnibus gentibus terræ,
 ita filius Dei erit author iustitiæ, uitæ & benedicti-
 onis.

ENARRATIO CAPITIS QVARTI

Huic promissioni Adam & Abraham credentes iustificantur, hoc est, Sicuti Moses & Paulus inter-pretantur, hoc est, hæc fides reputatur illis pro iustitia, hoc est, Quia misericordiam Dei in promissione propter Christum non contemnunt, non abiciunt, sed fide acceptant & Deum ueracem in suis promissionibus credunt, qui quæ promiserit certo sit præstaturus. Ergo propter promissum liberatorem iam sunt accepti in gratiam ac placent Deo, non propter re-novationem, neq; præclaras uirtutes quibus uterq; ornatus fuit.

CAusa igitur efficiens iusticiam coram Deo est ipsius misericordia, promissa propter Filium, quæ cum fide acceptatur, imputatur hæc fides nobis ad iusticiam, id est propter hunc liberatorem recipimur & donamur uita æterna, non propter uitæ nouitatem quæ renatos sequitur. Sic & Paul. Rom. 4. & Gal. 3. contendit causam & fontem benedictionis & hereditatis, non esse legem, aut opera seu ulla merita, sed promissionem, quæ fide acceptanda sit, sicuti inquit, Idcirco ex fide datur hereditas, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio.

Cum igitur ex gratuita misericordia promissa constet iusticia, quæ fide accipienda est, Ergo non adscribenda

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

adscribenda aut imputanda est iusticia spei seu charitati, seu ceteris uirtutibus quae cum fide coniunctae sunt, sed soli misericordiae Dei propter Christum promissa.

DEinde quia renouatio in hac uita tantum inchoatur, perficienda in altera & multum imbecillitatis propter carnem adhuc manet reliquum etiam in renatis, sicuti Paulus de se conqueritur. Non inuenio in carne mea bonum, quae ipsa imbecillitas & concupiscentia in non renatis peccatum damnans, seu mortale est, in renatis uero ueniale & peccatum remissum, Sicuti Ro. 8. inquit. Nulla nunc condemnatio iis, qui in Christo Iesu sunt &c. Ergo uitae nouitas hic tantum inchoata & adhuc per carnem contaminata & ualde imbecilla & infirma, non potest esse iusticia, non potest consistere in iudicio Dei, aut irae Dei opponi, Sicuti testantur Psalmi. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia in conspectu tuo non iustificabitur omnis uiuens. Item si iniquitates obseraueris Domine, Domine quis consistet? Atq; haec praenatur Propheta renatus & plenus Spiritu sancto, ornatus summis uirtutibus, uera fide, amore, timore Dei & ceteris, tamen negat se cum his uirtutibus posse consistere coram Deo iudice damnante peccata.

Ostendit

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Ostendit autem aliud quiddam esse propter quod recipiamur & non imputentur peccata nobis, extra nos situm, Propitiationem nempe, misericordiam & copiosam redemptionem promissam propter mediatorem filium Dei, Sic enim ait, Quia apud te propitiatio est ut timearis, Item Speret Israel in Domino, & copiosa apud eum redemptio, lubet sperare Ecclesiam, sed non in suae uitae nouitate aut suis uirtutibus, sed in promisso propitiatore & redemptore Messiae filio Dei, ideo subijcit, Et ipse scilicet promissus liberator, redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

Postremo etsi spem & Charitatem necesse est coniunctam esse cum fide, & sequi uitae nouitatem, tamen haec uirtutes non constituunt nos filios & heredes Dei, sed certum est propter unigenitum filium Dei, nos in filios & heredes adoptari & diligi, ut supra Cap. 1. ostendit, Et Gal. 4. Misit filium suum Deus, ut adoptionem filiorum reciperemus. Et Ioh. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius etc. Non igitur uitae nouitas, spes aut Charitas iustificat, sed ideo recipimur, & donamur iusticia & uita aeterna, quod fide, hoc est, Certa & firma fiducia statuimus nobis propter mediatorem filium

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

filium Dei non imputari peccata & nos seruari, Non enim in alio est salus, neq; aliud nomen datum est hominibus in quo oporteat nos saluos fieri, ut in Actis inquit Petrus, Et Christus ait. Cum feceritis omnia, dicite serui inutiles sumus.

Quapropter deposito mendacio.

Post ueteris & noui hominis descriptionem subiicit iam per Rethoricam collationem, quam supra instituit utriusq; fructus seu opera. Sunt autem ueteris hominis opera. Mendacium, Iracundia, furturnum, Sermonis spurcicia, Amarulentia, tumor, Ira, Vociferatio, maledicentia & malitia. Noui hominis fructus econtrario sunt, ueritas, Patientia Liberalitas, Sermones casti, & ad pietatem & honestatem utiles, Candor, suauitas, modestia, tolerantia, pietas, bonitas, comitas, misericordia & cetera uirtutes quae hoc loco commemorantur.

Ceterum cum iubet deponere mendacium, imprimis prohibet haereses & sectas, & diuinae doctrinae corruptelas, id enim summum mendacium est, ortum à Diabolo, qui etiam in initio rerum cum primum conditum esset, tali mendacio, & falsa interpretatione mandati diuini, genus humanum decepit & per-

ENARRATIO CAPITIS QUARTI

& perdidit, Cum ad mulierem inquit Nequaquam
 moriemini, sed eritis sicuti dii &c. Postea omnibus
 etatibus semper quidam à Sathana excitati sunt, qui
 coelestem doctrinam uel sui commodi causa, uel ex
 contemptu aut odio Dei corruerunt, Quales men-
 daces hoc seculum plurimos habet. Deinde in genere
 prohibet quoq; in tota uita mendacia, & praesertim
 in contractibus omnes dolos, fraudes imposturas, Item
 in iudicijs calumnias, legum falsas interpretationes, &
 quicquid cum ueritate, simplicitate, & candore, Dex-
 teritate, & integritate pugnat. Ita & ad Thess. 4.
 inquit. Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fra-
 trem suum, propterea quod ultor est Dominus de om-
 nibus his &c. Et Prouerb. 12. Abominatio est Domi-
 no Labia mendacia, qui autem fideliter agunt placi-
 cent ei.

Quoniam sumus inuicem membra,

Additur ratio cur mendacium sit fugiendum.
 Sicuti enim in corpore politico membra quae
 ueritate, candore, & dexteritate coagmentata &
 coniuncta sunt, per mendacia imposturas & fraudes
 luxantur & dislocantur, & inde ira simultates, odia,
 rixae, contentiones, seditiones & alia mala plurima
 oriuntur, Ita & in Ecclesia membra per charitatem,
 que est

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

quæ est uinculum pacis, copulata, conuelluntur mendacijs. Præclare enim Menander ait.

Ἰαβδος διαβολῆ τῶν βίῳ λυμαίνεταί,
Mendacij crimen uitam lædit.

Et refertur Cleobuli sententia.

Ἰαβδος δὲ μισθὲ πᾶς φρόνιμος καὶ σοφός.

Iraſcimini & nolite peccare.

SECUNDUM præceptum est de frenanda ira, sump-
tum ex Psalmo 4. Hic autem locus docet primos
motus & impetus non esse in nostra potestate, sed re-
nouatos, tamen auxilio spiritus sancti hos posse co-
hercere & eis frena inycere, ideo ait. Iraſcimini &
nolite peccare. Et addit, Sol non occidat super iracun-
diam ueſtram, id est, nolite accendere, nolite alere
iram, sed eam studete extinguere & reprimere etc.
De ira autem coercenda multe præclare sunt sen-
tentiæ quæ semper debent esse in conspectu, ne commoti
aut ardentes iracundia peccemus.

Proverb. 35. Vir iracundus rixas prouocat, quæ
patiens est mitigat suscitatas, Et cap. 29. Vir iracun-
dus prouocat rixas, & quo quisq; ad indignandam
facilior est, erit ad peccandum procliuior.

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

Phocyllides.

Μὴ προπετιῆς ἐς χεῖρα χαλίνου δὲ ἀγχιον ὀργῆν
πολλὰν ἢ πληξιάς, δέκωρ φόνον ἐστέλεσα.

Menander.

Ἄνθρωπος ὦρ, γίγνοσκε τῆς οργῆς κρατῆρ
ὀργῆ δὲ πολλὰ δῖα ἀναγκάζει κακὰ.

Nolite locum dare Diabolo.

Tertium præceptum, ita regendam & instituen-
dam esse uitam, ne calumnie pateat, ne pro-
pter nos doctrina cœlestis in contemptum ueniat, aut
Deus propter nos blasphemetur etc. Cætera præcepta
plana & perspicua sunt.

Et nolite contristare Spiritum
sanctum Dei.

Huius dicti enarratio in Argumento Epistolæ
explicata est. Queritur hic quomodo possit
contristari Spiritus sanctus, Cum Deus sit æternus &
immutabilis, ac recte respondet S. Augustinus, Con-
turbari cum uel letificari quatenus in sanctus habitat.
Testatur enim scriptura Deum uere tangi & affici
nostris uel bonis uel malis. Vere enim diligit genus
humanum Deus à se conditum, sicut inquit per Pro-
phetam. Vivo ego nolo mortem peccatoris, sed ut ma-
gis conuertatur & uiuat, Et Iob, 3. Sic Deus dilexit
mundum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

mundum etc. Item Deus uult omnes homines saluos fieri & ad cognitionem ueritatis uenire.

Cum igitur sancti uel dolent uel letantur, dicitur spiritus sanctus habitans in ipsis simul cum eis contristari uel letari, Sicuti & Rom. 8. scriptum est, ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Veluti hoc tempore in multorum piorum cordibus spiritum sanctum conturbant isti, qui abolita uera doctrina Dei & ueris cultibus rursus in Ecclesias corruptam doctrinam, Abominationes Missarum, inuocationes mortuorum sanctorum, Monachatum, & ceteras nugas ac hominum traditiones reuocant, & haec idola colere nolentes, exilijs, carceribus, & capitalibus supplicijs puniunt, urbibus exitia, & regionibus bella, & uastationes mimantur. Quibus malis plerique in quibus antea spiritus sanctus habitabat, contriti, ex desperatione & quod uitam & facultates suas plus quam Deum diligunt, doctrinam Dei abijciunt, spiritum excutiunt ac scientes idolatricos cultus & doctrinas corruptas recipiunt, Alij sancti retinentes doctrinam & spiritum sanctum, uehementer contristantur ac dolent. Ecclesias pie & bene constitutas iterum lacerari, Prophanari & pollui idolis & abominationibus, ac metuunt ne tota doctrinae lux & puritas deleatur, Cauendi igitur omnes lapsus sunt, per quas impiorum mentibus spiritus sanctus contristatur etc.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI
CAPVT QVINTVM
ad Ephesios.

Sitis igitur imitatores Dei etc.



Ergit Paulus concionari de operibus in uita politica in genere ab omnibus praestandis, infra enim de operibus economicis dicit. Coheret autem hoc caput cum uerbis praecedentibus ubi monet iniurias & offensas sic esse condonandas fratribus, sicuti Deus nobis eas propter Christum mediatorem & intercessorem remisit. Hoc exemplum Dei patris iubet nos hoc loco, ut filios dilectos imitari.

Observandus igitur hic locus est contra Antinomos, qui contendunt, non opus esse ijs, qui iam filij Dei sint, doctrina aut obseruatione legis, Etsi enim iusticia ex lege non sit, tamen quia aeternum & immutabile mandatum Dei est lex, ideo humana natura perpetuo obligata est legi, quod ad obedientiam attinet, sicuti in Romanis inquit Paulus, Debitores legis sumus.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Sumus, Sed quia Christus pro nobis factus est maledictum, ideo a maledictione legis per ipsum credentes liberati sunt, ut Gal. 3 scriptum est. Quanquam enim credentes in Christum ius adoptionis filiorum Dei consequantur, & à maledictione legis liberentur, ita ut iam non amplius sint sub lege maledicente, sed sub gratia & benedictione seminis Abrahamæ tamen nihilominus manet perpetua obedientia erga legem, cum sit immutabile Decretum Dei, Diligas dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. quæ obedientia inchoata, quanquam imperfecta sit, tamen in filiis & renatis propter Christum Deo est grata & accepta.

Docet igitur hoc loco Paulus eos non esse filios Dei, quos novitas vitæ non sequitur.

Sunt autem dulcissima verba quibus nos ad dilectionem, & vitæ novitatem hortatur, iubet nos intueri & considerare ineffabilem bonitatem & dilectionem Dei patris erga nos, qui ut ipsi reconciliaremur, & eius filij ac heredes efficeremur, Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, Hunc Dei patris immensum amorem erga nos hostes suos, proponit nobis ob oculos, sicuti & Rom. 5 facit, & iubet nos eum imitari, ut frenatis & deletis flam-

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

mis, iræ, odij, uindictæ etc. sic & amicos & inimicos diligamus, sicuti ipse nos inimicos suos dilexit, ut ipsius bonitas non in hoc tantum quotidie lucet, quod solem suum sinit oriri supra bonos & malos, sed omnium maxime in morte unigeniti & dilectissimi filij sui, quem in turpissimam mortem pro nobis redimentis tradidit.

Ac profecto hic amor Dei erga nos miseros mortales & inimicos suos, maior est quam ab humana mente aut ab ulla creatura, & ne quidem ab Angelis capi possit, Cuius immensi amoris consideratione nos ad redamandum Deum, & ad dilectionem proximi excitari & inflammari uult Paulus. Ideo inquit, Sitis imitatores Dei, ut filij dilecti, quasi diceret, antea eratis filij iræ, id est, addicti iræ morti & eterne maledictioni, At iam Deus misso filio suo unigenito, suum erga uos ineffabilem amorem declarauit & abundanter effudit, & uos in illo & propter illum dilectum, ut filios charissimos diligit. Quantum autem bonum est esse filium Dei & ab eo diligi? Hunc necesse est quoque ab omnibus creaturis diligere. Sicuti & in Rom. Cap. 8 ait, Tota creatura sollicitè expectat reuelationem filiorum Dei. Quanquam enim nunc filij Dei sumus, tamen nondum apparuit id quod

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

id quod futuri sumus etc. ioh. 3. Vult igitur Paulus nos conformari ad dilectionem, studia, mores & uirtutes Dei patris nostri, per quem ex fide Domini nostri Iesu Christi, in ipsius filios ac heredes denuo renati sumus.

Et Ambulate in dilectione.

Quia Deus est charitas, ergo eos qui ex Deo nati sunt, in dilectione uiuere decet, ut naturam Dei patris sui representent, & ab ea non degenerent. Ambulandum autem est in dilectione, Primum erga Deum, Patrem nostrum, ut summa fiducia, summo amore, & timore eam complectamur, ut prius quam ab ipso nos auelli patiamur, malimus potius amittere, uxores, liberos, facultates, ino & uitam. Ab hoc enim patre & Domino solo, omnia bona corporalia, caelestia & eterna habemus, qui adeo nos diligit, ut morte unigeniti filij sui nos uoluerit redemptos, Quantum igitur scelus est hunc patrem ita nos complectentem, nolle rursus complecti & redamare?

Deinde ambulandum quoque est in dilectione erga proximum. Hoc enim (ut i. ioh. 4. scriptum est)

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Sicut & Christus dilexit nos.

PROPOSITIO exhortationis ad charitatem exercendam est, quod inquit, Estote imitatores Dei sicut filij dilecti, Et ambulate in dilectione, hanc confirmat iam sumpto argumento ab ipso Domino nostro Iesu Christo, Cuius erga nos summum amorem spectandum & considerandum ob oculos ponit. Quia uero Paulus suo more hic obiter, & uerbis breuissimis beneficia Christi & summam doctrine Euangelij complexus est, ideo uberius hæc dulcissima sententia explicanda, & altius insigenda animo est, ut tum cum conscientie sensu peccati & conspectu iræ Dei, sunt perterrefacta, talibus dictis rursus nos erigamus & confirmemus, Neque credamus agentes penitentiam & fide amplectentes filium Dei, Deo esse exosos, sed eos propter filium diligi, recipi, & seruari, sicuti & illa sententia propheta iurciurando confirmata testatur, Vius ego nolo mortem impij, sed ut magis confirmetur & uiuat.

Conuersione primum opus est, hoc est agnitione peccatorum & uero dolore pro commissis peccatis, postea simpliciter & firmiter ex promissione
Dei

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Dei & ex eo quod missus est filius, statuendum est nos diligere & recipi gratis propter mediatorem filium. Explicabimus autem sententiam per circumstantias.

Principio expendendum est quod ait Christus dilexit nos, de hoc enim anguntur misera conscientia quod homines putant se exosos Deo, se non curari, non respici à Deo, sed esse abiectos & damnatos, contra quos conscientiarum angores & tentationes, opponantur talia dicta, & statuamus conuersos uere diligere, recipi & seruari propter filium.

Consideretur primum amor Dei patris, erga totum genus humanum, qui, ne periret, unigenitum filium in turpissimam mortem abiecit, quem amorem patris semper nobis uult esse in conspectu filius cum inquit, Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat uitam aeternam.

Deinde talibus tentationibus opponatur & filij Dei amor erga nos, qui nos creaturam & figmentum suum, summo amore inde ab initio, quo nos condidit, semper complexus est, uidelicet cum post lapsum statim supplex pro nobis seruandis factus est patri, & iram patris & poenas meritas in sese deriuauit.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Consideretur igitur primum. Qui sint qui nos ament, Pater nempe, & filius ac simul Spiritus sanctus, unus & eternus Deus conditor & conseruator rerum, Cum hic nos complectatur, non obesse poterit odium Diaboli & mundi.

Deinde quantopore nos amet pater, & quo pignore suum erga nos amorem testari uoluerit, nempe quod pro nobis redimendis, non Angelum seu creaturam, sed filium & quidem proprium ex sua natura ab eterno natum, & cum quidem unigenitum miserit, & cum nobis donarit. Nullo igitur pignore alio certius & stabilius suum erga nos amorem testari potuit quam dato filio.

Ita & firmissimum indicium amoris filij erga nos est, quod non Gabrielem, non aliquem ex angelis, non hominem aut aliquam creaturam, non aurum aut argentum, sed quod ipsi omnium Charissimum est Semeipsum, corpus, sanguine, & uitam suam pro nobis $\lambda\upsilon\tau\rho\sigma$, ut hic & alibi ait Paulus, tradidit, Maiorem enim (ut ipse Iob. 15. ait) hac, dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Hoc preciosum $\lambda\upsilon\tau\rho\sigma$ nostrum, iubet & Pet. 1. Pet. 1. nos intueri & considerare, cum inquit sciatis uos non caducis rebus, uelut argento

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

gento & auro fuisse redemptos, sed præcioso sanguine, ueluti agni immaculati & in contaminati Christi etc.

Proponit igitur hoc loco Paulus exemplum quod nullum, ad animos tum ad Dei tum proximi dilectionem exuscitandos & inflammandos, esse potest maius & efficacius, quod semper in conspectu omnibus pijs esse debet. Cum enim Pater filium nobis donarit, Cum filius semetipsum pro nobis tradiderit, cur nos pigeat aut poeniteat pro fratribus aurum & opes, imo & uitam nostram hanc uilem & miseram expendere, Sicuti. 1. Ioh. 3. præcipitur, In hoc cognouimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

Ceterum hic locus refutat eorum errores qui contendunt homines uel proprijs uiribus, meritis aut operibus, uel ijs operibus saluari que renouationem sequuntur. Ostendit enim Paulus tantam aduersus peccata fuisse iram Dei, ut nulla alia oblatione & hostia placari pater uoluerit, neq; peccata expiari poterint, quam quod filius semetipsum in oblationem & hostiam Deo patri tradidit.

Facessant igitur omnia omnium etiam sanctissimorum merita & opera, & credamus propter hanc solam et
unicam

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

unicam hostiam placatum nobis patrem, & propter hanc solam victimam nos recipi & saluari, Sicuti Epistola ad Heb. cap. 9. inquit Christus semel oblatus est ad multorum tollenda peccata etc. Item sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel, Et una oblatione consumuit in sempiternum sanctificatos.

Pro nobis.

Tertia circumstantia est pro quibus Christus Filius Dei sese tradiderit. Cogitet autem aliquis, necesse est fuisse sanctos homines, amicos Dei & bene de Christo meritos, pro quibus sese in mortem tradiderit, Sed sciendum est Christum pro nobis, qui inimici & hostes Dei eramus, se tradidisse, quae res ipsius erga nos amorem impensius commendat, sicuti ad Rom. 5. Paulus haec copiosius declarat, Dilectio Dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Nam Christus quum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impijs mortuus est. Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem suam Charitatem erga nos Deus, quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est etc.

Oblationem

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Oblationem & hostiam.

Amorem Christi erga nos commendat & hoc, quod se pro nobis tradidit non ad ocium & voluptates, sed in horribiles cruciatus, in ignominiam, opprobrium, mactationem, crucem & mortem, & quod hæc non coactus sed sua sponte, ex ineffabili erga nos amore fecerit, sicuti inquit Propheta oblatum est quia ipse uoluit, Docet autem & hic locus cum hanc hostiam filium Dei pro expiandis humani generis peccatis mactari & offerri oportuerit, frustra iactari hominum opera, merita & satisfactiones pro peccatis, quæ hostia, sicuti immensam iram Dei aduersus peccata, ita & ineffabilem bonitatem amorem & misericordiam erga nos declarat.

Deo.

Ostendit cui hæc hostia oblata sit, Deo nempe, is enim propter lapsum & inobedientiam Adæ offensus & humano generi iratus placandus erat. Erat autem hic opus mediatore, qui inter Deum & genus humanum sese reconciliatorem & placatorem interponeret, Et quia contra inobedientiam ab ipso Deo lata erat sententia, In quacumq; discederis morte morieris, necesse erat, cum hoc decretum Dei esset immutabile, aliquem poenam mortis luere.

Oportuit

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Oportuit autem hunc primum esse Deam, ut peccatum delere, Diabolum & mortem uincere, & innocentiam & immortalē uitam humano generi reſtituere, & ut iram Dei ſuſtinere poſſet, ac ut æquiualens precium patri pro redemptione redderetur cum enim peccati offenſa ſit infinita, infinitum quoque precium pro genere humano dari neceſſe fuit.

Deinde quia homo peccauerat & ſententia mortis aduerſus hominem iam lata erat, neceſſe erat hunc mediatorem aſſumere humanam naturam, ut quā homo poenā meruerat, Deus homo factus patri perſolueret, ideo inquit Paulus hanc uictimam ad placationem & perſoluendam poenam oblatam Deo. Quare nulla alia uictima placare iram Dei poteſt quam hæc unica, quæ & diuinam naturam & humanam habet.

In odorem ſuauitatis.

Hæc uerba ſumpta ſunt ex Moïſe quibus Paulus ſacrificia ueteris Teſtamenti exponit & oſtendit, quæ ipſorum fuerit ſignificatio, Sic enim Genef. ſ. ſcriptum eſt, Noe obtulit holocauſta ſuper altare, Odoratusque eſt Dominus odorem ſuauitatis etc, Et in ſequentibus libris Moïſi ſæpe de ſacrificijs eadem

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

eadem uerba repetuntur. Quia uero talium sacrificiorum odor non ita gratus est, necesse est alium fuisse odorem quem in holocaustis Dominus sit odoratus, Significat autem Dominum delectatum fuisse sacrificio Noe & ceterorum patrum & piorum hominum, qui in agnitione & fide promissi seminis mulieris, quiq; in uera inuocatione, in timore & amore ea Deo offerebant, & ijs sacrificijs suam fidem testabantur, quod crederent iuxta promissionem uenturum semen mulieris, quod ad expianda peccata mundi, sese Deo esset oblaturum.

Hæc fides, inuocatio, propagatio ueræ doctrinæ, timor & amor Dei, & ceteræ uirtutes coniunctæ cum fide, & annexæ sacrificijs & omnibus operibus piorum hominum omnibus seculis, sunt ille suauis odor quo delectatur Dominus, quod grata illi sunt sacrificia, & opera omnia ab ipso mandata, quæ in fide & agnitione Christi & per hunc pontificem mediatorem & intercessorem nostrum Deo offeruntur, sicuti 1. Pet: 2. scribitur, Offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.

Neq; enim sacrificia seu ulla opera quantumuis speciosa sine fide & agnitione filij Dei gratus odor sed
setor.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

fetor & abominatio sunt coram Deo. Per hunc enim solum habemus accessum ad patrem Supra cap. 2. Et sicuti pontifex noster ipse inquit. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Ideo ad Hebr. cap. 11. scriptum est. Per fidem uberiorem hostiam Abel obtulit Deo quam Cain, Et sine fide impossibile est placere Deo.

PRæcepta igitur à Deo fuerunt sacrificia in ueteri testamento, & hoc tempore in nouo testamento bona opera mandantur omnibus, sed qui ea sine uera fide, timore & amore, sine agnitione unici & æterni sacrificij filij Dei offerunt, si non credant per hanc solam uictimam placatum patrem, ac ipsi suis sacrificijs, ut olim pontifices sacerdotes, scribæ pharisæi existimabant, atq; ideo sacrificia cumulabant, aut suis operibus, ut hoc tempore nostri sacrificiuli per missas, ieiunia & alia opera omisso mediatore, Deum placare uolunt, Hi non suauem odorem, sed tetrum & abominandum fetorem Deo offerunt, sicuti testatur psal. 49. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum bibam? Et Esais ultimo, Qui imolat bouem, quasi qui interficiat uirum, Qui mactat pecus, quasi qui excerebret carnem.

Sola igitur Christi oblatio & hostia tam fragrans odor

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Odor fuit quo ita delectatus est Pater ut remiserit
 tram & peccata, & iterum humano generi sic re-
 conciliatus, neq; sacrificiū aut opus ullum quantum-
 us splendidum illi gratum & acceptum est, nisi hoc
 fragranti odore, id est agnitione Christi sit consper-
 sum & per hunc mediatorem illi oblatum,

Odor igitur suauitatis in sacrificijs significat pri-
 mum Christi sacrificium offerentis semetipsum Deo
 pro reconciliando mundo, quo sacrificio unico &
 summo summe delectatur Pater, sicuti inquit, Hic est
 Filius meus dilectus, in quo delector. Deinde signifi-
 cat uocem Euangelij quæ de beneficijs Christi tan-
 quam suauissimus & dulcissimus odor per totum or-
 bem terrarum late sparsa & diffusa, agras conscien-
 tias, saucias sensu peccati & mortis recreat, cum quæ
 uoce Euangelij simul coniuncti sunt ceteri fragran-
 tes odores, inuocatio Dei, gratiarum actio, sacrificium
 laudis, & celebratio nominis diuini, confessio & c.
 Ita Paulus 2. Cor. 2. ait. Deo gratia, qui semper trium-
 phat per nos in Christo Iesu, & odorem noticiæ suæ
 manifestat per nos in omni loco, Quia Christi bonus
 odor sumus Deo in ijs qui salui fiunt & c.

Idco quoq; Rom. 15. Ostendit se sacrificare Euan-
 gelium

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

gelium ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata per Spiritum sanctum. Deo, quo sacrificio Doctrinae Evangelij (ad quem locum Propheta Paulus respexit se uidetur) Et Malachias cap. 1. loquitur. Cum ait, Ab ortu solis, usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda & c. Quem locum aduersarij corrumpentes, ad stabiliendas Missarum abominations citant.

Cacterum hortatur nos hoc loco Paulus, ut sicuti Christus semetipsum tradidit pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, ita & nosmetipsos offeramus, Deo hostiam ^{euangeli-} ^{uam} qua erga Deum nostram gratitudinem testemur, pro summo illo sacrificio filij Dei, quo solo peccata nostra expiata sunt, & iterum nobis Pater reconciliatus est, sicuti & ad Rom. 12. monet, cum ait, Oblate uos fratres per miserationes Dei, ut prebeat corpora uestra, hostiam uiuentem sanctam, acceptam Deo, rationalem uestram cultum.

Sciendum autem est duplicia esse sacrificia. Primum propitiatorium quod unicum & eternum

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

num est, quo peccata sunt deleta & placatus est Pa-
 ter, De quo Paulus hic & Roma. 3. Quem proposuit
 Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipsius
 sanguine & c. Et ad Hebræ. cap. 10. Christus unica
 oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui
 sanctificantur. Quare ad delenda peccata, ad placan-
 dam iram Dei, ad promerendam iusticiam & ui-
 tam æternam nulla amplius hostia, sed fide tantum
 opus est, qua Christum hostiam tuam amplectare
 & statuas propter illum; te recipi, te esse filium
 & heredem Dei & cohæredem Iesu Christi, qui
 factus fuit nobis sapientia à Deo, iusticiæq; & san-
 ctificatio & redemptio, ut qui gloriatur non glorie-
 tur in sua sapientia, iusticia aut sanctitate, sed in Do-
 mino nostro Iesu Christo 1. Corin. 1.

Reliqua sacrificia omnia non sunt, nec esse pos-
 sunt propiciatoria, sed tantum sunt εὐχαριστικὰ qui-
 bus testamur gratitudinem nostram pro æterno sacri-
 ficio filij Dei. Quamquam enim Christus sit summus
 & æternus sacerdos, qui solus & unicuique doctor &
 Magister ex sinu æterni patris cœlestem doctrinam
 protulit, & qui solus sua oratione seu intercessione,
 r 2 & solo

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

& solo suo sacrificio placare Patrem potest, tamen
 credentibus in ipsum, sacerdotalem honorem & dig-
 nitatem cōmunicat, & per uerbum ac oleum Spiritus
 sancti eos in sacerdotes ungit, & ordinat, ut & ipsi
 ministerio sacerdotali fungantur, quod præcipue in
 tribus consistit, in propagatione, & defensione uere
 doctrinæ, Deinde in oratione & intercessionē, pro se
 atq; adeo pro toto corpore Ecclesie Dei, Postremo
 quoq; in offerendo seu sacrificando, sed horum sacer-
 dotum sacrificia cuiuscunq; sint generis, tantum, ut
 dictum est, sunt sacrificia gratiarum actionis, non ex-
 piationis aut placationis, & sunt hostiæ Spirituales
 seu rationales cultus, ubi non tantum pecudes mactan-
 tur, & res externæ offeruntur, sed sacrificantur in
 uera fide & agnitione mediatoris pro gratiarum
 actione quod ipse se pro nobis Deo Patri obtulit, tota
 corpora nostra, mortificatur totum corpus cum om-
 nibus membris exterioribus & interioribus cum con-
 cupiscentijs & affectibus ut totum obediat Spiritui
 non carni, & ut sit oblatio sancta & accepta Deo
 propter Dominum nostrum Iesum Christum, sicuti
 & 1 Pet. 2 scriptum est, ipsi tanquam uiui lapides su-
 per edificamini in sacerdotium sanctum, offerentes
 hostias Spirituales, acceptabiles Deo per Iesum Chri-
 stum.

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Hoc sacrificium gratiarum actionis non comple-
 ditur tantum unum atq; alterum opus, sed omnia
 opera primæ & secundæ tabulæ, & tam externa
 quam interna, De quibus sacrificijs & Psalmi lo-
 quuntur Psal. 4. Sacrificate sacrificium iusticiæ, &
 sperate in Domino, Et Psalm 50 Imola Deo sacrifi-
 cium laudis. Et Psal. 51. Sacrificium Deo Spiritus con-
 tribulatus, Et Heb. 13. Per ipsum offeramus hostiam
 laudis semper Deo, id est fructum labiorum confiten-
 tium nomini eius.

Ita in fide & agnitione Filij Dei, ac per hunc pon-
 tificem oblata sacrificia nostra, sunt quoq; suavis odor
 Deo, id est, propter Filium sunt grata Deo.

Monet autem hic locus de sacrificijs, nos non esse
 noceatos ad huius vitæ voluptates, sed ad maestatio-
 nem, ut uetus natura aboleatur & occidatur, & of-
 feratur Deo in odorem suauitatis.

πορνεία ἢ καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία. ἢ πλονεξία
 μηδὲ ὄνομαζέσθω ἐν ὑμῖν (καθὼς πρέπει
 ἁγίως) καὶ ἀιχρότης, καὶ μωρολογία, ἢ ἐυξά-
 πηλια etc.

Supra in initio huius capituli ostendimus Paulum
 spergere hic in exhortatione ad ueram conuer-
 sionem

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

sionem seu poenitentiam, quam supra capite quarto est exorsus, ubi illustribus uerbis conuersionem piarum describit, cum ueterem hominem deponere iubet, & renouari in Spiritu mentis, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum est conditus, in uera iusticia & sanctitate, Quibus uerbis illorum error taxatur, qui doctrina fidei ad libertatem carnis abutuntur.

Sunt enim plurimi, cum doceri audiunt, nos non respectu nostrorum operum aut meritorum, sed gratis propter Christum, & propter illius solius merita recipi & saluari, qui mox sibi, nescio quam fidei persuasionem, sine aliqua conuersione & renouatione fingunt, ac existimant se sola illa noticia articulorum fidei saluari, etiam si in delictis contra conscientiam perseuerent. Hunc errorem & hic & sepe alias ut I. Cor. 6. taxat Paulus ubi ait. Nolite errare, Neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri etc, regnum Dei possidebunt. Et Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immundicia &c, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Sciendum igitur est fidem, quae est fiducia misericordiae promissae propter Christum, existere non posse nisi in ijs, qui uere poenitentiam agunt, & regenerationem non esse persuasionem aliquam frigidam, sed

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sed durum & asperum opus, in quo maiores dolores sunt, quam in ipsa prima hominis natiuitate carnali. Necessesse est enim ueterem hominem, cū suis operibus exui, aboleri & mortificari, hoc est damnari naturam peccatricem, & perterrefieri conspectu & sensu iræ Dei & æternæ mortis, ut nouus homo resurgere possit, qui secundum Deum uiuat in uera iusticia & sanctitate.

Quamdiu Manasses est idolatra, quamdiu occidit Prophetas et perseueret in suis furoribus, est sine fide, sine Spiritu sancto, & est membrū diaboli, iuxta illud Ioan. Qui facit peccatū ex diabolo est. Sed posteaquā incipit agnoscere peccata sua, & sentire iram Dei aduersus peccata, & fiducia misericordiæ promissæ se erigit, ibi non solum crescit in eo fides, & fit habitaculum Spiritus sancti Manasses, qui antea Diaboli cloaca erat, sed et ita regeneratur, ut omnes priores actiones & furores suos damnet, et in noua iusticia & sanctitate uiuere incipiat, quæ uitæ nouitas, nisi conuersionē Manassis esset secuta, esset abiectus & damnatus à Deo, neq; uera conuersio, sed hypoerisis fuisset.

Quamquam igitur non propter conuersionem aut uitæ nouitatem, sed gratis per misericordiam propter mediatorem recipiamur, tamen ut seruetur Manasses, necesse est eum agnoscere sua peccata & exuere ueterem hominem & inducere nouum.

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

Fugiamus igitur tetrum Antinomorum errorem, qui affirmant homines etiam perseverantes in delictis contra conscientiam, posse saluari. Cum enim fides sit fiducia, qua ex sensu iræ Dei contra peccatum, cor contritum & expauesfactum rursus erigitur & in donato ac simul agnito propiciatore Filio Dei acquiescit, sicuti in Rom. dicitur. Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, nihil tam fidei contrarium est, quam sunt peccata contra conscientiam, quibus conscientia perpetuo sauciatur, quæ fide per mediatorem, pacem erga Deum habere debet.

Quamquam autem hæc uita nouitas quæ fidem sequi debet, & hæc inchoata obedientia, etiam in renatis adhuc sit ualde imbecilla & multis sordibus contaminata, tamen quia eam uult & requirit. Deus, omnino præstanda est, & ut recte præstetur ac placeat Deo tria præcipue sunt necessaria.

Primum ut statuas te gratis propter Filium Dei recipi & placere Deo, Deinde quamquam scias te propter Filium Dei receptum gratis, tamen necesse est te agnoscere & deplorare imbecillitatem & prauitatem nature tue, quæ in hac uita in omnibus
sanctis

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sanctis manet reliqua & necesse est te scire quod propter hanc non possis satisfacere legi Dei.

Postremo autem quanquam non impleas legem, tamen statuas Deo placere illam tuam inchoatam & imperfectam obedientiam propter Dominum nostrum Iesum Christum. Hoc modo Paulus hic postquam in precedenti capite de renouatione docuit, subiicit exhortationem qua ostendit qualem uitam in conuersis & renatis postulet Deus.

πορνεία &c. Scortatio autem &c.

Primum autem uitium, quod uitare monet, est scortatio, quod uitium apud gentes, cum tam vulgare et usitatum esset, ut prope non putaretur peccatum, praesertim in adolescentibus, sicuti Terentianus Mitio quoque inquit.

Non est flagitium (mihi crede) adolescentulum Scortari, neque potare, non est &c.

Ideo Apostoli statim in prima synodo Acto. 15. Praecipunt gentibus conuersis, ut à scortatione uicio usitatissimo abstineant. Sicuti & hodierno tempore quidam homines à Deo contendunt fornicationem non esse peccatum, uocant autem fornicationem

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

cum solutus cum saluta commiscetur. Verum cum alibi tum hoc loco talibus sceleribus pollutos, negat Paulus habere hereditatem in regno Dei. Cum enim Deus sit mens casta, prohibet omnes commixtiones que extra matrimonium fiunt, quod ideo instituit, ut seruetur castitas, & omnis immundicia uideatur, & nota est Paphnutij in Concilio Niceno uox, qui cum contenderet onus celibatus non esse imponendum sacerdotibus, dixit. Castitatem esse usum conjugalem cum propria uxore.

Vt autem uitetur fornicatio, iuuentutem monere debent hæ rationes.

Primam mandatum Dei qui castitatem præcipit, & cum ad imaginem suam hominem condiderit, uult in eo hanc uirtutem inter ceteras quoque lucere, & eum non esse imaginem seu laruam diaboli, pollutum & contaminatum libidinibus, & immundicia, sed sanctum & impollutum, sicuti & 1. Thess. 4. præcipitur, Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstinatis uos à fornicatione, ut sciat unusquisque uas suum possidere in sanctificatione & honore &c. Non enim uocauit nos Deus in immundiciam, sed in sanctificationem. Item Heb. 12. Sectamini sanctificationem, sine qua nemo Deum uidebit &c.

Secundo

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Secundo ut vitentur poenae quibus Deus scortatores, cum in hac, tum in altera uita punit, propter haec enim inquit hoc loco Paulus, uenit ira Dei in Filios inobedientes. Punit enim Deus in hac uita tales foeditates non modo uarijs morborum generibus, uidelicet scabie Gallica & multis alijs, & quod riuales in mutuas caedes saepe ruunt, sed saepe etiam totae gentes propter talem immundiciam cuertuntur, Sicuti Leuit. 18. talibus minatur Deus cum inquit. Cauete ne & uos similiter terra euomat, cum paria feceritis, sicut euomuit gentem quae ante uos fuit. Et non modo sacra, sed omnium gentium historia plena est exemplorum, quam horribiliter Deus libidines puniuerit, ut testatur diluuium, Sodoma & Gomorra, Cananei deleti, Item tribus Beniamin prope extincta Iudic. 20. Dauidis poena etc. Illud uero omnium grauissimum est quod & in altera uita Deus horum scelerum uindex erit, ut Epistola ad Hebre. inquit. Scortatores & adulteros iudicabit Deus.

Tertio uitanda est fornicatio ne impediatur inuocatio. Neque enim in pollutis talibus libidinibus uera inuocatio esse potest. Tales enim plerumque sunt ἀσωτηνοὶ & ruunt in contemptum Dei, ita ut amentia & coecitate percutiantur, nec facile agunt poenitentiam.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Hec autem ut vitari possint, necesse est quoque vitare occasiones talium peccatorum, iuxta vulgare dictum. Qui peccata vitare uolet, vitet etiam peccandi occasiones, quales sunt corruptorum & contaminatorum hominum consortia & colloquia, ocia, Lusus, comotationes, luxus & omnes finales illecebre & incendia libidinum.

ἢ ὡς λέγουσιν

Secundum vitium quod vitari iubet, est Auaritia. Sicut enim scortatio iuuentutis, ita auaritia senum proprium vitium est, a quo nos dehortari debet, primum ordo creationis omnium rerum. Prius enim quam homo rerum omnium Dominus conditur, instruuntur omnia, que homini ad vitam sustentandam necessaria sunt. Extruitur domus omnium pulcherrima instructa copiosissimo penu omnium rerum necessariarum, Coelum & terra, Coelum tanquam tectum domus exornatur Sole, Luna & stellis luminibus pulcherrimis, que noctu & interdiu lucem homini prebeant. Aquae iubentur producere uaria piscium & auium genera, Terra uero iumenta & multi generis animalia & herbas, arbores & plurimos fructus.

Hec omnia ubi in usum hominum primum creata sunt, tandem horum omnium Dominus homo conditur.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tur. Quo ipso facto Deus testatur se gerere curam pro nobis, se uelle nos alere, fouere, tueri & nos nec debere esse sollicitos de rebus ad uitam necessarijs, uerum illi omnem curam committere.

Secunda ratio sumitur à consideratione natiuitatis, & conditione hominis. Neq; enim cum nascimur, quicquam rerum ad uitam necessariarum nobiscum ex utero matris afferimus, sed destituimur omnibus rebus necessarijs. Hic igitur cernitur, Dei erga nos bonitas, qui quos in utero inclusos fouit & aluit, iam ipsius beneficio exclusos & in lucem perductos, matrum uberibus tanquam fontibus ad hoc conditis rursum fouet & nutrit, & ad excubias nostras sanctos Angelos mittit, qui diabolum à nobis propellant, & quorum custodia, & beneficio in omni uita nostra tegamur & res necessarias habemus. Sic & Paulus 1. Timo. 6. inquit. Nihil intulimus in mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus, habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.

Tertia ratio est magnitudo peccati. Affirmat enim hoc loco Paulus auaros esse idolatras, & ibidem ad Timotheum inquit. Auariciam esse radicem omnium malorum. Quid autem turpius est, quam hominem

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

hominem ad imaginem Dei conditum, non in Deo Domino & conditore suo, sed in auro & argento in creatura, in re mortua, fluxa & fragili spem & fiduciam suam ponere, & illam Dei loco colere, sicuti faciunt auari?

Deinde auaritia ualde tectum & latens ac tale peccatum est, quod quanquam plurimi eo uitio laborent, tamen paucissimi agnoscunt, cui fere ab omnibus tales pretextus queruntur, ut putent se in corradendis & coaceruandis opibus, siue id iure siue iniuria fiat, non peccare.

Cicero
Senes quatinus
to minus re-
stat uie, tan-
to plus que-
runt uiatici.

amicorum, quibus sua relicturus sit, alius inopiam cui querendum sit uiaticum, alius aliam causam pre-
textit, quibus operculum huic uitio queritur. Ideo in-
quit Beatus Gregorius. Omnes infirmi sumus, sed in-
firmior est qui suam infirmitatem nescit. Et refertur,
diabolum aliquando a quodam interrogatum, prop-
ter quod peccatū quamplurimi damnarentur? respon-
disse, multos existimare plures propter libidines quam
propter cetera peccata damnari, id falsum esse, scdas
enim libidines tam crassa peccata esse, quæ facile ag-
noscerentur, ideo plurimos agere poenitentiam et ser-
uari, Auaritiam uero, qua plurimi tenerentur, quasi
uirtutem uidelicet parsimonie aut frugalitatis specie
tectam,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

lectam, non ita agnoscitur, et etiã à multis excusari, ideo
auaros rarissime agere poenitentiam atq; ita perire.

Accedit ad hoc cum cetera peccata ut est crapula,
libido superbia & pleraq; alia etate minuuntur, Auaritia
quotidie cum etate crescit & augetur, sicuti in-
quit poeta.

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia cre-
scit.

Quarta ratio, Quod, ut Paulus ait, qui uolunt di-
uites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum
diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, que
mergunt homines in interitum & perditionem. Has
rationes breuiter indicasse, sufficiat hoc tempore.

Sicut sanctos decet.

Sancti sunt qui agentes poenitentiam, credunt se
Sanguine Filij Dei à peccatis et sordibus suis mun-
datos, & qui à sceleribus quibus antea contaminati
erant, postea abstinent & student iusticie & sanctifi-
catis, sicuti i. Co. 6. dicitur. Hæc quidem fuistis, sed ab-
luti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in no-
mine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei
nostri. Affirmat igitur hoc loco Paulus, eos qui scor-
tatione & auaritia polluti sunt, non esse sanctos, ideo
qui contra conscientiam peccant excutiunt Spiritum
sanctum & amittunt fidem, sicuti i. Timo. 6. dicitur.
Studium pecunie quidam appetentes, errauerunt
à fide

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

à fide & inseruerunt se doloribus multis. Item qui Filij Dei sunt, aguntur Spiritu Dei. Si secundum carnem uixeritis, moriemini, Qui facit peccatum ex diabolo est.

Infigenda igitur hæc sententia est animis cum dicitur Sciatis quod omnis scortator aut immundus, aut auarus non habet hereditatem in regno Christi ac Dei. Item propter hæc uenit ira Dei super filios inobedientie. Quibus sententijs damnantur omnes, qui sub prætextu nominis Christi, impiam uitam ducunt, nec ueram pœnitentiam agunt.

Ne sitis igitur consortes illorum.

Obseruanda est hæc exhortatio, supra enim præcepit ut caueamus ne polluamur peccatis quibus ira Dei irritatur. Nunc uero hortatur ne quã consuetudinem aut commercium cum talibus habeamus, qui contumaciter in delictis contra conscientiam perseverant, nec pœnitentiam agunt, ac omnes piarum admonitiones contemnunt. Dæ autem præcipue cause sunt, propter quas talium consuetudo fugienda est. Prior est ne ipsorum exemplo & usu corrumpamur sicuti in Corinthijs quoq; monet. Corrumunt bonos mores colloquia praua. Et Salomon ait. **Q**ui tetigerit picem inquinabitur ab ea.

Sic Abraha

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Sic Abraham ne fieret idolatra aut particeps idolatriæ, seiunxit se ab idolatris & egressus est VR Chaldeorum. Et Ioseph non miscet colloquia cum Hieradultera, sed ab ea fugit, relicto etiam pallio. Ita & uitemus omnes peccandi occasiones, & segregemus nos ab hominum impiorum & improborum consuetudine. Posterior causa est ne coniuncti malis fiamus participes ipsorum scelerum, neue illorum peccatis adsentiamur aut delectemur. Digni enim morte sunt non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus Rom. 1.

Eratis enim quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino.

Exhortatio qua Paulus pios ad uitæ innocentiam in hoc capite exuscitat, plena est argumentis. Primum est sumptum ab officio filiorum, cum iam sint facti Filij Dei, decere ut sint imitatores Patris sui coelestis, qui est Deus non uolens impietatem, sed sanctitatem &c.

Secundum sumptum est ab exemplo Christi, ut sicuti Christus nos dilexit, & tradidit semetipsum pro nobis, ita & nos inuicem diligamus.

Tertium à decoro, quod sanctos & populum Dei, non deceat esse pollutum immundicia, scortatione aut

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

obscenitate & talibus sordibus, quibus gentes sunt inquinatae, Sicuti Deut. 4. dicitur, Hæc est uestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes uniuersa præcepta hæc, dicant. En populus sapiens & intelligens, gens magna, Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos adpropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis observationibus nostris.

Quartum argumentum sumptum est à panis, quod contaminati talibus sceleribus priuantur hereditate regni Dei & æternis bonis, & iram Dei contra se iritant. Hic rursus in his uerbis (Eratis quondam tenebræ) pios commonefacit sui officij.

Sciendum autem est Christum esse lucem solam, quæ ueniens in hunc mundum, illuminat omnem hominem, uerbo Euangelij, quo reuelat uoluntatem patris & sua beneficia patefacit, Sicuti Ioan. 8. dicit Christus. Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Nam ubi per fidem & Spiritum sanctum in corde cognitio Christi est accensa, ibi depelluntur priores tenebræ, & caligo per diabolum & peccatum mentibus hominum obductæ & inuestæ, ut est contemptus & odium Dei & proximi, & amor peccati, Et e contra noua lux cognitionis, timoris & amoris Dei & dilectionis

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

lucē uerbi, sine agnitione amorē & timorē Dei, & in uaria peccata & scelera, ut amentes & cecitate percussi labuntur, ideoq; cum patre suo inimico & hoste Dei, in æternum exitium & damnationem ruunt.

Alter Pater est cœlestis qui est pater lucis, uitæ & ueritatis, cuius Filij per uocem Euangelij nascuntur, sicuti Iacobi 1 dicitur. Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum, apud quem nō est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. Volens enim genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creatura eius. Sic & 1. Cor. 4. Paulus inquit Per Euangelium ego uos genui & c. Huius Filij quia uerbum à patre ipsis traditum, lucernam ueritatis & uitæ retinent, & in eo manent, ideo ambulant in luce, ac ut hic dicitur. Proferunt fructus lucis & Spiritus, in omni bonitate & iusticia & ueritate, Ita & Christus Ioan. 8. ait. Si uos manseritis in sermone meo, uere discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos & c.

Probantes, quid sit acceptum Domino.

Emphasis est in uoce (acceptum Domino) quasi diceret, Non uobis aut uestra carni, mundo aut

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

aut hominibus impijs. Nam si probandum sit, quod mihi gratum & suaue sit, experiar ueram esse sententiam quæ Gene. 8. scripta est. Sensus & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt, ab adolescentia sua, experior me toto impetu ferri & rapi ad uaria peccata, ambitionem, superbiam, libidinem auaritiam atq; alia. Experior quod Paulus Rom. 7. de se conqueritur, legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Ideo assidua lucta & pugna pijs opus est, ne faciant quod ipsis suaue, sed quod Domino gratum est.

Deinde monet hæc sententia ne propter ambitionem, propter opes parandas aut gratiã inuendam uel retinendam quid faciamus, quod hominibus sit gratum, Deo uero displiceat, sicuti faciunt qui hoc tempore celestem doctrinam in gratiam principum corrumpunt aut inflectunt, aut libidinibus idolatrijs, crapula, ebrietate & alijs uitijs quibus potentes deditos uident, in illorum gratiam sese contaminant, aut illis assentiantur. Tales nõ probant quid Domino, sed quid hominibus acceptum sit, cum quibus non modo nos nullam commercium habere uult Paulus, ne illorum consuetudine corrumpamur, neue ipsorum scelerum participes fiamus, sed talia uitia uult etiam reprehendi

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Et argui à nobis. Si enim non sit qui hæc reprehenda-
dat, uitia abeunt in mores, & uirtutum loco recipi-
untur, Et uerum est quod poeta inquit.

Et mala sunt uicina bonis, errore sub illo,
Pro uitio uirtus, crimina sepe tulit.

PAtet autem quorum officium sit manifesta fla-
gitia arguere, ut sunt Episcopi, pastores & mi-
nistri uerbi, quibus Ezech. 33 sic præcipitur. Si me di-
cente ad impium, Impie morte morieris, non fueris
locutus, ut se custodiat impius à uia sua, ipse impius in
iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de
manu tua requiram & c. Et Matt. 5 Vos estis sal ter-
ra. Et ad Timo. Argue, increpa oportune importune,
& tales habent poenam excommunicationis qua con-
tumaces cohercere debent ut Matth. 18 præcipitur.

Deinde est Magistratus qui etiam ui gladij in sec-
leratos animaduertere debet. Tertio sunt parentes
præceptores, atq; adeo omnes qui parentū loco sunt.
Postremo omnium piorum officium est ut errantes,
sed certo modo coarguant, qui eodem loco in Mattheo
prescribitur cum inquit Christus. Corripe eum inter
te & ipsum solum & c.

Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis,
turpe est & dicere.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Hoc est sunt quædam uitia quæ non solum perpetrasse, sed & de illis cum offensione aliorum temere locutum esse, turpitudinem, & peccatum patiunt, ut est fornicatio, adulteria, libidines & talia. Sunt enim quidam tam leues & impuri homines, ut non putent esse peccatum si turpia dicant. Ideo Paulus inquit, Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. Sermo enim animi character est, Et Christus inquit. Ex abundantia cordis os loquitur.

Omnia autem quæ arguuntur à lumine, manifestantur.

Supra præcepit manifesta delicta reprehendenda esse, hic ostendit qui sit fructus reprehensionum seu obiurgationū. Dicit enim ea quæ antea occulta et tecta erant, fieri manifesta, dum arguuntur à luce. Impiis peccata sua sunt occulta & tecta, neq; enim ita uident sentiunt aut agnoscunt, quanquam peccatis & morte oppressi & obruti sint. Sed cum per lucem uerbi Dei, per legis fulgura & uocem Dei redarguuntur, tum ea quæ antea occulta & tecta erant, ita fiunt manifesta, ut & peccata & horrendam iram Dei aduersus peccata agnoscat, Per legem enim agnitio peccati.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Hoc modo Dauid interfecto sanctissimo & fortissimo uiro Uria, & rapta ipsius coniuge suauiter cum ipsa in summa securitate uiuit seq; oblectat, non sentiens neq; cognoscens peccata sua, neq; iram Dei, sed cum per uocem legis, proposita parabola à Propheta Nathan, redarguitur, ibi peccata, quæ à lumine legis arguebantur, ipsi Dauidi manifesta fiebant, ut lapsus suos agnosceret & deploraret, Sicuti & Psal. 51 dicitur. Ecce ueritate delectaris quæ in occulto est, Et sapientiam absconditam manifestasti mihi. Certum & uerissimum est omnes homines multis & uarijs peccatis esse contaminatos, ut est dubitatio de Deo, diffidentia, flammæ libidinum, odij, iræ, uindictæ, peccata omissionis, ignorantie & talia alia multa similia, sed in hypocritis, hæc ueritas peccati herentis in natura, est in occulto, ideo ab ipsis non cernitur, sicuti Phariseus ille tumens superbia & confidentia sui ac plenus contemptu Dei & odij proximi ait. Non sum sicuti ceteri hominum &c.

In ijs autem qui uere poenitentiam agunt per uocem legis hæc ueritas retegitur, cuius confessio quod sit peccator grata est Deo. Sapientia autem abscondita est gratuita remissio peccatorum, quam ratio non cernit, neq; intelligit nisi per Euangelij uocem reuelatur.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

letur. Ideo Paulus quoq; uocat Euangelium myste-
rium absconditum à seculis. Fructus igitur reprehen-
sionis est, ut hoc loco inquit Paulus, quod peccata quae
antea latebant, repressa, in agentibus poenitentiam
manifestantur & quasi in lucem produciuntur, ut pon-
sita ob oculos, ex ipsorum conspectu & irae Dei sensu
exhorrescamus, & ad misericordiam Dei confugiamus.

Omne enim quod manifestatur,
lumen est.

HOc est qui perseuerant in peccatis contra con-
scientiam nec agunt poenitentiam, & uocem
legis redarguentem ipsos & ostendentem peccata
contemnunt, ij ambulant in tenebris, & ipsi sunt ten-
ebrae, sed peccata in poenitentibus, detecta & reue-
lata, iam sunt lumen, uidelicet cum Christi cognitio,
quae est lux & uita mundi, accedit, ideo inquit Paulus

Expergiscere qui dormis & exurge
à mortuis, & illuminabit te
Christus.

Influit Paulus dictum Esaiæ quod extat cap. 60.
& accommodat ad suum institutum. Vt autem
breuiter sententiam exponam, significat Paulus nos

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

omnes in peccatis dormire, imo ut alibi inquit esse mortuos & sepultos, excitari autem uoce legis ad agnitionem peccati & mortis quibus tanquam densis tenebris immersi simus. Deinde per doctrinam Euangelij & agnitionem Christi, quod propter illam mediatorum non imputentur peccata, sed donetur iusticia & uita, nos illuminari, nos ex tenebris peccati & mortis uocari ad lucem, iusticiam & uitam, sicuti in omnium exemplis qui ueram penitentiam agunt apparet.

Videte itaque fratres quomodo caute ambuletis.

HAECENUS Paulus tradidit quibus moribus & uirtutibus omnes pios tum in Ecclesia tum in politica ornatos esse deceat. Hoc loco priusquam ad opera economica ueniat, subiicit Epilogum quo superiora praecipua & morum paraneses concludit. Monet autem ut qui conuersi sunt ad Christum, ne sint securi, sed ut summa cura mores suos & uitam regant.

Cum enim magna imbecillitas sit naturae, & diaboli grassantis in genus humanum magna sit potentia & uigilantia, ut incautos opprimere & perdere possit, profecto rursus aduersus tam uigilantem & potentem

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

potentem hostem magna cura & uigilantia opus est, ne nos rursus in peccatum & mortem præcipites agat, unde beneficio filij Dei uix emerimus. Ideo & Petrus similiter nos hortatur. Sobrii estote & uigilate, quia aduersarius uester diabolus, tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret &c. Et infra hæc exhortatio repetitur à Paulo uerbis grauissimis cum ait, Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus &c.

Vel unius sanctissimi Regis & Prophetae Dauidis exemplum nos moueat, ut torporem excutiamus & simus uigilantes, quem propter securitatem impulsam à Sathana, uidemus in horrenda peccata prolapsam, quæ deinde tristissima et maxima pœne secute sunt, quarum longus catalogus in historia Dauidis continetur. Simus igitur in regendis moribus uigilantes, cauti & circumspecti. Neq; enim sanguine filij Dei à peccatis & morte redempti sumus, ut iterum in peccata ruamus, sed ut ea summo studio uitemus, & tanquam certam pestem fugiamus. Ideo Paulus hic illustri uerbo usus est cum ait ἀκριβῶς ἐγρηγόρετε quo accuratam diligentiam præcipit.

Non

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Non ut insipientes, sed ut sapientes.

Ostendit duplices esse vias, & simul duplices quoq; sapientes, Prima via est via uerbi & præcepti diuini, de qua Propheta in Psal. 119. inquit. *Viam mandatorum tuorum cucurri, quam Deus ipse strauit & monstrauit tradito uerbo, que quanquam aspera & angusta sit, plena miserijs & erumnis, tamen recta ducit ad uitam eternam sicuti Matth. 7. inquit Christus. Angusta porta & arcta uia est, que ducit ad uitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Hic uero opus est ut in hac gradienda non declines neq; ad dextram neq; ad sinistram, sed in recta semita persequeres sicuti sepe inculcat scriptura.*

Altera uia quam diabolus strauit, est contemptus uerbi Dei, & sequi desideria carnis, que uia plena est illecebrarum & uoluptatis, quam maxima pars hominum currit, qui: lata speciosa & spaciofa est. Sed hæc, ut Christus ibidem ait, ducit homines ad interitum, de hac inquit Psal. 145. *Vias peccatorum disperdet, Et Psal. 119. Viam iniquitatis amoue a me, & legem tuam dona mihi. Ideo hoc loco inquit Paulus. Videte fratres quomodo caute ambuletis, quasi diceret, fam*
cilis

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

ilis est error & lapsus à recta uia in deuiam, in uiam peccati & mortis, in quam maxima pars hominum à Sathana rapitur & ducitur, ideo opus est uigilantia.

Ceterum monet & duplices esse sapientes. Sunt enim sapientes qui alias filij huius seculi appellantur, quorū usus est in regenda republica, qui si altera sapientia agnitio ueri Dei, timor & amor Dei ad illam accesserint, ingentia Dei dona sunt. At si sint sine fide, timore & amore Dei, stulti sunt etiamsi sua sapientia uincant uel Fabios, Catones, Scipiones aut Ciceronem. Vocat enim hic insipientes, omnes quotquot sunt sine agnitione ueri Dei, sine fide, timore & amore Dei, quotquot polluti sunt illis sceleribus & peccatis, de quibus supra facta est mentio, initium enim sapientiæ timor DOMINI. Et sapiens cor (ut Ecclesiasticus ait) abstinebit se à peccatis.

Redementes tempus.

Ostendit plurima pijs obijci impedimenta, ne pietatem, sed potius impietatem sectentur & amplectantur. Magna est potentia Diaboli, & ingens imbecillitas humane nature, que impulsà à diabolo, facile labitur. Plurima sunt exempla & scandala, plurima illecebræ que nos ad peccandum inuitant. re 13

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

re in tantis impedimentis, pijs tempus ad pietatē quasi emendum est, ut græca uox hic sonat.

Quoniam dies mali sunt.

Dies per sese sunt boni, in usus hominum à Deo creati. Vocat autem malos propter furores Satanae & maliciam hominum, qui multiplicibus artibus & modis ceteros à pietate abstrahunt. Duae enim res sunt ut Augustinus ait, quæ dies malos faciunt, Per malitiam enim & miseriam hominum dicuntur dies mali &c.

Et nolite inebriari uino in quo est luxuria.

Subicit iam præcepta peculiaria de Temperantia & uitanda ebrietate. Prima autem ratio cur ebrietas sit fugienda, est cuius hic meminit, ἀσωτία, *luxus seu prodigalitas, quod dediti crapulae & ebrietati, ludis, magnis profusionibus, scortationibus, heluactionibus, rixis certaminibus, pugnis, sepe etiam cædibus, bona sua dilapidant, sicuti Aristote: in quinto Ethi. inquit. Ασωτικοὶ μὲν κατὰ τὸν ζῆλον γίνονται πλούσιοι, καὶ τὸν χρόνον ἀποβιβάζουσιν, ἀποβιβάζουσιν* qui sua profuderunt, exhausti senore, fiunt pauperes. Complectitur autem hac uoce simul etiam alia uitia quæ ebrietatem sequuntur, ut sunt obscena colloquia, choreæ, obrektionnes, cantiones

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

rationes impurae, clamores, conuitia, pugnae et pro-
fus uita Cyclopica, Sicuti & Salomon Prouer. 20. in-
quit. Luxuriosa res uinum, & tumultuosa ebrietas,
quicumq; his delectatur, non erit sapiens. Item Nul-
lum secretum est ubi regnat ebrietas Et Osee 4. Vi-
num & ebrietas auferunt cor. Et poeta inquit.

Nox & amor uinumq; nihil moderabile suadent,
Illa pudore uacat, Liber, amorq; metu.

Et extat græca sententia.

Ὅτι καὶ φρονέοι τὰς ἐς ἀφροσύνας ἀναβαλ-
λας, Item. Menander.

Ὁ πόλις ἀκρατὸς μὴ ἀνακίσει φρονεῖν.

Refert Atheneus Locris capitale fuisse inebriari,
Ebrietatis uero incommoda longa oratione enumera-
rantur à Plinio lib. 34. cap. 22.

Secunda causa.

Neq; uero nos ab ebrietate dehortari debent
solum nostra incommoda, sed grauitas poenæ
precipue, quod ebrij, cum in hac uita, tum postea æter-
nis pœnis puniuntur sicuti 1. Co. 6. scriptum est. Neq;
adulteri neq; ebrij regnum Dei possidebunt. Et Chri-
stus inquit. Cauete ne grauentur corda uestra crapula

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

aut ebrietate. Et Esa. 5. *Ve qui confurgitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum usq; ad uesperant &c. Ve qui potentes estis ad bibendum uinum, & uiri fortes ad miscendam ebrietatem.*

Deniq; innumerabilia exempla sunt in quibus est eernere, quam misere ebry homines perierint, & ad hoc quotidie pereant, ut in Holoferne, Philippo patre & Alexandro magno filio, Babylonia, Troia, Syracusa & multe magnæ urbes captæ sunt, tum cum populus oppressus esset uino & ebrietate, ut sonat uersus Virgil. de Troia, *Inuadunt urbem somno uinoq; sepultam.*

Sed impleamini Spiritu sancto, loquentes uobismetipsis in Psalmis &c.

Impossibile est ebrios esse habitacula Spiritus sancti, ideo pijs opus est temperantia, ut in illis flare possit fides, timor & amor Dei, & uera inuocatio, & studium uerbi Dei, & simul ceteræ uirtutes, quæ per crapulam & ebrietatem extinguuntur. Præcipit igitur, ut loco obscenorum sermonum & concionum, quibus ebriorum conuiuia personant, tractatio uerbi Dei, Psalmi, hymni, & aliæ cantiones Spirituales

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Spirituales quæ ad pietatem conducunt, sonent inter
pios, uel in publicis conuentibus, uel tum cum soli
sunt.

Gratias agentes semper pro
omnibus.

Tanta est ab initio mundi bonitas Dei erga ge-
nus humanum, tot beneficia, ut animus homi-
nis illa neq; intellegere neq; capere possit. Quot enim
sunt beneficia corporalia? quod nos homines, non
pecudes, & quod ad suam imaginem, ad immortalita-
tem condidit, quod nos pascit, seruat, defendit &c.
Quanta autem bona sunt illa Spiritualia coelestia &
eterna? quod promissiones, legem, quod filium libe-
ratorum dedit, quod Spiritu sancto Ecclesiam &
singulos regit & sanctificat, quod Euangelium, Sa-
cramenta, Episcopos, Pastores &c. donat?

Hæc tanta & tot beneficia uult nos quotidie con-
siderare Paulus, & pro ijs gratias agere Deo, ideo
ait. Gratias agentes semper pro omnibus, scilicet cor-
poralibus & Spiritualibus beneficijs, Id enim sacrifi-
cium Deo longe est gratissimum, sicuti Psal. 50. præ-
cipitur. Imola Deo sacrificium laudis &c. Addit au-
tem quomodo & per quem hoc sacrificium laudis &
gratiarum actionis offerri debeat, nempe per media-
torem

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

rem Dominum nostrum Iesum Christum, cum addit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri, sicuti & 1. Petri. 2. scriptum est: Offerentes hostias Spirituales acceptabiles Deo per Iesum Christum.

Mulieres proprijs uiris subdite esto,
te sicut Domino.

HAETENUS Paulus contionatus est ab initio quarti capitis ad hunc locum usq; de operibus Ecclesiasticis & politicis, Hic tradit praecepta economica usq; ad conclusionem Epistolae, quae in sequenti capite sequitur, cum inquit: Quod superest fratres mei, confortamini in Domino &c. Docet enim hoc loco quae officia mutua esse debeant in aeternitate, Mulierum erga coniuges, uirorum erga uxores, liberorum erga parentes, & rursus parentum erga liberos, seruorum erga Dominos, & Dominorum erga seruos.

Ceteram postremus huius capitis locus, pulcherrima de Coniungio contio est, cui attexti duo loci sunt de Ecclesia & Baptismo. Dicemus igitur ordine, primo de coniugio.

DE CONIUGIO.

Definitio Coniugij.

Coniugium

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Conugium est coniunctio unius maris & unius
 femine legitima, usq; ad mortem indissolubi-
 lis, à Deo ipso, & ideo instituta, Primum ne homo sit
 solus, sed habeat sociam & adiutricem coniunctam in
 tota uita, deinde ut ex legitime coniunctis propa-
 getur genus humanum, ex quo Ecclesia colligatur &
 excerpatur in omnem aeternitatem uictura cum Deo,
 quæ ei sit copulata & coniuncta indissolubiliter, Ter-
 tio ut hæc unius maris & unius femellæ corporalis
 coniunctio in hac uita, sit imago & commonefactio,
 illius mirandi foederis, quo Deus sibi Ecclesiam copu-
 lauit, & summi ac inenarrabilis amoris diuini erga
 sponsam Ecclesiam, Postremo ut hoc modo uage libi-
 dines, quas Deus ut mens casta & sancta extremè obo-
 minatur, uitentur.

Explicatio definitionis.

Cæterum priusquam singule partes definitio-
 nis explicentur, considerandi sunt ex creatione
 hominis, fontes coniugij in humano genere. Quamquã
 enim quædam ex brutis animantibus quandã inter sese
 quasi coniugij imaginẽ seruent, ut de columbis, Turtis
 ribus, Ciconijs, Aquilis, Elephantis, Delphinis & qui-
 busdã alijs scribitur, quæ ideo brutorũ naturis Deus in-
 scuit, ut uinculorũ matrimonij per illa homines com-
 moneficerent,

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

nescierent, tamen inter bruta coniugium tale, quale inter homines, qui ad Dei imaginem conditi sunt, non est.

Sunt autem hi coniugij fontes in humano genere. Cum homo ex massa terræ creatus sit, addusta sunt ad ipsum uniuersa animantia, terrestria & uolatilia cœli, ut nomina ijs inderet, quorum cum quodq; sui generis compar & adiutorium ad generationem haberet, solus homo tali adiutorio ad procreationem suam, nempe humanæ naturæ destituebatur.

Ne igitur homo ad imaginem & ad immortalitatem creatus, cum cæteris animantibus commisceretur, & ut sibi simile procreare posset, mulier non ut cætera animantia neq; ex limo terræ ut Adam creatur, sed ex Adæ costa edificatur, quæ à Deo ipso ad propagationem generis humani, certo fœdere illi iungitur, sicuti sonant ibidem uerba. Hæc iam os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ, Et erunt duo in carnem unam,

Primum igitur hic consideretur, cum ex costa mulier edificata, ad propagationem generis humani à Deo ipso coniungatur uiro, prohiberi commixtionem

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

mixtiones cum brutis & pecudibus, quæ prohibitio
Leuiti. 18. repetitur & explicatur, Cum inquit Deus.
Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum
eo, Mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei,
quia scelus est. Deinde quia certo uinculo hic coniu-
ges copulantur, testatur Deus se execrari omnes
commixtiones, quæ extra hoc matrimonij foedus, &
contra ipsius institutionem fiunt.

Considerentur autem hic ordine uerba textus, in
quibus certæ leges de coniugio, & de prohibitione
uagarum libidinum sanciuntur.

Primum inquit: Adduxit mulierem ad Adam, quo
significatur, non licere cuiuis ad suam libidinem ex-
plendam, sibi rapere quamuis uel quemuis, & eam
pro sua uoluntate rursus dimittere aut abicere, ut
hodie canonici & pontificij sacerdotes, Anabaptistæ,
& hoc impium genus hominum, scortationi deditum
sunt: sed necesse est diuinitus adduci ad nos & certis
legibus copulari nobis coniuges. Hoc petendum à
Domino est, ut ipse piam & honestam coniugem so-
ciam uitæ & omnis fortunæ tibi adducat, Sicuti Pro-
uerb: 19. dicitur, Domus & diuitiæ dantur à parenti-
bus, à Domino autem uxor prudens.

Sed quod inquit. Hoc nunc os ex osibus meis &

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

raro de carne mea & c. significat mutuam beneuolentiam & amorem esse debere inter coniuges sicuti hoc loco Paulus interpretatur hoc dictum Gene. 2. cum ait. Sic debent uiri diligere suas uxores, ut sua ipsorum corpora. Qui diligit suam uxorem seipsam diligit & c. Ideo enim ex costa uiri edificatur mulier, ut maritus meminerit uxorem os ex osibus, & carnem de carne sua, & eam tanquam propriam corpus fouendam & tuendam esse.

PRæterea statuit certos conjugalis coniunctionis terminos cum ait: Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adheret uxori suæ. Vult haberi reuerentiam sanguini, & uetat sine discrimine coniungi passim omnibus, quod peccatum Gene. 6. taxatur cum inquit: Acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant, id est sine ullo sanguinis discrimine. Vetat igitur coniungi liberos cum parentibus aut ijs qui parentum loco sunt, cum ait: Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem & c. Et tradita hic est Regula. Nuptias inter ascendentes & descendentes in infinitum esse prohibitas, adeo ut si Adam hodie uiuere, non posset habere uxorem. Quæ regula non tantum in linea recta, sed & transuersali in ijs personis quæ parentum loco sunt, & tam in con-

sanguinacis

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sanguineis quã affinibus seruanda est, ut in Amita & Matertera & in Patruï aut Auunculi uxore, de quibus infra copiosius ubi de gradibus consanguinitatis & affinitatis dicendum erit.

Postremo cum inquit: Erunt duo in carnem unam, prohibentur uage libidines, & hoc certa lege ceu uinculo copulantur maritus & uxor, ut maritus sola sua unica uxore, & uxor solo suo unico marito contenta sit, Sicuti & Christus hoc Moysi dictum interpretatur. Itaq; (inquit) iam non sunt duo, sed una caro, hoc est coniunctio coniugalis, tantum inter duos non inter plures, & tam arcta, & indissolubilis esse debet, ut sint una caro, & quasi unum corpus, cuius caput sit maritus, ut Paulus addit, & ut sit, quo ad hæc uita inter utrosq; durat, perpetua & inseparabilis coniunctio. Hi sunt fontes coniugij diuinitus instituti. Nunc singulas partes definitionis explicabimus.

Quod igitur initio in definitione dicitur, coniugium esse coniunctionem unius maris & unius fœminæ indissolubilem, satis apparet, hæc ipsa uerba, ex his fontibus coniugij, de quibus iam dictum est, sumpta esse: Erunt duo in carnem unam, hoc est inseparabiliter iuncti. Prohibentur igitur primum hic diuortia, Deinde Polygamia. Quare primo loco de Diuortijs dicendum erit.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI
DE DIVORTIIS.

CVm mandatum diuinum sit, ut duorum coniugum coniunctio sit indissolubilis, neq; uiuente altero, liceat alienam uel alienum attingere, quaeritur cur in ueteri testamento concessum sit diuortium seu repudij libellus, ut habetur Deute. 24. Christus ipse Matt. 19. Respondet ad hanc quaestionem cum inquit, Moyses ad duritiem cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras, Ab initio autem non fuit sic, quasi dicat, Prima institutio fuit ut unus mas & una foemina inseparabiliter essent coniuncti iuxta dictum. Erunt duo in carnem unam. Sed quia (ut Esa. 48. dicitur) tu populus es durus & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua aerea, Ideo Moyses ut sapiens legislator, propter hanc duritiam uestram, Dei permissu, contra primam institutionem diuinam matrimonij libellum repudij pro tempore uobis concessit, ne grauiora scelera, uidelicet ueneficia, homicidia, adulteria, concubitus cum masculis & aliae foedae libidines & horrenda peccata sequerentur. Ego uero abrogata illa permissione seu dispensatione Moysi, matrimonij uincula ad primam institutionem reuoco, ut unius Maris & unius foemine indissolubilis sit coniunctio. & ne cui liceat dimittere uxorem suam excepta causa fornicationis seu adulterij.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Ex quot & quibus causis Diuortium
iure diuino fieri possit.

Immota & perpetuo in coniugijs seruanda regula est, à Christo ipso tradita: Quod Deus coniunxit, homo ne separet. Ideo Paulus 1. Corin. 7. ait. His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non discedere, quod si discesserit, manere inuictam, aut uiro suo reconciliari. Et uir uxorem non dimittat. Et Rom. 7. Viuente uiro uocabitur adultera, si fuerit cum alio uiro, Quæ uerba testantur, quod sit coniunctio indissolubilis sicuti habet definitio.

Cæterum duæ præcipue causæ sunt, quibus iure diuino diuortia fieri possint. Prior causa à Christo expressa, est adulteriũ, Persona enim committens adulterium soluit uincula coniugij, Quæ sunt, Erunt duo in carnem unam.

Hic uero necesse est moneri, quod sicuti nemo potest esse iudex in causa propria, ita quoq; nullum diuortium fieri posse, sine cognitione causæ. Deferenda igitur controuersia est ad iudices talium causarum.

Obseruandum & hoc est, uxorem adulteram à marito dimitti non posse, si & ipse eodem crimine

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

mine sit pollutus. Nihil enim, ut Augustinus ait iniquius est, quam causa fornicationis dimittere uxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud: in quo alterum iudicas, te ipsum condemnas. Recensentur & alij casus, in quibus Maritus uxorem de adulterio accusare non potest, Vt cum ipse eam prostituit, Aut si ui oppressa fuerit &c. quos prudens breuitatis causa hic omitto.

Præterea si propter adulterium commissum inter ipsos facta est reconciliatio, non debet postea fieri diuortium.

Dabunt igitur prudentes iudices operam quantum fieri potest, ut inter coniuges iterum fieri possit reconciliatio, quæ si fieri non possit, innocens persona cogi non debet, ut adulterio pollutam iterum recipiat, Et à iudice damnanda erit pars nocens, & innocens persona pronuntianda erit libera, cui permittendum erit si uolet, ut iterum coniugium cum alia contrahat.

Quanquam autem 32. Q. 7. multe sententiæ ueterum doctorum Augustini, Hieronymi & aliorum citentur, qui negant concedendum coniugiū parti innocenti, tamen additur ibidem interpretatio seu limitatio cum dicitur. Hæ autoritates de his loquuntur, quorum continentiam, carnalis infirmitas non impedit,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

dit, uel de his, qui praestantes causam dissidij, aliorum coniuñctione se reddiderunt indignos.

Neq; etiam in hoc casu inter sese consentiunt Doctores Ecclesiae, ut testatur ibidem sequens S. Ambrosij sententia, qui affirmat innocentem posse coniungi cum alia. Manifesta autem est sententia Christi. Nam cum inquit. Quicumq; dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Ergo a contrario sensu sequitur, quod qui dimiserit uxorem suam ex causa fornicationis, & aliam duxerit, non mœchatur.

Quod uero canonistae dictum Pauli 1. Cor. 7. allegant, His qui matrimonio iuncti sunt &c. Sciendum est Paulum non loqui de discessione quae fit propter adulterium, sed quae fit propter rixas, contentiones aut alias causas, ibi necesse est aut manere innuptas, aut uiro reconciliari.

Altera causa propter quam diuortium fieri potest, iure diuino, Est Desertio, cum maritus sine causa iusta à coniuge discedit eo animo, quod nunquam reuerti uelit, quae deserentis uoluntas, uel ex ipsius sermone, uel fuga, uel diuturnis errationibus, uel si aliam duxerit, aut ex alia liberos susceperit, & alijs multis circumstantijs animaduerti poterit.

Hic

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

Hic necesse est, à Iudice ad dicendas causas desertionis, desertorem publicè citari, qui si non comparuerit, aut si comparuerit & nolit uxori reconciliari, ac nullas iustas desertionis suæ causas habeat, damnandus est desertor, & partem innocentem Iudex pronuntiet esse liberam, et si uolet, faciat ei potestatem, iterum contrahendi matrimonium. Nam & hic uincula coniugij, perfidia desertoris, rupta sunt. Si quis enim suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. 1. Timo. 5. Et 1. Cor. 7. Quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi. Et cum coniugium debeat esse maris & foeminae coniunctio indissolubilis, & uxor & maritus una caro seu corpus unū sint, quæ restabunt uincula coniugij inter hos duos, quorum alter sese prorsus ab altero in perpetuum diuisit ?

Scruidanda autem hinc regula est. Nulli ex coniugibus licere discedere ab altero, & aliam ducere, neq; propter offensam, iniurias, rixas, neq; propter diuersitatem religionis, aut morbos, aut infamiam, uel scelera perpetrata, ueluti furta, cædes, quæ constante iam matrimonio, superuenerint. Debet enim talis esse coniunctio, in qua (ut Theogenæ Agathoclis regis con-

iura.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

inix dixit) non prosperæ tantum, sed omnis fortunæ contrahatur societas.

Hoc loco quoq; disputari solet de ijs inter quos matrimonium contractum est, cum una pars ad illud non sit idonea, uel uitio naturæ, uel propter aliud malum accidens, an inter istos possit fieri separatio? Certum est matrimonium tantum inter eas personas esse, quæ ad illud sunt idoneæ. Quare si uitium insanabile est, quod sine uitæ dispendio tolli non potest, facienda est separatio, & concedendum personæ, ad matrimonium idoneæ, ut cum alia contrahat.

Extat Lex Theodosij Imperatoris C. de Repudijs. Quæ ostendit ex quibus iura ciuilia eo tempore permiserint fieri diuortia, Cuius Legis hæc uerba sunt. Si qua maritum suum adulterum, aut homicidam aut ueneficum, uel certe contra nostrum imperium aliquid molientem, uel falsitatis crimine condemnatum inuenit, si sepulchrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem, uel latronum susceptorem, uel abactorem, uel plagiarium, uel ad contemptum sui domusue suæ, ipsa inspiciente, cum impudicis mulieribus (quod maxime etiam castas exasperat) coetum incuntem, si sue uitæ ueneno, aut gladio, aut alio simili modo insidiantem, si se uerberibus

(quo

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

(quæ ingenuis aliena sunt) afficientem probauerit, tunc repudij auxilio uti, necessariam ei permittimus libertatem, & causas disidij, legibus comprobare.

Ex hac lege apparet, olim causas repudij nimium laxatas, & per hanc legem coarctatas & restrictas fuisse, sicuti Cato uxorem suam Martiam, tantum amicitie causa Hortensio tradidit, & Agryppa Marcellam dimisit, ut Iuliam Augusti filiam ducere posset, Et Cicero Terentiam uxorem repudiauit, quod in ipso et in re domestica curanda negligentior & morosior fuisset.

Iure autem nouissimo Authenticorum nempe, in titulo. Vt liceat matri & auie etc. Enumerantur adhuc pauciores cause, propter quas repudium fieri possit, Sed sciendū est, pijs iudicibus, non transgredienda esse septa coniugij, quæ in sacris literis præscripta sunt, neq; ullum diuortium facile admittendum esse, nisi propter duas illas causas supra commemoratas, adulterium nempe & desertionem.

Sed quæritur quid faciendum sit, si alter coniugum, alterius uitæ non semel, sed sepe etiam insidiatus sit, aut si seuitia mariti prorsus insanabilis sit, ita ut sine uitæ discrimine, alter cum altero habitare non possit, quid

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

quid tum faciendum sit. Hic magistratus officium erat, graui poena tales cohercere primum. Deinde si insanabilis sit furor, ita ut certo appareat, non mariti sed hostis, grassatoris aut latronis animum talem erga uxorem gerere. Pius iudex facile remediū, cum ex sacris literis, tum ex ciuilibus legibus inueni et, ut parti innocenti, quæ nullas causas dissidij præbet, consuli possit. Valebit enim & hic dictum Pauli. Si incredulus discedit discedat. Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi, sed in pace uocauit nos Deus. Nam et in hoc casu per seuitiam alterius, rumpuntur foedera coniugij. Tantum de Diuortijs.

DE POLYGAMIA.

Cum in definitione dicitur. Coniugium esse coniunctionem unius maris & unius foeminae, ostenditur Polygamiam diuino & Romano iure esse prohibitam, neque licere, more Turcico, plures simul habere uxores, Sic autem diuinitus matrimonium ab initio conditi generis humani, esse institutum, ostendunt uerba Mosi. Erunt duo in carnem unam, & Christi Matth. 19. Ab initio non fuit sic. Ab hac prima institutione diuina recessit Lamech, non sine graui peccato, qui ex posteris Caimi fuit, & hic primus exemplum

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

exemplum Polygamie, contra institutum Dei, uel ex libidine, uel cupiditate dominandi inuexit.

Queritur ergo an sanctissimi uiri, Abraham, Iacob, Dauid & alij qui polygami fuerunt eque peccauerint contra institutum Dei atq; tum Lamech, & alij impij, aut sicuti hoc tempore Turcæ?

Respondeo, Certum est sanctos patres contra conscientiam non fuisse polygamos, sed hoc aut ex more gentis & consuetudine inueterata, cuius magna uis est, & sic ex ignorantia fecisse, quæ ignorantie peccata, pijs non imputantur, Aut propter promissionem factam Abrahæ: Faciam te in gentem magnam, Item, Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli &c. Aut ut hoc modo Semen promissum filius Dei liberator generis humani tandem nasceretur. Quare hæc patrum facta, non sunt trahenda in exemplum, in quibus fieri potest, ut aliquid fuerit uitij, quod ipsis propter promissum semē, in quod crediderunt, condonatum est.

Imitemur potius ipsorum fidem constantiam, patientiam, atq; alias excellentes uirtutes. Et sciamus hoc tempore à Christo coniugij frenos laxatos, restrictos, & ad primam institutionem Dei, reuocata esse matrimonij uincula, Vbi præcipitur, Erunt duo in car-

nem

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

hem unā. Sic enim inquit Christus iam non sunt duos;
 sed una caro. Item 1 Cor. 7. Vnuquisq; suam uxorem,
 quasi dicat, non plures habeat. item mulier sui corpo-
 ris potestatem non habet. Et Rom. 7. Viuente uiro
 uocabitur adultera si fuerit cum alio uiro. Extat au-
 tem manifesta prohibitio polygamia in iure ciuili C.
 de incestus & inutilibus nuptijs, Lege, Neminem qui
 sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere
 posse, uulgo pater etc. Et ibidem Ad legem Iuliam
 De adulterio & stupro, Lege, Eum qui duas et.

Quę personę inter se matrimonio
 coniungi possint.

Svpra in definitione coniugij dictum est, coniu-
 giū esse unius maris & unius mulieris coniu-
 ctionem legitimam, Neq; enim omnis cum omnibus,
 sine discrimine sanguinis aut affinitatis, coniunctio
 concessa est. Sunt enim quędam personę à quarum
 nuptijs iure diuino, naturali, & ex scriptis legibus,
 abstinendum est. Vult enim Deus haberi reuerentiam
 sanguini neq; cum proximo & passim cum omnibus
 fieri commixtiones.

Neq; uero hic longiorem disputationem de Arbo-
 re consanguinitatis & affinitatis, & de graduum
 nuncratio

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

muneracione instituam. Nam illa peti possunt ex ad-
tis libellis, tantum simplicissime quasdam regulas tra-
dam, & ordine tanquam in catalogo, prohibitas per-
sonas recitabo.

Prima regula de ascendentibus &
descendentibus in linea recta
consanguinitatis.

Nuptiæ consistere non possunt inter eas perso-
nas, quæ in numero aut loco parentum libero-
rum sunt, siue proximi siue ulterioris gradus sint,
usq; ad infinitum. Hæc Regula à Caio Iureconsulto ff.
de ritu nuptiarum tradita, sumpta est ex iure natura-
li, & cum iure diuino Leuit. 18. consentit.

Nam cum Moyses prohibeat misceri cum patre aut
Matre, intelligi uult omnes ulterius ascendentes usq;
ad infinitum cum sint in numero parentum, sicuti &
Gene. 2. statim hæc sanguinis iura constituuntur cum
dicitur. Propter hoc dimittet homo Patrem & Ma-
trem, & adherabit uxori suæ, quæ etiam simili ra-
tione de descendantibus intelligenda sunt, ut de filio
aut filia, & omnibus alijs ulterioris gradus usq; ad
infinitum, Adeo, sicuti uulgo dicitur, ut si Adam hodie
uiuere, non posset habere uxorem. Obseruandum
& hoc

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Et hoc est, hanc Regulam non modo in consanguinitate, sed et in affinitate locum habere, Quia tales personæ, quanquam non sint ex iure sanguinis parentes aut liberi, tamen ascendentes sunt loco parentum, & descendentes loco liberorum.

Primo igitur ratione consanguinitatis ascendendo prohibetur filius ducere 1. Matrem, 2. Aviam Paternam seu Maternam, 3. Proaviam paternam seu maternam, 4. Abaviam et sic ulterius ascendendo usq; ad infinitum, Quia tales personæ omnes sunt in numero parentum.

Eodem modo descendendo ratione consanguinitatis prohibetur Pater ducere. 1. Filiam, 2. neptem siue ex Filio suæ filia, 3. proneptem, 4. abnepotem, et sic ulterius descendendo usq; ad infinitum, Quia tales personæ sunt in numero liberorum. Et qui ex linea ascendentiū aut descendentiū uxores ducunt, iure gentium incestum committere dicuntur. Quæ autem de Filio & Patre hic dicta sunt, eadem etiam de filia & matre intelligantur.

Secundo ratione Affinitatis prohibita sunt personæ in primo gradu, 1. Nouerca siue prima, secunda aut tertia uxor patris fuerit, 2. Nouerca uxoris, quam illius pater post se reliquit 3. Concubina patris, 4. Socrus, 5. Sponsa patris, 6. sponse mater.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Deinde in secundo gradu prohibita personae sunt, Mater uitrici aut Nouerca, 2. Auia uxoris siue paterna siue materna sit, 3. Aui materni uxor, hoc est, matris nouerca, 4. Aui paterni uxor, hoc est, patris nouerca.

Postremo in Tertio gradu, 1. Auia uitrici aut Nouerca, 2. proauia uxoris, siue Paterna siue materna sit, 3. uxore proauis, siue paterni siue materni, hoc est, Aui seu Auiae nouerca.

Eadem autem prohibitio etiam in femellis est, quae in masculis, ut similiter nulli ascendentiū in linea recta nubant. Sicuti ergo prohibitio inter consanguineos ascendentes & descendentes extenditur usque ad infinitum, ita quoque eodem modo inter affines, & est ratio, Quia tales affines ascendentes habentur loco parentum, quibus debetur reuerentia iuxta mandatum 4. praecipi, Honora Patrem & Matrem. Et Moyses prohibitio, cum prohibet cum nouerca coniungi, extendenda est, ad omnes ulterioris gradus personas, quae loco parentum sunt, usque ad infinitum inter ascendentes & descendentes. Sicuti & Iureconsultus Paulus in L. Adoptiuus ff. de ritu Nuptiarum inquit. Appellatione socrus, non tantum uxoris matris Mater, sed & Auia & proauia intelligitur, ut nullam earum possim

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

possim ducere. Vetat enim natura lex, ne qua inter parentes & liberos, aut eos qui parentum aut liberorum loco sunt, commixtio fiat.

Secundo ratione affinitatis in linea recta descendendo prohibemur ducere uxores, primum in primo gradu 1. Priuignam, 2. Priuigni uxorem, 3. Nurum, 4 Sponsam Filij.

Deinde in secundo gradu 1. Vxorem nepotis ex filio seu filia, 2. Neptem ex priuigno seu priuigna.

Postremo, uxorem pronepotis ex filio seu filia, 2 Proneptim ex priuigno, seu priuigna. Et est ratio, Quia tales personae liberorum, filiarum nempe loco sunt.

Hic quoque obseruandum est, cum Moises ait. Turpitudinem Nurus aut priuignae tuae non reuelabis, intelligendas esse omnes alias personas ulterius ex illis propagatas usque ad infinitum, Sicuti & iure consultus in supra citato loco inquit. Priuigna non solum ea mihi esse intelligitur, quae uxoris meae filia est, sed & neptis & proneptis, ut nullam earum ducere possim. Ceterum quae hoc loco de masculis dicta sunt, intelligantur quoque de ijs personis quae sexus foeminei sunt quibus cum omnibus, ascendentibus & descendentibus copulatio interdicta est.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Monendi autem hic sunt iuniores, Regulam supra traditam de ascendentibus & descendantibus in linea recta: Quod nuptie consistere non possint inter eas personas, quæ in numero aut loco parentum liberorumue sunt &c. Tam late patere, ut etiam in linea transversali inter ascendentes & descendentes, & tam consanguinitate quam in affinitate locam habeat.

Sicuti enim filius prohibetur ascendendo ducere uxorem Amitam et materteram, Deinde Amitam magnam & Materteram Magnam, & præter eas Proamitam, & promaterteram, & eos quoque quæ in ulteriore gradu sunt, Et hoc ideo Quia tales personæ loco parentum uidelicet matrum sunt, Et sicuti quis prohibetur ducere uxorem descendendo filiam fratris aut sororis, Item neptem ex fratre aut sorore. Deinde proneptem ex fratre aut sorore, & sic ulterius, & hoc hac ratione, quod tales loco liberorum, filiarum nempe sint.

Ita & propter affinitatem in linea transversali quis prohibetur ducere uxorem ascendendo, 1. Sororem sorori sui aut socrus suæ, 2. Vxorem patris aut auunculi, 3. Vxorem patris magni, aut Auunculi magni, Quia tales personæ quodammodo parentum uidentur et matrum loco sunt,

Eodem

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Eodem modo quis prohibetur ducere 1. Vxorem fratris, 2. sororem uxoris 3. relictam à fratre uxoris, meæ cum tales personæ fere sororum loco sint.

Deinde in secundo gradu 1. Vxorem filij fratris aut sororis suæ, 2. Filiam fratris aut sororis uxoris suæ, 3. filiam sororis aut fratris socrus meæ.

Postremo in tertio gradu 1. Vxorem nepotis ex fratre aut sorore, 2. Neptem fratris aut sororis uxoris suæ. Nam pleræq; harum personarum quasi liberorum uidelicet filiarum loco sunt. Et sicuti reuerentiæ superioribus transversalibus debetur, cum loco parentum sint, ita etiam ab inferioribus transversalibus abstinendum est, cum sint loco liberorum.

Observanda autem est hic in affinitate Regula utilisissima & latissimè patens. Quia uir & uxor sunt una caro, ergo alter ab alterius consanguineis, ita abstinere debet, sicuti à proprijs. Exempli gratia, Sicuti mihi non permittitur ducere uxorem neptem ex fratre aut sorore, propter consanguinitatem & eo quod mihi loco filie sit, Deinde quoq; sicuti neptem fratris aut sororis uxoris meæ, propter affinitatem & eo quod consanguinea uxoris meæ, & mihi quasi filia loco sit, prohibeor ducere, ita & uxor mea me defuncto, cum non possit nubere

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

re nepoti ex fratre suo aut sorore sua propter consanguinitatem, eodem modo non potest contrahere matrimonium cum nepote fratris mei aut sororis mee propter affinitatem, & quod talis mihi consanguineus & ipsi uxori mee tanquam filij loco sit. Ita enim alter ab alterius consanguineis abstinere debet sicuti a proprijs, cum uir & uxor sint una caro, ne uera sanguinis a natura introducta uiolentur.

Cum autem præcipitur ut alter ab alterius consanguineis tanquam à proprijs abstineat, regula tantum de duabus personis, nempe de uiro & uxore, non etiam de ipsorum consanguineis intelligenda est. Ego enim debeo abstinere à consanguineis mee uxoris, et illa à meis, Mei autem & ipsius consanguinei, non sunt inter se affines, ideo inter se contrahere matrimonium possunt. Licitum igitur est ut duo fratres cum duabus sororibus, Et Pater & Filius, cum Matre & filia contrahant.

Hæc breuiter dicta sunt de personis prohibitis ratione consanguinitatis in linea recta ascendente & descendente, quæ in numero parentum aut liberorum sunt. Deinde eodem modo de personis prohibitis ratione affinitatis in linea recta ascendente aut descendente, quæ loco parentum aut liberorū sunt. Postremo etiam

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

mo etiam de ijs personis quæ sunt in linea transuersali ascendente, ueluti amita, matertera &c. Vel descendente, ueluti filia fratris aut sororis, aut ex iisdem nepte &c. ratione consanguinitatis, quæ personæ quoq; loco parentum aut liberorum sunt, Præterea ratione affinitatis in linea transuersali ascendendo ueluti sorore soceri aut socrus, uxore patruum aut Auumculi &c. Aut descendendo fratris uxore aut sorore uxoris, uxore filij fratris &c. Nam & hæ personæ quasi parentum & liberorum loco sunt. Restat igitur, ut breuiter de collateralibus, ueluti fratre & sorore, & eorum liberis dicamus.

De collateralibus.

Regula.

AReliora sunt sanguinis iura inter superiores & inferiores quam inter collaterales. Primum enim qui in linea recta ascendente sunt, ueluti Pater & mater, auus & auia &c. parentes nostri sunt. Qui uero in eadem linea descendente sunt, ueluti filius filia, nepos & neptis &c. liberi nostri sunt. Deinde qui in linea transuersali ascendente primo loco numerantur, uidelicet patruus, amita &c. sunt nobis loco parentum, & ibidem descendendo, ueluti

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

ex fratre aut sorore filia aut neptis &c. loco libero-
rum. Quibus omnibus maior reuerentia iuxta quar-
tum præceptum, Honora Patrem & Matrem, debe-
tur quam collateralibus.

Sciendum igitur est tam iure diuino & naturali,
quam iure civili quoq; , prohiberi nuptias inter fra-
trem sororemue, siue ab eodem patre, eademq; matre
nati fuerint, siue ex altero eorum, Neq; etiam foris
genitam aut uulgo quæsitam sororem cuiq; uxorem
ducere permittitur, ut præceptum est Leuit. 18. Et
Deut. 27. Item in L. Nemini C. De nuptijs & L. Nihil
interest ff. De ritu nuptiarum. Item Parag. Sane enim,
Insti. de nuptijs.

Inter fratrum sororumue liberos & eorum ne-
potes & neptes, coniugium neq; diuino neq; civili
iure prohibetur ut habetur in Parag. Duorum fra-
trum, Institut. De Nuptijs & L. Celebrandis C. eo:
Prohibetur tamen iure canonico communi & usi-
tato c. Non debet, De consanguinitate & affinitate,
cuius prohibitionis cum probabiles & graues cau-
sæ sint, non est uiolanda. Extenditur autem hoc
tempore iure usitato, prohibitio inter collaterales tam
in consanguinitate quam in affinitate, usq; ad quar-
tum gradum.

Complexi

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Complexi sumus in hoc catalogo omnes fere personas, quæ legitime coniungi non possunt. Quam autem Deus incestus & scædas commixtiones abominetur & seuerè puniat, testantur & sacræ & omnium gentium historia & quotidiana experientia.

Restat ut breuiter dicamus etiam de alijs membris, quæ ad legitimam coniunctionem necessaria sunt.

Vt igitur legitima sit coniunctio vnius maris & vnius femine, principio necesse est, sicut iam ostensum est, ne earum personarum coniunctio fiat, quæ sit nepharia & legibus prohibita.

Deinde ut contractus fiat utriusq; partis consensu qui maxime de substantia matrimonij est.

Matrimonium enim consensus, non carnalis copulatio facit.

Tertio requiritur quoq; ad Legitimam coniunctionem parentum, in quorum potestate sunt liberi, consensus. Nam (ut Iureconsultus ait) hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio suadet, in tantum ut iussus parentum præcedere debeat. Hortatur enim quartum præceptum liberos, ut & in nuptijs, re omnium maxima, parentes eo honore afficiant, ne sine illorum consensu & consilio connubia contrahant.

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

Sic parentū consilio uxores duxerunt Isaac, Iacob, Samson & alij pij homines, Et eam autoritatē ut ex parentum iudicio & uoluntate liberi uxores ducant, Moses parentibus quoq; tribuit cum Exo 34 inquit. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis. Et Paulus 1. Cor. 7. Qui matrimonio iungit uirginem suam bene facit, Apparet quoq; ex Ecclesiasticis scriptoribus hunc morem à patribus receptum, semper in Ecclesia & populo Dei obseruatam, ne liberi sine parentū consensu connubia inirent. Sic enim Tertulianus uetustus autor lib. 2. ad uxorem scribit. Nam nec in terris, filij sine consensu patrum rite & iure nubent. Et Ambrosius citans Euripidis uersus in Andromacha cum Orestes Hermionis connubium petit, ostendit hanc rem non ad suum sed patris arbitrium pertinere, sic enim ait.

Νυμφαυμάτων μὴ τ' ἐμῶν πατρὶς ἐμὸς
μέριμναρ ἔξει, ἢ οὐκ ἐμὸν κτείναν τὰδε.

Quare matrimonium sine parentum consensu contractum, non ualebit, nisi accesserit copula carnalis, ita ut res amplius non sit integra, Nam tunc dirimi non debet. Sed si parentes sunt duriores, & liberorum connubia ex nulla probabili causa impedire uoluerint, officio magistratus ad hoc cogi debent, sicuti extat de hoc

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

hoc lex imperatorum Seueri & Antonini ff. de ritu nuptiarum, quæ sic statuit. Qui liberos, quos habent in potestate iniuria prohibuerint uxorem ducere uel nubere, uel qui dotem dare noluerint, ex constitutione diuorum Seueri & Antonini per proconsules præfidesq; prouinciarum, cogantur in matrimonium collocare, & dotare, Prohibere autem uidetur & qui conditionem non querit,

Ratum autem erit coniugium si parentes non contradicant aut non impugnent sine ipsorum uoluntate contractum.

Tutorum autem & curatorum consensus maxime in adultis, non ita requiritur, sicuti sonat, Lex, in copulandis C. De nuptijs. Hæc præcipua sunt quæ ad legitimam coniunctionem requiruntur, de quibus hæc breuiter dicta sufficiant.

Sequitur secunda pars definitionis, quæ autorem coniugij monstrat cum dicitur, Esse coniunctionem à Deo ipso institutam, quæ institutio Gen. 2. habetur.

Cam igitur coniugium sit ordinatio diuina, necesse est in pjs hoc genus uitæ esse castum & sanctum, & consuetudinem coniugalem, & totam illam maris & femelle consociationem, placere Deo. Sic enim
inquis

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Inquit Scriptura: Masculum & foeminam creauit eos, Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, Quia igitur benedicit & iubet crescere & multiplicari, adprobat hoc uitæ genus.

Magna igitur consolatio proposita est pijs coniugibus, cum sciunt se uersari in tali genere uitæ, quod & à Deo ipso institutum est, & cui benedicit, quod adprobat tuetur & conseruat, sicuti & Psal. 127. inquit, Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.

Execrandi igitur sunt Tacianus, Marcion, Saturninus & alij Encratite, qui coniugium tanquam rem foedam damnant. Quales furor quoq; pontificum Romanorum fuit, qui sacerdotibus & Monachis coniugia, diuinitus omnibus hominibus sine ullo discrimine, qui ad illud idonei sunt, concessa, prohibuerunt. Quamquam enim celibatis magnum donum sit, tamen non omnes sicuti Christus inquit capiunt uerbum hoc, & ut Paulus ait; Vnusquisq; proprium donum habet à Deo, alius sic, alius aliter.

Tertia & postrema pars definitionis, completur causas finales propter quas matrimonium diuinitus institutum est. Quarum prima est, ne homo

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

homo sit solus, sed habeat sociam & adiutricem con-
iunctam in tota uita. Cum enim conditus esset Adam,
& reliqua omnia animantia haberent sui generis com-
par, cum quo sibi simile procreare possent, solus
Adam tali adiutorio destituebatur. Mulier igitur Eua,
non ex limbo terræ, sed ex costa uiri edificata, illi con-
iungitur, ne sit solus, sed ut habeat uxorem adiutri-
cem, tum ad humani generis procreationem, tum in
tota uita, in educatione liberorum, in regenda fami-
lia, in parandis & tuendis rebus ad hanc uitam ne-
cessarijs, ut partem laborum & molestiarum susti-
neat, & ut omnis fortunæ sociam, & quasi solatium
& leuamen multarum miseriarum huius æuannose
uite habeat.

Neque enim in æuannis remedium ullam suauius
& dulcius est, quam præsentia & consociatio piæ
& prudentis coniugis. Sicuti & Prouer. 31, dicitur.
Cui contigit proba uxor, ea præstat gemmis, confidit
ea cor mariti, & res familiaris non deficit.

Præterea cum muliebris sexus per se sit imbecil-
lis, & opus habeat rectore & defensore, non uult
Deus mulieres, quæ sunt ad coniugia idoneæ, ua-
gari sine duce aut capite, sed coniunctas certo
uiro, ex quo defensionem, & præsidium habe-
ant, &

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

ant, & ex cuius iudicio pendeant, & ut non usgentur
 uel solitarie, uel passim cum omnibus, sed ut sciant,
 cui capiti, cui duci, cui carni ac quibus ossibus debeant
 esse coniunctæ. Hoc est quod uox diuina inquit: Non
 est bonum hominem esse solum & c.

Vult enim Deus homines non solitariam aut Mon-
 asticam, sed in media luce, in communi societate &
 coniunctione hominum uitam agere. ideo per uincula
 matrimonij, sanguinis, adfinitatum, & aliarum ne-
 cessitudinum homines copulauit, non ut in ocio, libe-
 ri, uagi, soluti curis & miseris priuatis & publicis,
 sicuti hoc tempore Monachi, Canonici, & sacerdo-
 tes, suauiter uiuerent, sed ut oppressi multiplicibus
 ærumnis & calamitatibus, haberent exercitia fidei,
 spei, inuocationis, dilectionis, patientiæ, confessionis
 & multarum uirtutum, Quarum rerum ignari sunt
 ij qui in celibatu se uiuere fingunt, homines multiplici
 obscenitate contaminati.

Talem consociationem in genere humano per ma-
 trimonia diuinitus instituta significat etiam uox (ædi-
 ficare,) diserte posita, cum ex costa uiri mulierem
 ædificatam ostendit, ut significet ex illa coniunctione
 maris & femelle, ædificari familias, ex familijs ciui-
 tates,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tates, & inde regna, Rerum publicarum enim & Imperiorum seminarium est coniugium.

Ideo autem mulier non de pede, quia non erat serua, nec de capite, quia non erat uiri Domina sed de costa edificatur, quia erat uiri socia futura, Præterea non de limo terræ, sed de carne & ossibus uiri, quo mutuus amor & indissolubile uinculum significatur & præcipitur, ut uir uxorem, tanquam costam, carnem & ossa sua complectatur, foueat & amet. Ideo hic inquit Paulus. Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua, Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit, Nemo enim unquam suam carnem odio habuit. Et ideo quoque non ex capite ut iam dictum est, sed ex costa edificatur mulier, ut maritum tanquam caput suum colat & reuereatur ut hic à Paulo præcipitur. Uxores proprijs uiris subditæ sitis ueluti Domino, quoniam uir est caput uxoris &c.

Secunda causa coniugij diuinitus instituti, est propagatio generis humani, ex quo colligatur Ecclesia in omnem æternitatem uictura cum Deo, quæ ei sit copulata indissolubiler, Vult enim propagari genus humanum Deus, non ex uagis libidinibus, non ex adulterijs et stupris, sed eo modo & fœdere inter

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

marem & foeminam, quem ipse initio instituit. Deinde ex hac carnali propagatione, per uerbum aquam & Spiritum sanctum, Filius Dei uult sibi colligi & renasci Ecclesiam sponsam redemptam primo sanguine suo, deinde sanctificatam & mundatam lauacro aquae per uerbum, cui bonitatem suam iusticiam & aeternam uitam sit communicaturus. Impleto autem numero electorum, & uocatorum ad nuptias filij Dei, cessabit matrimonium, & possidebunt electi cum sponso suo regnum Patris sui, ubi amplius non nubent, neq; ducent, sed erunt sicut Angeli Dei in caelo, ut docent parabole Matth. 22 & Lucae 14.

Tertia causa est ut per usum thori matrimonialis uitentur incendia libidinum, scortationes, adulteria, stupra & omnes immundiciae & foeditates, quibus non modo ipsi homines, sed & terra & creatura rerum polluitur. Ideo 1. Cor. 7. precipit Paulus. Propter fornicationem unusquisq; suam uxorem habeat & unaqueq; suum uirum. Fornicatores enim et adulteros uidebit Deus Heb. 13. Et 1. Cor. 6. Neq; fornicatores, neq; adulteri regnum Dei possidebunt.

Postrema causa est, ut haec unius maris & unius foemelle corporales coniunctio in hac uita, sit imago & commonefactio illius mirandi foederis, quo Deus sibi

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sibi Ecclesiam copulavit ac summi & inenarrabilis amoris divini erga sponsam suam Ecclesiam. Ideo Paulus ait Quoniam membra sumus corporis eiusdem ex carne eius, & ex ossibus eius &c. Item mysterium hoc magnum est de Christo & Ecclesia. Hoc uero mysterium, statim in creatione hominis & coniunctione Adæ & Eue significatum fuit.

Quemadmodum enim Adam obdormiscit, & ex dormientis latere, seu costa ex latere sumpta, edificatur mulier, quæ cum sit os ex ossibus eius, & caro de carne eius, ita arctè illicopulatur ut una sint caro, ita Christus sponsus Ecclesiæ obdormiscit in cruce & ex dormientis latere promanat sanguis & aqua, quo sanguine primum Ecclesia edificatur & redimitur, quæ antea sub peccato, sub ira Dei & regno Sathane erat. Deinde mundatur & sanctificatur per uerbum & aquam, sicuti hic inquit Paulus, Christus seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ per uerbum, Sicq; Ecclesia ex latere Christi edificata, & mundata per uerbum & aquam, sincera sponsione & fide copulatur sponso Christo, sicuti Osee 2 scribitur, Desponsabo te mihi in eternum, Desponsabo te mihi in iusticia et iudicio, in gratia & miserationibus, In fide desponsabo te mihi & cognosces Dominum,

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

Cæterum diligenter hoc loco consideranda est collatio coniugij & mirandi istius foederis quo Christus Ecclesiam sibi copulauit.

Quinq; uero sunt quæ in coniugio esse debent, Amor mutuus, fides, societas honorum & ærumnarum, Generatio, & postremo defensio.

Sicuti autem uiri uxores suas tanquam corpora sua diligere debent, ita certo credamus nos uerè à Christo tanquam corpus suum & membra à capite diligi, quem suum erga nos amorem testatus est, primo quod (ut Epist. ad Ebreos inquit) non angelos, sed semen Abrahamæ assumit, quod eandem miseram carnem & naturam, sine peccato tamen, assumit qua nos tecti sumus, tentatus etiam ita per omnia, Quæ assumptio humanæ naturæ, certissimum nobis pignus esse debet, filium Dei ardenti amore complecti genus nostrum ipsi cognatum, unde etiam fratrum nomine nos dignatur.

Deinde etiam mors filij Dei pignus sui erga nos amoris esse debet, sicuti Ioan. 15. inquit. Maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, Et Paulus hunc amorem Christi prædicat his uerbis: Viri diligite uxores ue-

stras,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

stras, sicuti & Christus dilexit Ecclesiam, & semet-
ipsum exposuit pro ea &c.

Hic amor Christi ita nos complectentis, tum cum
de coniugali amore cogitas, semper tibi ueniat in men-
tem, quem terroribus peccati & iræ Dei opponas.
Certum enim est non odisse, nolle abiectos & dam-
natos quorum genus induit, quorum particeps factus
est, qui (ut hic inquit) membra sunt corporis eiusdem,
ex carne eius, & ex ossibus eius & quos sanguine
suo redemit.

Veniat autem & hoc tibi de coniugali amore cogi-
tanti in mentem, te simili amore Ecclesiam complecti
debere, qua tuam coniugem complecteris, & Chri-
stus te & totam Ecclesiam complectitur, Vt eam om-
nibus officiis iuues, ornes, conseruare & propagare
studeas. Ideo enim has *σούγας*, erga parentes, liberos
coniuges & cognatos humane nature in seuit Deus,
ut nos de ipsius erga nos uoluntate & beneuolentia
in enarrabili, commonesciant, sicuti inquit Psal. 103,
Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Do-
minus timentibus se. Et Esa. 49. dicitur. Nunquid obli-
uisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur
filio uteri sui. & si illa oblita fuerit, ego tamen non
obliuiscar.

ENARRATIO CAPITIS QUINTI

Secundo sicuti inter coniuges amor mutuus, ita et fides mutua esse debet. Christus unicum sponsam & eam solam complectitur, quam ipse sanguine suo redemit & sanctificauit, & per lauacrum aquae & uerbum mundauit, id est, quae puritatem doctrinae Euangelij & uerum usum sacramentorum retinet, non diligit contemptores, corruptores aut hostes suae doctrinae, non haereticos, non furores ethnicos, sectam Mahometicam, sed solam hanc sponsam quae uocem ipsius audit & amplectitur. Sicuti Ioannis 8. inquit. Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis.

Ita & uicissim Ecclesia sponsa Christi, praestet fidem sponso suo, non fiat adultera, non contamine se aliarum sectarum opiniobus seu cultibus, sed solius sponsi uoci obtemperet, sicuti ait: Oues meae uocem meam audiunt.

Tertio inter coniuges debet esse societas bonorum & miseriarum. Christus nostras exumnas & sordes peccatorum nostrorum, iram Dei, penam & mortem in se transfert, & fit uictima pro nobis, & suo sanguine maculas nostras abluat & abstergit, ut fiamus sancti & irreprehensibiles. Deinde bona sua, aeternam iusticiam & uitam nobis communit.

cat. It.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

eat. Ita & uicissim Ecclesia sua bona sponso impertiat, uidelicet, confessionem, Gratiarum actionem, celebrationem eius nominis, & propagationem eius uerbi, patientiam in afflictionibus, ut sit socia crucis & fiat conformis imaginis sponsi sui &c.

Quartum coniugij bonum est Generatio & educatio, quæ corporalis generatio & ipsa imago nobis, & commonefactio esse debet illius Spiritus generationis. Christus enim sponsus, dat Ecclesie sponse suæ uerbum, aquam baptismi & Spiritum sanctum, quibus quotidie aliqui generantur & renascuntur, ut sint heredes Dei et cohæredes Iesu Christi. Et deinde ita renati, commendantur Ecclesie tanquam matri, cuius ministerio porro fouentur & educantur, ut crescant in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi supra Cap. 4. Sicuti i. Pet. i. & in plurimis locis alijs de hac generatione scriptum est, Renati non ex semini corruptibili, sed incorruptibili per uerbum Dei &c.

Vere autem tanquam matres liberos, ita Episcopi & pastores, membra Ecclesie quibuscunq; possunt officijs complecti & fouere debent. Talis autem solum nunc non est in nostris Episcopis, qui & Ecclesiam matrem crudeliter lacerant, & Ecclesie liberos interficiunt.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Econtra quoq; pij auditores Ecclesiam & Doctores, non secus atq; matrem & parentes suos colant & reuereantur, & illis obtemperent, curent ali & defendi pios doctores, non sint contumaces aduersus eos &c.

Postremum quod in coniugio esse debet, est defensio. Quia enim uir est caput uxoris, & sexus muliebris seipsum tueri & seruare aduersus iniurias non potest. Ideo uult Deus uiros esse defensores uxorū, liberorum & totius familiae, & esse tanquam & totius corporis. Hoc modo & Christus sedens ad dextram Patris excubat pro Ecclesia sponsa sua, quam perpetuo aduersus diaboli furores, tyrannorum seuitiam & hereticorum blasphemias & alia mala defendit, ut testatur historia à condito mundo & presentiam horum temporum, quo diabolus & impij homines ueram Ecclesiam prorsus delere conantur. Et quanquam necesse sit eam fieri conformem imaginis sponsi sui, tamen Christus mitigat Ecclesiae arumnas & corpus seruat, ac in media morte dat uitam ijs qui interficiuntur.

Hanc collationem ponit hic ob oculos Paulus, ut eam pie mentes saepe considerent. Habet enim uberrimam & firmissimam consolationem, ideo inquit Paulus:

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Paulus? *Mysterium hoc magnum est de Christo & Ecclesia. Sed hæc nos breuiter, tantum monendi causa attigimus, ut haberent studiosi de his tantis rebus diligentius considerandi materiam.*

Restat Definitio Ecclesie explicanda, quæ hic posita est.

QVID SIT ECCLESIA.

Ecclēsia est congregatio dilecta à Christo, & ab eo redempta, ac sanctificata per baptismum & uerbum, ut sit iusta & hæres uitæ æternæ.

Hæc est definitio ueræ Ecclesie, quæ tantum de uiuis membris & uere renatis, non etiam de hypocritis aut pseudo Christianis loquitur, qui ut mali pisces cæteris in sagena, ita illi ueræ Ecclesie & uiuis membris admixti sunt.

Considerandæ autem sunt singule definitionis partes, quæ discernunt Ecclesiam ab omnibus alijs gentibus, aut sectis, & ostendunt quæ sint propria bona, tantum huius coetus, non etiam aliarum gentium aut congregationum.

Dicit autem esse talem coetum qui à Christo Filio Dei diligatur. Certum autem est eum coetum tantum ab ipso diligi & seruari, à quo ipse agnoscitur & diligitur.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

diligitur, & uera fiducia & obedientia colitur. Quare membra huius Ecclesie esse non possunt Ethnici, Iudei, Mahometistæ, qui Christum filium Dei ignorant, contemnuunt & blasphemant. Neq; etiam Ecclesie membra erunt Numa, Socrates, Aristides & alij, qui quanquam honeste uixerint, tamè quia sine agnitione filij Dei fuerunt, nõ sunt ab eo dilecti, non sunt heredes eterne uite, Et scriptum est, qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum. Item, Omnis qui negat filium nec patrem habet. Et Ioan. 5. Qui credit in filium habet uitam eternam, qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Damnandi igitur sunt illorum furores, qui affirmant saluari eos qui externam disciplinam seruant quanquam sint sine agnitione filij Dei.

Primum igitur et ingens bonum est, quod hic coetus in quo eius cognitio lucet, diligitur à filio Dei. Ceteras autem gentes se contemnentibus odit & execratur, qualis qualis ipso sit uel religio, uel disciplina. Neq; enim ullus cultus placet Deo, nisi ab ipso mandatus, & in agnitione filij sui, & per hunc pontificem ipsi oblati.

Alterum bonum huius congregationis proprium est, quod est redempta per filium, quo ut supra dictum est, suum amorem erga Ecclesiam sponsam suam est testatus.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tus. Hoc immensum beneficium redemptionis & liberationis factæ per filium Dei, sola hæc Ecclesia agnoscit & celebrat & in ea omnem fiduciam positam habet, Cæteræ gentes quia hoc beneficium filij Dei aspernantur & fabulam esse putant, nec agnoscere nec certa fiducia apprehendere uolunt, ideo non liberantur, sed manent sub peccato, ira Dei & morte, Sicuti scriptum est, Qui non credit iam iudicatus est. Item, ira Dei manet super eum.

Tertium autem bonum Ecclesiæ est, quod sanctificatur ut sit iusta et hæres uitæ æternæ. Hic uero præter interna bona hæctenus cõmemorata, ponit etiam externa signa et notas ueræ Ecclesiæ, quibus à cæteris gentibus, & ab omnibus alijs commentitijs religionibus & profেশionibus discernitur. Dicit enim hanc congregationem esse sanctificatam, & quidem per aquam & uerbum, quo ostendit reliquas omnes gentes, quæ hoc modo nõ sanctificantur, non esse sanctas, iustas, sed Prophanas, immundas & pollutas.

Sunt autem duæ externæ notæ quibus Ecclesia hæc, ab alijs gentibus discernitur, uerbum & uerus usus Sacramentorum. Primum credentium corda per uerbum diuinitus patrefactum & per Filium, Prophetas & Apostolos traditum sanctificantur, hoc est,

agnoscunt

· EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

uerum Sacramentorum usum retinet, Et fugiamus omnes alias religiones & sectas, pugnantes cum doctrina uera Euangelij & quæ uerum Sacramentorum usum corrumpunt.

Hæc hoc tempore breuiter de Ecclesia dicta sint. Nam & supra in fine capitis secundi quædam de hoc ipso loco dicta sunt. Restat postremus huius capitis locus de Baptismo.

DE BAPTISMO.

καθάρσιος τῷ λόγῳ τοῦ ἔργου τοῦ ὕδατος
ἐν ῥήματι &c.

Sicuti Paulus in Epistola ad Titum cap. 5. Baptismum ait esse lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti effusi in nos per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem uitæ æternæ, Ita & hoc loco ualde illustris & erudita definitio traditur, quæ causam materialem, efficientem, formalem & finalem complectitur.

Est enim Baptismus lauacrum aquæ, cui uerbum seu promissio Dei coniuncta est, diuinitus ad hoc institutum, ut homines in peccatis concepti & nati, per hoc lauacrum & spiritum sanctum, accedente eorum
qui lau

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

qui lauantur fide, quæ promissionem, aquæ additam, apprehendat & sibi applicet, à sordibus omnium suorum peccatorum abluantur, ut sic loti sint sancti & immaculati & hæredes uitæ eternæ, & ut fiducia huius lauacri & additæ promissionis, tanquam certi fœderis, pignoris seu sigilli, qui antea peccati & Diaboli membra & serui erant, iam renati & renouati inseruantur Christo, & ei tanquam sponso hoc fœdere & indissolubili uinculo in eternum copulentur & non amplius secundum carnem, sed secundum Spiritum renouantem uiuant.

EXPLICATIO DEFINITIONIS.

Iam uero singulæ definitionis partes considerentur.

Primum cum lauacrum aquæ seu regenerationis appellat, ostendit priorē natiuitatem carnalem propter peccatum esse damnatam, ideo opus esse lauacro renascentiæ Spirituales, iuxta præceptum Christi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Vult n. Deus naturam peccatricē in his aquis tanquam diluuij submergi, ut eius mortificatio et renouatio in hac uita inchoetur incredentibus, quæ natura peccatrix, in morte tota abolebitur, & resuscitabitur nouus & integer homo, qui sit secundū Deum conditus in uera iusticia & sanctitate, ut supra ostensum est.

Huius

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Huius naturæ peccatricis mortificationem, significabat etiã ritus primitiue Ecclesiæ seruatus in baptismo, ut ter mergerentur baptisandi tanquam submergendi, Et uestis Alba qua induebantur baptisati, signum & commonefactio erat regenerationis & uitæ nouitatis. Sic & Paul: Rom: 6. inquit. An ignoratis, quod quicumq; baptisati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptisati sumus. Sepulti igitur sumus, una cum illo per baptismum in mortem.

Secundo dicit lauacrum aquæ seu regenerationis esse per uerbum, hoc est, cui aquæ diuina promissio sit addita, Quare non omnis aqua, sed tantum hæc quæ uerbū habet, à peccatis abluit, Et cum significat promissionem diuinam huic aquæ additam, ostendit in baptisato requiri simul fidem, quæ hanc promissionem apprehendat & sibi eam adplicet, sicuti sonant uerba promissionis, Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit.

Hoc uero loco moneri necesse est damnandum esse eorum errorem, qui sine mandato & institutione diuina, ipsi uerbum Dei uarijs creaturis coniungunt, ut sunt benedictiones aquæ lustralis, olei, cereorum, herbarum & multarū aliarum rerum, quibus propter illas consecrationes et propter uerba sacre scripture et

characteros

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

characteres crucis illam uim tribuunt, ut à peccatis nos mundent, arceant Diabolos, & uaria mala & pericula propellant. Hæc quia sine mandato, imo contra præceptum Dei fiunt, non assumes nomen Domini Dei tui inuauum, ut impie superstitiones damnandæ sunt. Baptismus enim expressum mandatum & institutionem & manifestam à Deo ipso additam promissionem habet, ita & illi execrandi sunt, qui professionem uitæ Monasticæ baptismo æquant.

Primo igitur definitionis pars ostendit Materiam huius Sacramenti, ex quo constat, esse Aquam & uerbum.

IN secunda parte monstratur autor Baptismi, cum dicitur hoc lauacrum diuinitus institutum.

Videtur enim impijs res ridicula & impossibilis tali lauacro tolli peccata & iram Dei, & dari iusticiam & uitam æternam, Quare hic causæ efficientes considerandæ sunt.

Primum quod sit institutio diuina quæ annexam promissionem habet, recipi & saluari sic lotos & si de sibi adplicantes illam promissionem.

Deinde non nos ipsi sumus, non sacerdos est qui lauat, sed Deus ipse, sicuti hic dicit Paulus, Christus sanctificauit

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

sanctificauit Ecclesiam, mundans eam lauacro aquæ per uerbum. Sicuti & baptismi uerba sonant: Baptiso te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, id est, uice & loco, fungens ministerio Patris & Filij & Spiritus sancti, & efficatia & uirtute Patris & filij & Spiritus sancti, & in eorum agnitionem, fidem, fiduciam, inuocationem & obedientiam te baptiso.

Tertio ut manifestum sit baptismum non hominis, sed Dei opus esse, quo externo signo & addita promissione, Deus testatur se sic lotos recipere, adest baptismo Christus & tota diuinitas, uox cœlestis patris auditur de cœlo, filius Dei stat presens in Iordane, & Spiritus sanctus in specie columbæ apparens quiescit in Christo, quæ admiranda manifestatio ideo fit, ut credamus Patrem, Filium & Spiritum sanctum semper adesse baptismo presentes, & se hoc opere testari, quod sic mundatos uelint recipere, defendere, exaudire saluare. Quare non ut hominis, sed ut Dei & Spiritus sancti lauacrū Baptismus, sicuti uocat Paulus intuentus est, unde & tantam uim habet ut tollat peccata & credentes faciat heredes uitæ æternæ.

Postrema pars definitionis continet causam formalem, cur diuinitus institutus sit baptismus, nempe
 ¶ ut hoc

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

ut hoc modo mundati, simus sancti & immaculati &
heredes uitæ æternæ.

Quomodo tollatur peccatum
per baptismum.

Hic uero queritur, quomodo baptisati sint sancti
& immaculati, cum certum sit in renatis reli-
quam esse peccatum. Breuiter igitur de discrimine
peccatorum hic dicendum est, de quo supra cap. 2. co-
piosius dictum est. Duplex est peccatum, Aliud re-
gnans & condemnans, quod est in non renatis pecca-
tum originis cum omnibus fructibus suis, peccatis
nempe contra conscientiam, quæ conscientiam pollu-
unt, & fidem ac Spiritum sanctum excutunt, quæ
peccata omnia sunt damnantia & mortalia. Altera
species peccati, est malum originis, concupiscentiæ &
motus inordinati contra præcepta Dei, hoc peccatum
per baptismum ita tollitur (sicuti S. Augustinus ait)
non ut non sit, sed ut non imputetur, item tollitur rea-
tu, non actu, Agens enim concupiscentia in carne, solu-
licitans nos ad peccata, manet etiã in sanctis & renatis,
sicuti Ecclesia quotidie orat, Dimitte nobis debita
nostra. Item pro hac orabit ad te omnis sanctus, quod
quanquam per sese ingens malum sit, tamen quia
baptisatus es & credis in Christum, reatus & con-
damnatio

EPISTOLAE AD EPHESIOS

idemnatio tollitur sicuti Paulus Rom. 8. inquit, Nulla
condemnatio ijs qui in Christo Iesu sunt, Et hoc pec-
catum in sanctis est peccatum non regnans sed serui-
ens, cui sancti resistunt ut Spiritui obedire cogatur,
iuxta præceptum Pauli. Ne regnet igitur peccatum
in mortali corpore uestro &c.

Hic uero taxandus est & illorum error, qui ne-
gant peccatum originis esse in ijs qui ex bap-
tismatis parentibus prognati sunt. Somniant enim per
baptismum prorsus tolli malum originis cum omni-
bus peccatis, & fructibus. Sciendum igitur est, quod
sicuti ex circumcisis progeniti, secum afferrebant præ-
putium & ideo circumcisione opus habebant, Ita ex
baptismatis natos, secum in carne sua ex propagatione
afferre peccatum, reatum & condemnationem, quæ
mala ut tollantur, opus eis esse baptismo & fide.

Sumus igitur per baptismum sancti & immacula-
ti, non quod non sit peccatum & malum originis in
nobis, sed quod propter Christum, cui per baptismum
& fidem inserti sumus, nobis non imputetur, & sit
tectum & remissum iuxta dictum Psalmi, Beati quo-
rum remisse sunt iniquitates, & quorum tecta sunt
peccata &c.

ENARRATIO CAPITIS QVINTI

Deinde corpus peccati in nobis incipit mortificari, & per Spiritum sanctum uita nouitas inchoatur, Ideo Paulus uocat baptismum lauacram regenerationis & renouationis Spiritus sancti, qui per aquam & uerbum in credentibus est efficax, primum ut statuunt propter filium Dei, cuius sanguine abluti & sanctificati sunt, non imputari sibi peccata sed se recipi & esse heredes Dei. Postea ut & nouam obedientiam in uera iusticia & sanctitate in eis inchoet &c. Propter quam tamen non sumus iusti & sancti, sed tantum propter Christum, quem fide nobis applicamus.

Hæc breuiter hoc loco de baptismo atq; adeo de toto hoc quinto capite Epistolæ ad Ephesios dicta sint.

CAPVT SEXTVM ad Ephesios.



VPRA capite proximo orsus est Paulus præcepta œconomica, ubi docere cepit quæ inter coniuges mutua esse debeant officia. Pergit itaq; in hoc postremo capite præcepta illa pertexere, & ostendit

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

dit quibus officijs liberi parentibus & rursus parentes liberis, Deinde serui Domini, et e contra Domini seruis diuinitus obligati sint.

Filij obedite parentibus uestris.

Pincipio hortatur liberos ad obedientiam erga parentes, certis & breuissimis argumentis tanquam obiter ostensis, qua si diligentius consideraue-
ris, multum neruorum & ponderis habent. Cum enim ait filij obedite parentibus uestris in domino, ostendit sic diuinitus constitutum & ordinatum, ut post Deum summa obedientia & praecipuus honos a liberis prestandus sit parentibus, id quod & series & ordo praceptorum Decalogi testatur, Primum enim praecipuum in secunda tabula est de honorandis pa-
rentibus.

Quia enim diuina ordinatio est ut liberi ex paren-
tibus procreentur, & magnis doloribus matrum pro-
creati & in hanc lucem editi, parentum cura, labore,
uigijs & plurimis molestijs alantur & defendan-
tur, Vult Deus liberos haec parentum summa beneficia
agnoscere, & post se primum & summum honorem
parentibus exhiberi. Haec ostendit ita diuinitus ordi-
nata esse cum ait obedite in Domino. Primum igitur
argumentum adhortationis sumptum est ab autore,

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Deo ipso, qui hæc ita decreuit & statuit, Simul autem monet illam obedientiam quam liberi parentibus præstant, ipsi Domino exhiberi, sicuti & mox infra dicit, seruos non hominibus sed Domino seruire.

Cogitent igitur liberi diuinam ordinationem, & legem nature esse, ut obediant parentibus, & illam obedientiam non parentibus modo, sed & Deo præstari, & esse gratam & acceptam, & hac cogitatione sese ad obedientiam exerceant.

Τὸ αὐτὸ γὰρ ἔστι δὲ ἀλλοίως.

Secunda ratio quam liberis considerandam proponit, sumpta est ex debito. iustum & æquum est primum ut humana natura obediat ordinationi diuinæ, Deinde ut & liberi obtemperent parentibus quibus post Deum uitam corpora sua & facultates suas pro officijs summis procreatione, nutritione, educatione, disciplina & defensione debent. Scelerate igitur & impie faciunt liberi, qui hunc ordinem à Deo institutum uiolant, & qui erga parentes ingrati sunt, neque eis debitam obedientiam præstant. Neque enim natura homines tantum, sed & bruta animalia docet reuerentiam, honorem, obedientiam & mutua officia nutritionis & defensionis nos debere parentibus.

Sicuti

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Sicuti de Equis, Elephantis, Ciconijs et quibusdam alijs historie commemorantur, Et apud Athenienses honestissima lex fuit, Liberi alant parentes, aut uintiantur.

Quam uero mirifice bonæ mentes afficiuntur cum uirtute & pietate liberorum parentes uel tectos & defensores, uel sustentatos audimus uel legimus, Qualia sunt illa pietatis erga parentes, quæ à Valerio Maximo commemorantur exempla & alia multa, ut Scipionis Africani maioris, qui etiam num adolefcens in acie obiectu sui corporis fortiter contra hostem dimicans patrem seruauit, Deinde de filiabus quarum altera matrem, altera patrem inclusos carceri & fame necandos, suis uberibus aluerunt &c.

Τίμα τῶν πατέρων καὶ μητέρων.

Tertia ratio sumitur ex præcepto diuino, cui obedire omnes homines debent. Sciendum autem est, honorem qui parentibus debetur, in tribus rebus consistere, in opere, sermone, & tolerantia seu patientia. Sicuti Ecclesiasticus cap. 3. docet cum ait, In opere & sermone & omni patientia honora Patrem tuum ut superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat.

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Honos igitur qui in opere consistit, est, ut illorum inopiam subleuemus, eos tueamur, iuuemus, egrotos & senes sustentemus, rursus foueamus & omnibus debitis officijs prosequamur, breuiter ut considerantes ipsorum erga nos summa & innumerabilia officia, cogitemus nos lege naturæ ad similia officia parentibus obligatos, sicuti prouerbum ἀντιπελάγῃ γῆρ & Ciconiarum lex ab Aristophane in auibus recitata monet Δεῖ τοὺς νεοτῆοὺς τὸν πατέρα πάλιν ἔεφαρ.

Deinde honos qui consistit in sermone, est ut honorifice de eis sentiamus & loquamur, abstineamus à contumelijs & conuicijs, sicuti in Mose præcipitur, Qui maledixerit Patri aut Matri, morte moriatur. Item ne fastidiamus aut contemnamus ipsorum monita, filius enim sapiens (ut Prouer. 13. scriptum est) audit castigationem Patris, qui autem irrisor est, non audit quum arguitur, Et cap. 23. Audi patrem tuum qui genuit te, & ne contemnas cum senuerit mater tua.

Postremo parentum honos consistit quoq; in tolerantia, ut eorum morbos, asperitatem, morositatem, & alia incommoda quæ senectus secum affert toleranter feramus, & cogitemus, quam multa mala, labores, uigilias, curas, miserias & erumnas nostra causa

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

causa in partu & educatione multos annos sustinuerint, ut & nos siquid ab illis est molestiarum, patienter propter Deum toleremus, Sicuti inquit Ecclesiasticus Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in uita illius, & si defecerit sensu ueniam da, & ne spernas eum in uirtute tua.

Quod est præceptum primum
in promissione.

Postrema ratio cur obediendum sit parentibus sumpta est à premijs & pœnis.

Principio autem quaeritur hic, cur Paulus dicat hic, hoc præceptum primum esse quod promissionem habeat, Cum tamen uerissimum sit omnibus præceptis additas esse promissiones, quæ prestantibus obedientiam pollicentur præmia, Deinde etiam comminationes, quæ de pœnis aduersus inobedientes concionantur, Sicuti Deut. 28. Videmus toti legi addi benedictiones, & maledictiones, Et Exo. 20. toti Decalogo additur comminatio & promissio, Visitans iniquitatem patrum in filios, Item faciens misericordiam in millia &c.

Breuius respondeo, Paulus loquitur hic de promissione quæ specialiter huic præcepto addita est.

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

significat enim, Deus se peculiariter obedientiam erga parentes & opera huius præcepti compensaturū malis & magnis bonis præsentis & futurae uitæ, & præcipue hic fit mentio bonorum præsentis uitæ, ut hoc modo ad obedientiam & opera huius præcepti præstanda liberi exuscitentur. Videmus enim eam esse corruptionem naturæ humanæ, ut magis præsentibus, quamquam fluxis et interituris, quam futuris & æternis bonis commoueat.

Ut bene sit tibi & sis longeuus
super terram.

Certissimum & uerissimum est, sicuti etiam experientia testatur, & ut hic sonat promissio, opera huius præcepti compensari bonis huius uitæ, & inobedientiam etiam puniri in hac uita, id quod & superiorum temporum & omnium ætatum exempla docent. Videmus enim regulare esse, sicuti etiam pro- uerbia, quæ ab experientia sumuntur, testantur, frui eos huius uitæ commodis & esse foelices qui obedientiam parentibus præceptoribus et magistratibus præstant, Vnde apud Græcos prouerbialis extat uersiculus.

ἰναὐτὸς βιώσῃ γρηγοροσκοπῶν τοὺς γονεῖς.

Pascens senes parentes, foeliciter uiues.

Ecclesiastici 3. Non peribit memoria beneficij quod patri

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

patri exhibueris, id est, abunde compensabitur. Item
 qui honorat Patrem suum vita uiuet longiore &c.
 Wer Vater vnd Mutter vbel helt/
 dem gehet es nimmermehr wol etc.

Sem & Iaphet honorantes Patrem Nohe, benedi-
 cuntur, Cham ludibrio Patrem habens subijcitur ma-
 ledictioni, ita horribiliter puniuntur Absolon, filij
 Heli & multi alij quotidie omnibus etatibus qui er-
 ga parentes impij sunt, Sic & Homerus Iliados 4.
 Cum Simoisius Anthemionis filius à Telamonio Aia-
 ce hasta ictus interficitur, causam huius casus dicit
 esse ipsius impietatem & ἀσorgίαν erga parentes,
 οὐδὲ τοκεῦσι θεήπια φίλονς ἀπέδωκε.
 μινωθάδι & δὲ εἰ? αἰώρ' ἔωλετο.

οἱ πατέρες μὴ παροργίζετε τὰ
 τέκνα ὑμῶν.

Superius commemorauit quae officia liberi paren-
 tibus debeant, Videlicet obedientiam & honorem,
 Nunc ostendit ad quae officia parentes rursus liberis
 sint obligati, nempe ad duo praecipue, quibus & reli-
 qua complectitur. Primum ut ipsorum mores regant
 & gubernent, & eos ad uirtutem & honestatem à
 prauis annis adsuefaciant, & uitia fugere doceant,
 id quod

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

id quod *παδεία* uocant. Alterum est *θεοῖα* cum
 suis commonefactio Domini, ut adfida institutione,
 doctrina, adhortatione, caſtigatione ipſorum animis,
 agnitionem, timorem & amorem Domini imponant
 (Nam id proprie græca uox ſignificat) ſeu inſigant
 aut inſtillent. Hæc enim prima cura, hic ſummus la=
 bor, hoc unicum ſtudium parentum eſſe debet. Ideo
 enim conditum eſt genus humanum, ideo diuinitus
 dantur liberi ut cdocti à parentibus diſcant agnoſce=
 re, timere, amare, inuocare & celebrare Deum, ut ſi=
 ant membra Eccleſiæ & Chriſti, filij & heredes Dei
 & æternæ uitæ, uicturi poſt hanc miſeram uitam
 in omnem æternitatem cum Deo & tota Eccleſia An=
 gelorum & hominum.

Principio autem hic deploranda eſt amentia &
 cœcitas parentum, quorum maior pars in toto orbe
 terrarum, tantum in hoc unicum incumbit, ut liberis
 & alimenta & ingentes opes paret, paucis de moriæ
 gubernatione, pauciſſimis ut ad ueri Dei agnitionem,
 timorem & amorem educentur & inſtituantur, cu=
 ra eſt, perinde ac ſi ſcrofæ aut porci paſcendi & ſa=
 ginandi, non homines ad imaginem Dei & immortalæ
 uitam conditi, ad agnitionem conditoris ſui eru=
 diendi, ipſorum curæ diuinitus commendati eſſent.
 Talium

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Talium conatus et labores in parandis et accumulandis opibus, quas liberis suis relinquunt, quam sit infœlix & irritus, docet experientia, quod magno labore parentum parata, deinde à liberis profusoribus, plerumq; perditæ dilapidantur. Multis enim liberis præsertim male institutis, ut plerumq; talium rapacium & auarorum parentum sunt liberi, tales opes congestæ, sunt exitio, irritamenta malorum & uoluptatum illecebræ.

Nihil hic Paulus de alimentis præstandis aut opibus parandis, à parentibus ipsis liberis, præcipit. Hæc enim natura & σοφία erga liberos per sese monent. Neq; etiam peccatum est, imo res bona & licita, imo à Deo præcepta est, ut bona iusto modo liberis parent, et ordine naturæ parentes relinquunt liberis, sicuti & Iureconsultus Pomponius in titulo: Vnde liberi L. Scripto heredæ inquit. Parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos naturæ, simul & parentum commune uotum, sed tria præcepta hic breuissimis uerbis tradit, quibus totam institutionem uerilem, & longe grauius quam ulli Philosophorum libri complexus est.

Primum est quod inquit: Patres ne prouocetis ad iram liberos uestros. Quo monet ne nimis socui, duri, & greges,

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

agrestes, asperi morosi, erga liberos sint parentes, sed bonitate & clementia, studeant eos in officio retinere. Sicuti Múio Terentianus quoq; præcipit. Pudore & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quam metu. Item, Patrum est potius consuefacere filium sua sponte recte facere quam alieno metu. Hoc Pater ac dominus interest, hoc qui nequit, fateatur nescire imperare liberis. Pleriq; enim parentum non secus liberis quam domini seruis imperant, & sua asperitate liberorum animos tam à se tum à studio uirtutis abalienant, Et dum magis metui quam amari uolunt, fit ut quos metuumt oderint. Vult igitur Paulus tali disciplina regi & tractari liberos qua ipsorum animi non exacerbentur contra parentes, in qua appareat bonitas, ut uideant & intelligant se magis ex amore & studio uirtutis, quam ex indignatione parentum coherceri & castigari.

Αλλ' ἐκ τῆς φητε αὐτὰ ἐν παιδείᾳ.

Secundum præceptum est de παιδείᾳ, hoc est, de puerili institutione, quæ duo complectitur. Primum disciplinam seu gubernationem morum, Deinde doctrinam. Principio uero sciant p̄i parentes primum omnium & quotidie opus esse inuocatione Dei.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Dei, ut cum is liberos dederit, ardentibus uotis petamus, quo etiam foelices successus in illorum educatione & institutum præbere uelit. Nisi enim ipse formet, flectat, & regat pueriles animos, parum proderit parentum disciplina & institutio. Ideo peccant parentes ut Deus Spiritu sancto suo ipse liberorum animos ad sui agnitionem, timorem & amorem, ad studium uirtutis & honestatis accendat, ne sicuti Cain, Absolon & plurimi alij à diaboli dementati & seducti, deficiant à Deo, fastidiant parentum salutaria monita, & ruant in horrenda peccata & æternum exitium. Neq; enim qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum DEVS. 1. Corin: 3. Sic scriptura refert Hiob orasse Deum & ipsi sacrificasse quotidie pro liberis ne laberentur in impietatem & peccata.

Orationi autem coniungi necesse est accuratum studium, in educatione & disciplina, qua si nihil, ut sunt interdum distortæ et monstrosæ naturæ, promoueris, res commendanda Deo est. Neq; enim credendū est curam educationis & institutionis parentū defuisse Cain aut Absoloni, qui non parentum, sed sua culpa, & contumacia in æternum exitium sunt prolapsi.

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

prolapsi. Tales casus quanquam miseris parentibus sint acerbissimi, tamen modus mœrori constituendus est, & Dei iudicio, quod inscrutabile est, hæc committenda sunt.

Cæterum prior *παίδεια* pars est, disciplina seu gubernatio morum, de qua re præclare scripti extant libri Ethici plurimorum autorum, de moderandis & refrenandis affectibus, et cohercendis animi motibus, & externis quoque membris regendis. Oculi, lingua, manus & totum corpus ita regi debet, ut rationi & Deo obtemperet, ne quid dedecoris aut turpitudinis committat. Ideo enim Deus homini indidit rationem ut honesta à turpibus discernat, ne ferarum aut immanium Cyclosum more uiuat, et omnibus cupiditatibus frena laxet. Ad hæc autem opus est quotidiana assuefactione, assiduis exercitijs, commonefactionibus et castigationibus moderatis et tempestiuis. Stultitia enim colligata est in corde pueri, et uirga discipline fugabit eam ut Prouer. 22. scriptum est, Postremo opus est et exemplis honestis parentum et aliorum, et ut occasiones peccandi, et prauorum hominum con-sortia uitentur, sicuti inquit Psalmus. Cum bonis bonus eris etc.

Alterà pars *παίδεια* est doctrina, ut puerilis ætas optimarum artium cognitione erudiatur et excolatur.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

colatur, Magna enim uis est ad formandos mores iuuentutis, in bonarum artium cultura, sicuti experientia & dictum poetæ testatur.

Adde quod ingenuas didicisse fideliter arteis,
Emollit mores, nec finit esse feros.

De quo & græcus senarius extat.

Ἄπαντας ἢ παιδείῃς ἡμεῶν ποιῆ.

Textus, καὶ ὑπεροχῆ κυρίως.

Tertium & postremum præceptum est de commonefactione & doctrina DOMINI. De hac postrema parte puerilis institutionis, nihil sciunt Philosophi & scriptores Ethnici, qui uerum Deum ignorant, qui tantum de regendis moribus iuuentutis, & de cultura ingenij præcipiunt, Sed illa non sufficiunt, nisi hoc postremum doctrina nempe Domini accedat.

Cum enim ideo genus humanum conditum sit ut Deum conditorem & conseruatorem suum, in hac mortali uita cognoscere, amare, timere, & in eo firmam fiduciam acquiescere ac ei obedire discat, quo deinde eum in omnem æternitatem celebret, sicuti Christus Ioan. 17. inquit. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Necesse est statim à primis annis mentibus puerorum assidue doctrinam de Deo discendam proponi, crebro inculcari & insigi. Hanc enim curam & assiduitatem docendi uox uideor significat, Quae etiam Deut. 6. praecipitur. Erunt uerba haec quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, & acues ea filijs tuis, & meditare= rus sedens in domo tua & ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens. Item Psal. 78. Mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, ut cognoscat generatio altera, & filij qui nascentur, & exurgent & narrabunt ea filijs suis, ut ponant in Deo fiduciam suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius seruent.

Adsuefaciendi igitur à parentibus sunt liberi ut libros sacros legant, & integri Ecclesiae doctrinam cognoscant intersint, publicis concionib; audiant in scholis uel Ecclesijs coelestis doctrinae Doctores, & audita ab eis parentes domi reposcant, eis interpretentur, et altius repetendo & commemorando insigant. Nullum enim à parentibus liberis relinqui potest patrimonium magis amplum aut durabilius, quam ueri Dei cognitio. Nosse enim Deum (sicuti sapientiae 15. scriptum est) consummata iusticia est, & scire iusticiam & uirtutem Dei, radix est immortalitatis. Quare haec summa parentum cura esse debet ut in ueri Dei agnitione liberi recte instituantur.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

οι δουλοι υπακουετε τοις κυριοις
κατα σαβια,

IN domestica gubernatione primi sunt parentes, deinde liberi, de quorum officijs haecenus docuit. Hic uero de postremo ordine in familia, uidelicet seruorum & ipsorum officijs loquitur.

Principio hoc loco considerandum est, doctrinam Euangelij non esse ordinationem politicam, seu gubernationem externam, Qualis fuit lex Moisi, de ceremonijs & ritibus externis, de contractibus, emptio- nibus uenditionibus, successioneibus, & talibus alijs de quibus, lex docet, sicuti pleriq; putarunt, Euangelium esse perfectiorem legem quam ipsius Moisi, quae prohibeat diuortia, & praecipiat desertionem bonorum & nescio quae alia, & ideo uenisse Christum, ut suis perfectiorem legem quam Moses traderet. Hinc illi furores sunt, quod quidam phanatici homines contendunt distinctionem & dominia rerum, seruitutes iure gentium introductas, & postea scriptis legibus confirmatas, & talia alia multa, per Euangelium tolli. Et ad hos suos furores confirmandos citant dicta Christi per ipsos deprauata: Nisi quis reliquerit domum, agros &c. Et secutus fuerit me, non est me dignus, Cum satis constet Christum ibi non loqui de desertione bonorum uoluntaria, sed de

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

ea quæ tempore confessionis fieri debet, ubi non bona tantum sed & uita potius profundenda est, quam ueritas doctrinæ coelestis deserenda aut neganda. Hoc modo & illud Christi deprauant. Si uos filius liberauerit uere liberi estis. Item illud Pauli, In libertate qua Christus nos liberauit stete, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Certum est neq; Christum neq; Paulum de libertate corporali, sed de Spirituali loqui, quia per ipsum à peccato, morte, maledicto, & cereamony legis ac tyrannide diaboli liberati sumus.

Sciendum igitur est Euangelium non esse doctrinam politicam, neq; per eam tolli leges & constitutiones, uel iure gentium uel iure ciuili receptas et usitatas, non pugnantes cum mente diuina & iure uaturæ, Sed esse talem doctrinam, non quæ corpora & fortunas nostras regat, dispenset & gubernet, sed quæ de rebus Spiritualibus, coelestibus & æternis bonis conuentionetur, uidelicet quomodo tollatur peccatum & ira Dei, quæ sit uera iusticia, Quomodo donetur nobis Spiritus sanctus & uita æterna, & qui sint ueri cultus Dei &c.

Paulus enim hoc loco non tollit seruitutem corporalem iure gentium introductam quanquam apud gentes duram & asperam, sed mandat & præcipit seruis,

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

seruis, ut dominis suis, qui secundum carnem sunt obtemperent. Ita etiam sciamus p̄ys ubicunq; gentium sunt, licere uti legibus et contractibus ciuilibus eorum regum, principum aut populorum, sub quorum potestate & Dominio sunt, sicuti Rom. 13. inquit Paulus: πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαι ὑποερεχθεῖσαι ὑποτασσέσθω. Omnis anima subdita sit potestati quæ præest. Ita Ioseph in Aegypto, Aegyptijs, Daniel Persarum legibus, quæ cum uerbo Dei non pugnant, obediebant & ijs utebantur in politica consuetudine. Hæc ideo hoc loco monenda duxi, ne quod quidam phanatici faciunt, Euangelij doctrinam in politicam gubernationem transformemus. Nostrum enim πωλίτευμα est in caelis. Et Regnum Dei ut Rom. 14. scriptum est, Non est cibus & potus, sed iusticia, & pax & gaudium in Spiritu sancto. Item Christus ipse inquit. Regnum meum non est de hoc mundo.

Satis autem apparet quæ res dederit occasionem Paulo tam accurate scribendi et præcipiendi, tum hic tum in Colossensibus & multis alijs Epistolis de seruatorū obedientia erga Dominos. Cum enim patres familias cum tota familia, uxore liberis & seruis ex gentilitate conuersi essent ad Christum, pleriq; seruorum putabant iniquum esse, cum iam per fidem in

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Christum, cum Dominis suis essent æqua ac pari conditione, nempe unū Dominum tantum, Deum patrem DOMINI nostri Iesu Christi agnoscentes, cuius iam simul cum Dominis suis per fidem facti essent filij & hæredes, se adhuc iniusta & dura seruitute ab illis premi, ideo illis obtemperare recusabant, & libertate Euangelij, quæ libertas est Spiritus non carnis, ad libertatem carnalem abutebantur. Idem etiam faciebant, qui ex seruis facti erant liberti Iesu Christi, quum ipsorum Domini perseuerarent in impietate Ethnica, Qui & ipsi iniquum esse existimabant, libertos per Christum, seruire debere, Dominis impijs, blasphemis & idolatris.

Docet igitur hoc loco neq; seruitutem, neq; cætera politica nō pugnancia cum uerbo Dei, tolli per Euangelij doctrinam, Sicuti & 1. Co: 7. ait. Seruus uocatus es? ne sit tibi curæ, quin etiam si potes liber fieri, potius utere. Etenim qui in Domino uocatus est seruis, Libertus Domini est etc. Nunc reuertemur ad textū.

Principio cū inquit, Serui obedite his qui Domini sunt iuxta carnem, ostendit duplices esse Dominos, Quosdam qui ius et Dominiū in fortunas et corpora nostra habent, ut Domini cæteri sub quorum potestate sunt serui, est magistratus, de quibus Christus ait.

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Itus ait. Nolite metuere eos qui corpora occidunt. Deinde unus Dominus est, qui est DEVS, Dominus Dominantium, qui & corpus & animam potest perdere in gehennam.

Monet autem, ut quanquam huius Domini liberti facti sint, qui in Christum credunt, tamen tales nihilominus, imo studiosius debere obedire Dominis suis carnalibus, & Petrus quidem addit. Seruos debere prestare obedientiam non solum Dominis bonis & humanis, uerum etiam prauis, Quanquam igitur in Christo Iesu non sit liber neq; seruus, neq; ullus apud Deum respectus personarum, tamen hic politicum ordinem uult seruari Deus, ut certi in genere humano sint ordines & gradus, Vult quosdam imperare, alios obedire, quem ordinem in quarto precepto sanxit. Neq; n. Deus, est Deus confusionis, sed autor ordinis. Damnandi igitur sunt homines seditiosi, qui hunc ordinem politicum diuinitus institutum labefactare & conuellere nituntur, quem etiam in stellis, animantibus, & ceteris creaturis animaduertere licet.

ΜΕΤΑ ΦΟΒΟΝ ΚΑΙ ΤΙΜΟΝ.

Hic subiicit qualis obedientia prestanda sit a seruis ipsis Dominis, Et primum inquit. Cum ti-

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

more & tremore obediendum. Supra præcepit uxori-
 bus, ut timeant uiros, neq; addit. Cum tremore.
 Vxor enim cum sit socia uiri, & pari conditione cum
 uiro, præstat quidem obedientiam marito, sed non
 seruilem, ueram cum reuerentia tanquam capiti suo
 matronalem. Et aliud est imperium uiri in uxorem
 & liberos, & aliud in seruos. Vxorem scit sibi sociam
 & æqualem, & tanquam carnem & corpus suum
 diligendam & fouendam, ideo humanissimum & dul-
 cissimum est imperium mariti erga uxorem & libe-
 ros, in quo semper plus amoris & suauitatis quam se-
 ueritatis esse debet. Ideo etiam uxor non de pede, sed
 de costa lateris formata est, ut intelligant uiri, uxores
 sibi socias & æqua conditione, & ideo cum æquabi-
 litate & bonitate illis imperandum esse. Satis igitur
 est si maritos uxores cum reuerentia quadam matro-
 nali timeant.

Seruorum autem cum non sit par conditio cum
 dominis, nempe quos Deus in hac corporali uita uult
 dignitate, autoritate, opibus et potentia præstare ser-
 uis, ideo præter timorem etiam hic tremor adijcitur,
 ut cum durius & asperius imperium in seruos Do-
 minis sit concessum diuinitus, sciant serui non tantum
 timorem se debere dominis, sed & propter pœnam
 ad nutus Dominorum sibi tremendum. Ita Ecclesia-
 stici.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

stici 33 præcipitur iugum & lorum curuant collum
durum, & seruum inclinant operatrices assidue, ser-
uo maleuolo, tortura & compedes & c.

Ἐρ ἀπολόγητι τὴ κατὰ δίκην ὑμῶν.

QUæ fuerint olim furta, insidie, fraudes, im-
postura seruorum erga Dominos, satis te-
stantur tum Græcorum tum latinorum comædiæ, &
omnibus ætatibus præsertim hoc tempore magna de
seruorum malitia, furtis, fraudibus, & negligentia
passim apud omnes querela est. Opponit igitur hoc
loco uirtutem ἀπολόγητα malis illis artibus, uideli-
cet furtis, mendacijs, uersutijs, fraudibus, & malitiosæ
ignauie seruorum, quas hic prohibet, quibus plerumq;
res domestica perditur & corrumpitur.

Μὴ κατὰ ὀφθαλμοδύλειαν ὡς ἀνθρώποις ἄριστοι.

PROhibetur hic hypocrisis, Magna enim seruo-
rum pars est, quæ mauult uideri quam esse reip-
sa, frugi, qui quamdiu præsentés adsunt Domini suum
faciunt officium, at cum absunt, cessant, nec quicquam
agunt aut curant. Deinde aliud seruorum genus est,
qui cum obtemperant & sunt in officio, fit hoc non
animo prompto sed cum maleuolentia & indignatio-
ne, unde interdum Domini ex ipsorum laboribus plus

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

detrimenti quam commodi capiunt, Hortatur igitur ut ex animo & cum benevolentia obediant & suum officium faciant.

Tria autem præcipua sunt argumenta quibus seruos ad obedientiam hortatur. Primum sumptum est à mandato, quod Deus hoc uelit & præceperit. Secundum ab autoritate, quod hanc obedientiam non hominibus, sed ipsi Deo præstent. Magna igitur consolatio proposita est seruis, qui etsi in infimo ordine humani generis, sprete & abiecti sint tamen pij sciunt hoc genus uitæ à Deo esse ordinatum & approbati, & Deo ipsorum quanquam tenues & exiles operas propter Christum acceptas, & gratas esse, quæ seruilis officia quanquam sint tenuia, tamen uita humana ita diuinitus ordinata est, ut sine illis consistere non possit, quæ ideo sic dispensata sunt, ut homines mutuis operis copulati & deuincti, eo studiosius Charitatis officia ex animo propter Deam inter sese exercent.

Postremum argumentum sumptum est à præmijs cum inquit, unusquisque quod fecerit boni, hoc reprobabit à Deo, siue seruus fuerit siue liber. Tales autem seruos quales hic Paulus requirit fuisse Iacob, Ioseph & Danielem, testantur historię sacræ. Ideo etiam præmijs huius & æternæ uitæ ornati sunt.

Hic

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Hic monendi etiam sunt serui, cum Deus præcipiat etiam præuis Dominus esse obediendum, si non mandent quæ sunt contra Deum, ut ipsorum asperitatem, duriciem, contumelias, iniurias, etiam cum bene fecerint (iuxta Petri præceptum) patienter propter Deum & conscientiam ne eam polluant, ferant. Sic cum Agar ancilla fugeret in solitudinem propter asperitatem Domine Saræ, inquit Angelus ad Agar: Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius. Satis duram & tristem seruitutem per totos uiginti annos continuos apud Laban socerum suum tulit Isaac. Multas item iniurias, uincula & carceres in seruitute tulerunt uiri sanctissimi Ioseph in Aegypto & in Babilonia Daniel, quæ omnia sua patientia propter Dominum uicerunt. Quos tandem ex his ærumnis liberatos, Dominus ingenti gloria ornauit. Talibus exemplis pij serui sese confirment, ut sustinere possint ærumnas suas, & earum mitigationem à Domino petant & c.

Et uos Domini eadem facite erga illos.

Sicuti mandatum Dei est, ut serui obediant Dominis, ita uicissim præceptum est, ne Domini asperius seruos tractent, & suo imperio in illos abutantur.

ideo

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Ideo inquit. Facite eadem erga illos, quasi diceret, illis præceptam est, ut ex animo & cum benevolentia nobis seruiant & obediant, ita & nobis mandatur ne nimis duriter eis imperetis, sed potius per mutuam benevolentiam quam minas et plagas studeatis eos retinere in officio, quod ut faciatis, cogitate & uos habere Dominum, & quidem non carnalem, sed celestem qui redditurus est cuique secundum opera sua, siue seruus siue liber fuerit, ita per commonefactionem uniuersalis iudicij futuri, hortatur Dominos, ut mitius & humanius tractent seruos. Sicuti et Ecclesiastici 4. præceptum est. Noli esse sicut Leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.

προσωποληψία οὐκ ἔστι παρ' αὐτῶ.

προσωποληψία est cum paribus non dantur paria, quæ est uitiū pugnans cum iusticia. Iusticia enim, ut uere definiunt iureconsulti est constans & perpetua uoluntas, ius suum unicuique tribuens. Quia enim Deus est iustus, ergo æterna & immota uoluntas norma & mens Dei est, ut paribus paria, bonis bona, malis mala tribuantur, à qua regula sua æterna, Deus nunquam discedit.

Quanquam autem contra regulam hanc facere uideatur

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

uideatur Deus, quod Ecclesia hic adfligitur, quod Abel, Esaias, Baptista uiri sanctissimi crudeliter à Tyrannis interficiuntur, tamen doctrina Ecclesiae certas monstrat causas, cur eam & omnes pios cruci uelit subiectos. Quia enim peccatum adhuc hæret in natura, ideo corpus destinatum est morti, ut peccatum aboleatur. Deinde ideo tales uiros interdum interfici sinit Deus, ut in Ecclesia extent publice testimonia, & de doctrina & confessione quibus Ecclesia confirmetur, & de aeterna uita ac futuro iudicio, in quo Deus iudex iustus unicuique secundum opera sua tribuet. Etsi enim piorum afflictiones male esse uideantur, tamen scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Ideo enim in hac uita adfligit Deus, ut factos conformes imaginis filij Dei, postea eo splendidius glorificet. Non igitur iniustus est Deus, neque à regula aeternae iusticiae discedit. Tribuit cuique quod suum est.

Seruat enim has duas regulas suae iusticiae immotas. Primum irascitur peccato & hoc punit. Hæc regula ita immutabilis est, ut ideo uenerit filius, quo huic decreto Dei satisfaceret, ut nostra causa iram sustineret, & poenam pro peccatis debitam lueret. Ideo enim omnibus aetatibus poenas grauissimas in toto ge-

NCC

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

genere humano uagari uidemus ut certum & omnibus conspicuum sit Deum seruare hanc regulam, iram sui peccatis & ea punire, Et mors stipendium & poena peccati, per omnes sine discrimine grassatur, quæ (ut poeta inquit) æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumq; turres.

Altera regula est, Quod omnes agentes penitentiam & ad suam misericordiam confugientes, propter filium mediatorem recipit.

Has duas regulas sine ulla exceptione, aut personarum acceptione seruat, Non respicit genus, ætatem, gradus, opes, potentiam, non merita, non res ulla extra has regulas, pariter damnat omnes peccantes, summos & infimos. Pariter recipit propter filium omnes agentes penitentiam, & implorantes suam misericordiam summos & infimos, latrones & meretrices. Paulam, phariseum, blasphemum, & persecutorem Christi, Manassera regem interficientem Prophetas, Ab his duabus regulis non deflectit, sicuti extant testimonia de hac iusticia Dei manifesta.

Rom. 3. Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes eos qui credunt. Non enim est distinctio.

Rom. 11. Conclusit Deus omnes sub incredulitate ut omnium misereatur.

Item.

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Item. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos &c.

Sciendum igitur & firmiter tenendum est, in Deo non esse προσωποληψια, & cum esse equalem omnibus iuxta suam regulam, Credas ipsum ita te, fiducia mediatoris confugientem ad suam misericordiam recepturum, quam Dauidem uel Manassem uel alios agentes poenitentiam recipit. Excludenda igitur & eijcienda ex animo sunt cogitationes de particularitate, & de electione legali, quod quidam propter certa merita recipiantur, quidam autem abijciantur, Quia enim legi nemo satisfacit, Ideo ex operibus legus non iustificabitur omnis caro in conspectu eius.

Neq; etiam Stoica illa electio admittenda est que fingit Deam tanquam Tyrannum aliquem, pro sua uoluntate & arbitrio, nemine impediente, aliquos uel recipere uel abicere & damnare. Neq; enim illud Rom. 9 Cuius uult miseretur, quem autē uult indurat, sic intelligendum est. Sed certū est iuxta editas promissiones hanc uoluntatem Dei esse ratam firmam & eternam, quod omnium qui agunt poenitentia, & ad suam misericordiam confugiunt uelit misereri, ut sonat promissio iureiurando firmata. *Viuo Ego, Nolo mortem*

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat, Et Paulus inquit. Deus uult omnes homines saluos fieri. Item Ioan. 6. Omnis qui uidet filium, et credit in eum, habet uitam æternam. Eos uero, qui Deo per uocem Euangelij ipsos ad pœnitentiam uocanti, et misericordiam suam ultro afferenti, non obediunt, sed pertinaciter repugnant, sinit Deus indurari, qui non Deo sed sua culpa & pertinacia pereunt.

Amplectamur igitur toto pectore, & ut dici solet utraq; manu doctrinam Euangelij, quæ affirmat omnes credentes gratis, propter filium recipi, exaudi, & seruari & in Deo non esse $\omega\gamma\omega\sigma\sigma\omega\lambda\eta\psi\iota\alpha$ ap, sed summam æqualitatem.

Quanquam autem etiam apud homines nulla $\omega\gamma\omega\sigma\sigma\omega\lambda\eta\psi\iota\alpha$ sed æqualitas, iusticie Dei conformis esse debeat, ut paria paribus, et ius suum cuiq; tribueretur, tamen contrarium in iudicijs plerumq; fieri uidemus. Ut fur diues & fur pauper sunt æquales secundum regulam. Quare uterq; pari pœna puniri debet. Sed Dat ueniam coruis, uexat censura columbas. Peccant igitur qui æqualitatem & normam diuinam impressam mentibus humanis non seruant. Hæc in æqualitas nullo modo Deo tribuenda est cum sit iustus,

Quod

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Quod superest fratres mei sitis fortes
per Dominum.

Ostendimus supra duas esse huius Epistolæ partes. In prioribus enim tribus capitibus, repetitur summa doctrinæ Christianæ, quam cum præsens apud Ephesios & vicinas Ecclesias alias copiosius tradidisset Paulus, Hic iterum altius ipsorum animis insigere conatur. Et ideo hanc & cæteras Epistolas scripsit Paulus, ut sint tanquam methodi & summæ eius doctrinæ, quam ipse & cæteri Apostoli Ecclesijs tradiderunt. ideo uidemus præcipuos locos doctrinæ Euangelicæ eum in hac quoq; Epistola sicuti & in quibusdam alijs esse complexum, Quos ut in conspectu sint lectori, hic iterum breuiter tanquam in catalogo repeto.

In primo capite ostendit causas cur missus sit Messias, non ut corporalem sicuti Iudei somniabant, sed ut Spiritualem & celestem benedictionem afferret, ideo ordine illic recitantur beneficia filij Dei.

In secundo capite docuit Quid sit peccatum originis, & quæ eius causæ & effectus, horribilis nempe Tyrannis diaboli grassantis in impijs.

Postea sequitur doctrina de iustificatione, quomodo liberemur à peccatis, à morte & Tyrannide diaboli.

Ad

beli,

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

boli, & quomodo beneficia Christi nobis applicanda sint fide, sequuntur demde alij loci, de bonis operibus, quæ renouationis fructus sunt, De abrogatione legis, De uocatione gentium, De uera & Christiana inuocatione, De Ecclesia.

In tertio capite longa concio est de dignitate ministerij, cui additur consolatio.

Hi sunt loci primæ partis Epistolæ, quæ pars Didascalica est.

In quarto capite orditur alteram partem Epistolæ quæ est parænetica. Ac primû doctores Ecclesiæ hortatur, ad seruandâ concordiam, cui loco attexit grauissimam concionem de causa & dignitate Ministerij Euangelici, quod ostendit à filio Dei & ortum, & perpetuo seruari & defendi. Deinde subiicit ordine uaria præcepta, de uitandis uagis libidinibus, mendacio, ira, conuitijs, furto, garrulitate, amarulentia, odio & cæteris uitijs, quibus & conscientia polluitur, & Spiritus sanctus cõtristatur, ac societas uitæ turbatur.

In quinto capite tradit præcepta æconomica, & ostendit quæ sint mutua officia coniugum inter sese, item parentum & liberorum, Dominorum & seruorum.

Postquam

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Posteaquam igitur totam doctrinam Christianam, & de præcipuis articulis fidei, & de operibus bonis absoluit, & tanquam bonus imperator, milites Christi armis & omnibus rebus ad pugnam necessarijs instruxit, iam educurus milites contra hostem in aciem, hic in conclusione Epistolæ eos hortatur, ut arma ad reprimendos hostes expediant, & fiducia imperatoris sui Domini nostri Iesu Christi hunc exercitum ducentis, magno animo rem gerant, qui cum & iam antea hos uixerit, & expoliatos principatus ac potestates ostentarit palam, triumphans de illis per semetipsum, iubet eos bene sperare, tantum monet ne sint securi, sed ut armis instructi fortiter dimicent, & magno animo dimicantibus, certam uictoriam ostendit per Dominum nostrum Iesum Christum, & uictores corona æternæ uitæ ornandos promittit. Hoc modo breuibus uerbis summam totius Epistolæ complexi sumus. Nunc uero ordine singula in textu explicanda erunt.

Quod superest fratres mei, sitis fortes
per Dominum, perque potentiam
roboris illius.

Hæ phrasæ & similitudines sumptæ à militia et præ
his corporalib: transferuntur ad pugnam spiritualem.

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

in corporali enim militia opus est armis & uiribus corporalibus, sed tanquam instrumentis & rebus medijs, ne pugnantes illo robore confidant, Quia non in fortitudine equi, neq; in tibijs uiri beneplacitum est Domino: Beneplacitum, est Domino super timentes eum, & in eis & c. Item. Hi in curribus & in equis, nos autem in nomine Dommi inuocabimus.

Quia uero hæc militia Spiritualis est, ideo opus hic est uiribus & armis Spiritualibus,

Sicuti autem in corporali pugna, primum omnium necesse est, corda militum esse erecta, & confirmata ad rem fortiter gerendam, nullus enim armorum usus erit ubi corda fuerint fracta & pauida, ibi simul stument & manus & pedes, ita in hac exhortatione militari monet corda esse confirmanda in Domino, & in robore ipsius potentie: Quod hoc modo fit.

Primum necesse est ut status tibi non imputari peccata, te exaudiri, recipi & seruari propter filium mediatorem, quæ fiducia facit ut acquiescas in Deo te recipiente & seruante, eum non fugias, neq; ad eius conspectum paueas aut trepides, sed fiducia mediatoris, audeas accedere ad thronum gratiæ, & ab eo petere & expectare auxilium, liberationem aut mitigationem presentium calamitatum.

Secundo

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Secundo ubi iam corda fide & spe confirmata Deum inuocant, datur simul Spi: sanctus, qui auxiliatur infirmitatibus nostris, atq; ita in infirmitate nostra uirtus Christi perficitur, ut & stare aduersus insultus diaboli & eos uincere possimus.

Ideo enim hanc miserrimam & infirmisimam naturam humanam Deus opposuit hosti Diabolo omnium potentissimo, ut Dei uirtus in his uasis testaceis hoc ingens robur diaboli uincens, sit conspectior & illustrior, & uictoria quoq; eo gloriosior, sicuti in Iob, Paulo & multis alijs pijs uictoribus diaboli est cernere quos quanquam acerrime omnibus uiribus hic inmanissimus hostis oppugnarit, tamen de eo & alijs hostibus omnibus, iam in aeterna uita triumphant.

Simul autem in hoc periculoso & difficili bello consolationem pijs sepe considerandam proponit. Ostendit enim hoc bellum non à nobis, sed à filio Dei aduersus diabolum geri, qui ideo apparuit ut destruat opera diaboli, grassantis in creaturis & praecipue in genere humano, contra Deum, ut perdendo homines ad immortalitatem & Dei imaginem conditos, odium suum aduersus Deum hoc modo expleat. Quia enim Diabolus nouit se catenis noctis in tartarum precipitandū, & seruari in iudicium Vt 2 Pe. 2

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Scriptum est, ideo horribilibus furoribus agitatus sic contra Deum & homines seuit, Cuius furor ut reprimatur, ideo filius Dei cum tota Ecclesia Angelorum & hominum bellum perpetuum cum hoc seuo Tyranno gerit.

Prima igitur consolatio est, quod non nostrum sed ipsius Dei, hoc bellum est, qui cum sit omnipotens & Dominus Dominantium, dabit successus & uictoriam contra hostes.

Secundo quod Dux & imperator noster sit filius Dei, qui iam antea peccatum, mortem, diabolum & inferorum potentiam fregit & uicit, & ideo uicit, ut ipsius uictoria nostra sit uictoria. Quare hoc tanto duce uictore & triumphatore freti, simus fortes, sicuti inquit: Confidite, quia Ego uici mundum.

Iam iam debellatum est, iam iam parta uictoria est per Dominum nostrum Iesum Christum, qui hoc nomine tantum nos pugnare uult contra hos hostes, ne incauti, securi, desides & ignaui, ab illis rursus opprimamur, iam pridem per ipsum ab ipsorum potestate & armis liberati.

Tertio ueniat pugnantibus & hoc in mentem, nos non esse solos, sed habere commilitones sanctos Angelos, & totam ccelestem militiam ac Ecclesiam iam triumphantem in caelis, et deinde hanc in terris militiam

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tantem. Quare etsi ingens sit robur diaboli & magni eius exercitus, tamen maior est qui in nobis est, Et creator rerum potentior est Creaturis omnibus. Præterea plures sunt nobiscum quam cum illis, & Dominus ipse est qui pro nobis excubias agit, sine cuius uoluntate ne passer quidem in terram cadit. Quare etsi quidam in hac militia cadunt, tamen occumbentibus in media morte æterna uita donatur, & corpus Ecclesie tamen seruatur, neq; deleri potest, sicut sonat promissio. Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Et status Ecclesie à condito mundo Anno 5512 in præsentem Annum 1550. à Christo nato aduersus furores Satanae conseruatus, testatur.

Induite totam armaturam DEI, ut possitis stare aduersus assaultus Diaboli.

Proposita & hic est pijs in hac militia consolatio, cum iubet induere armaturam Dei, quæ arma cum à Deo contra diabolos hostes sint fabricata, necesse est, diabolos ad ea tanquam ad Gorgones exhorrescere. Nam & Poëtæ contra hostes tutos fuxere, quibus Dijs arma fabricassent, Ut sunt arma Achillis, & Aenes à Vulcano facta, quibus

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

imaginibus portæ significarunt pios Deo curæ esse, & ab ipso eos in periculis defendi ac seruari, qualem Aeneam fuisse fingunt, impios autem etsi aliquandiu sint felices, tamen tandem euerti, qualis fuit Mezentius.

Præterea cum armaturam Dei uocat, ostendit non in nobis esse uires uincendi hostes, sed in ipsis armis, & Deo fabricatori non nobis si contingat, uictoriæ laudem esse tribuendam.

Disertus autem uerbis inquit. Induite, non ait emite aut suspendite arma, sed uult nos in singulas horas & momenta stare in procinctu, & armatos contra hostem acerrimum & uigilantissimum, captantem omnes occasiones opprimendi incautos & inermes, sicuti Dauidem securum oppressit, qui cum timorem & amorem Dei ac cætera arma deponeret, ab hoste quem longe abesse putabat, incautus opprimitur, ut fiat adulter & homicida. Neq; enim grauius malum ullum est, uel in corporali uel in Spirituali militia quam securitas, à qua summum periculum est præsertim in militia Spirituali, ubi non sic licet uidere hostem, uel facile deprehendere tam sapientis & astuti inimicis insidias, dolos & consilia. Quare summa hic uigilantia opus est, sicuti & Petrus monet 1. Pet. 5. Sobrij estote, uigilate quoniã aduersarius, uester diabolus,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

bolus, tanquam Leo rugiens obambulat querens quem deuoret, cui resistite solliciti in fide.

**Ut stare possitis aduersus assultus
diaboli.**

Subijcit rationem cur tota armatura Dei sit nobis induenda, nempe ut illis muniti & armati, insidiosas hostis irruptiones & impetus, his armis Dei, quæ postea ordine describet, excipere, reprimere, frangere & uincere possimus. Inermes enim hic tantus hostis facile cuertit. Reijciuntur autem hic iterum humana uires, opera & merita. quæ negat Paulus hoc loco posse stare contra huius hostis assultus, sicuti & S. Augustinus ait: Væ hominum uita quantumlibet laudabili remota misericordia. Et David inquit: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, Quia in conspectu tuo non iustificabitur omnis uiuens. Item. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Vnicum enim & solum firmum scutum & umbraculum, aduersus omnes tempestates & turbines peccati, mortis, diaboli & iræ Dei, est fiducia misericordiæ propter Christum promissæ sicuti Esaia. 4. scriptum est. Et erit tabernaculum in umbraculum diei ab aestu, & in tegmen & absconsionem à turbine & à pluuia, Ita Gerson in sermone de Ascensione Domini

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

refert de S. Bernardo cum iam esset moriturus, ipsum non confisum suis armis, dignitate aut sanctitate, suis operibus, & uita duriter exacta, sed solum ad misericordiam Dei confugisse, & iam agentem animam dixisse, O Domine non reperis in me bonum quod remunereres, Tempus meum perdidisti, quia perdidisti uixi, pro quo, quid agam non habeo, nisi quod cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Nulle enim sunt uires, nulla merita humana, que aduersus infidiosos assultus Diaboli, & que in iudicio Dei stare possunt. Sed contra diabolum & horrendum iudicium Dei, soli ij tuti sunt, qui τρωτοπλῖα Dei induti & muniti sunt. Sicut enim Græci conspecto Apollinis clypeo in fugam uertuntur, ita diabolus ad hanc solum armaturam Dei exhorrescit, cetera arma omnia contemnit, & facili momento euertit.

πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ Διαβόλου.

Μεθοδεία significat ex insidijs & ea uia aggredi hostem, qua minime hostem pertimescendum esse putaueris, sicut seruus ille ueterator apud comicum ait: Hac non succedit, alia adgredimur uia. Ita mille uias & artes opprimendi incautos habet Satan iterum igitur monet, opus esse uigilantia aduersus hunc hostem, qui es uia impetum & assultum facit, ubi & quo tempo-

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

tempore omnia pacata & tranquilla, & nihil periculi prorsus esse uidetur ab hoste. Non uno modo omnes adgreditur, sed uarias admouet machinas, dolos et fraudes, & ut est astutus & callidus, uidet ad quæ uicia quisq; per sese sit pronus, in quæ ut imprudentes trahat, uarijs illecebris, pro cuiusq; ingenio & natura inescat homines, ut tanquam auceps iam securos factos, suis retibus illaqueat & capiat. In Venerem pronis, suppeditat fomenta libidinum, otia, lusus, uinum, impurorum consortia & similes escas. Quos auaritia flagrare uidet, subiicit incendia maiorum cupiditatum, ostendit amplas spes cumulandi opes etc. Deinde quos non potuit hac euertere uia, aggreditur ex insidijs, subinde alia atq; alia uia, nec finem oppugnandi facit, donec uel tedio uel labore pugnae fessos opprimat, uel constantia militum & uirtute armorum, & auxilio uictus abeat. Imo ne uictus quidem quiescit perpetuo, sed ubi uictores iam putant ex hoste partam uictoriam, & iam pacata esse omnia, redit ille armatus & denuo uictores oppugnat, & sepe ipsos inermes, & incautos nihil tale metuentes, insidijs circumuentos iugulat ut est cernere in Saule, qui cum initio regni obediens Deo, ingentem gloriam & pulcherrimos successus haberet, tandem ex hoc rerum
 successu

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

successu per diabolum dementatus, qui antea uictor diaboli & inter Prophetas Dei summis donis Spiritus sancti ornatus erat, factus contemptor Dei, & oppressus à diabolo in æternum ruit exitium. Idco hos insidiosos assultus diaboli Christus iubet nos præuidere & cauere cum Matth. 12 inquit. Cum immundus Spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida etc. Et Paulus inquit. Qui stat uideat ne cadat, Summa igitur uigilantia pijs non solum pugnantibus, sed & uictoribus opus est contra hunc hostem tam pertinacem & indefessum, qui quo magis uincitur, eo hostilius insidiatur & instat etiam uictoribus.

Quoniam non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem.

HAktenus exhortatus est nos ut simus fortes & induamus *ἰσχυροὺς* Dei. His uerbis autem describit hostes, cum quibus nobis pugnandum est. Maxime. n. refert in militia, scire qui sint, et quod sint hostes, quæ uires, quod genus armorum, et quæ pugnandi ratio, Hæc igitur omnia hoc loco ordine commemorat Paulus. Neq; hic hostes & ipsorum uires extenuat Paulus, sed ut bonus imperator longa oratione horribiles uires hostium & summa pericula ostendit, ut hoc modo suorum militum curam acuat,

corda

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

corda ad vires audentius expromendas accendat, & omnem ignauiam & securitatem excutiat, & ad summam uigilantiam eos excitet, ut semper sint in promptu.

Primum igitur hoc loco omnes monet, ut cogitemus quam misera & plena periculorum sit omnis uita nostra. Non alia est conditio Ecclesie & singulorum piorum, quam Danielis sedentis in medio Leonum, sicuti inquit Christus: Ecce mitto uos sicut oues in medio luporum. Non hic in terris tantum ab hominibus, organis diaboli, oppugnamur, sed diabolus cum ingentibus exercitibus malorum & potentissimorum spirituum undiq; & in singula momenta hic in terris & aquis, & supra nos in aere nos circumuallat, non quiescit neq; noctu, neq; interdiu, neq; in tenebris, neq; in meridie ut inquit Psal 91. Sed semper contra nos excubias agit, & iugulo nostro gladium intentat. Neq; fortunis tantum & huic miserae uitae insidiatur, sed & animam secum in perpetuum exitium trahere conatur.

Fortunas & corpora nostra oppugnat mille generis armis corporalibus, incendijs, diluuijs, exundationibus, terrae motibus, ruinis, peste, fame, bellis, caedibus, rapinis, furtis, latrocinijs, ueneficijs, calumnijs, obreftationibus, Quod uero morborum genera sunt, quibus

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

quibus præter cætera innumerabilia mala, nostra corpora carnifex ille torquet & excruciat, & tandem enecat? Postremum uero malorum mors ipsa quant singulis momentis omnium capitibus imminet? qua cum nihil sit certius, tamen nihil ipsa hora mortis incertius est.

Animas autem nostras ut perdat simul cum corpore, instillat dubitationes de Deo, diffidentiam, contemptum & odium & uerbi Dei, fiduciam nostræ sapientiæ, dignitatis & potentiæ, superbiam, blasphemias, & fremitus aduersus Deum, impatientiam, conatur nos adducere in desperationem, auellere à Deo, & prorsus trahere, secum in interitum. Hæc sunt quæ infra ignita tela diaboli uocat Paulus. Breuiter nulla uox humana commemorare potest ingentia pericula, in quibus singulis horis fortunæ, corpora et animæ nostræ uersantur, Quæ si oculis coram cerneremus, metu & horrore exstingeremur.

Horum igitur periculorum consideratio pijs animis ueternum & securitatem excutere debet, ut sint sobrij & uigilantes, & ut stent semper instructi & armati tanquam in acie.

Secundo cum inquit: Non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, significat qualis sit pugna nempe non corporalis cum hominibus, sed spiritualis cum
malis

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

malis Spiritibus, in qua non tantum de corporalibus, sed & de anima nostra & hereditate aeternae uitae periclitamur. Cum igitur homines de bonis corporalibus & huius uitae retinendis inter sese dimicent, quanto acrius certamen esse debet, de retinenda possessione aeternae uitae?

Sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi Dominos etc.

Hic longa consione describit hostes & eorum uires. Expende autem per collationem quae humani pugnae sit conditio. Nos homines sumus miserrima massa carnis, qua nulla alia creatura fere est infirmior & fragilior, nihil hic firmitudinis aut roboris est, quae uel noxy & pestilentis aeris afflatu, uel minimo uulnere laesa, statim concidit & emoritur. At contra diabolus, cum quo nobis certamen est, nihil carnis, nihil talis fragilitatis habet, sed totus saxeus, ferreus, imo Spiritus est, quem nullae uires humanae ne quidem modicum ledere possunt. Hic certe impares uires sunt, si cum carne & sanguine, hoc est, cum hominibus, carnem & sanguinem, sicut nos, habentibus pugnandum foret, aequae esset pugna. Sed carnem fragilem & mortalem, pugnare cum Spiritibus.

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Spiritibus immortalibus & inuisibilibus, quorum ictus & insidiæ, neq; uideri, neq; prouideri possunt, hoc uero difficillimum est. Deinde ait Paulus nobis pugnant esse non cum calonibus & lixis, non cum infirmi ordinis Spiritibus, neq; cum parua manu, sed cum ipsis principibus, potestatibus, & ijs qui in hoc seculo sunt Domini mundi. Si sunt principes & potestates qui ceteris Spiritibus imperant, necesse est eos præstare consilio, sapientia, uiribus, necesse est eos secum ducere ingentes exercitus immundorum Spirituum.

Sicuti enim distincti ordines sunt inter sanctos Angelos coelestes, ut alij sint principes in summo loco, Deinde potestates, qui principum locum tenent. Postea ordine alij, & postremo toti exercitus coelestes, Et hic in terris talis quoq; ordo politicus est, ut primi sint Reges, Deinde principes, & postea ordine alij. Ita & Paulus tales distinctos ordines inter immundos Spiritus & distincta officia, & suas peculiare uires singulis Spiritibus esse adfirmat, cum quibus omnibus tot millies millibus imo innumerabilibus hostibus nobis omnibus & singulis quoq; congregandam, & illorum impetus singulis momentis expectandus est.

Vocat autem mundi Dominos, non quod sint Domini coeli & terræ, cuius unicus Dominus est, creator rerum,

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

rerum, sed quod impijs & hostibus Dei in hoc mundo hi Spiritus dominantur, sicuti seipsum interpretatur Paulus cum inquit. ὡς τῶς κόσμου ἁτοῦ αἰῶνος τῶ σκότῶς τῶ αἰῶνος τῶ τῶ. Dominantur igitur in tenebris mundi, hoc est, in ijs, qui sunt, sine agnitione, sine fide, sine amore & timore Dei, hoc enim est regnum tenebrarum, de quo Paulus ad Colo: 1 ait. Agimus gratias Deo Patri qui idoneos eos fecit ad participationem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum dilecti filij sui. Et 2. Cor. 4. Si opertum est Euangelium nostrum, in ijs qui percunt est opertam, in quibus Deus huius seculi, excecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriae Christi qui est imago Dei.

Aduersus Spirituales astutias.

HActenus hostes & eorum uires, nunc etiam genus pugnae describit. Dicit enim non tales hostes esse, qui aperto Marte, sed qui ex insidijs, & eo loco & tempore, & ijs armis hostem aggrediuntur, quo minime putaueris. Et cum hic hostis sit astutissimus & mille artifex, ita etiam mille insidias & innumerabiles insidias, & subinde aliam post aliam struit. Quare haec militia non tantum propter hosti-

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

um multitudinem & potentiam, sed & propter genus pugnae ubi non apertis uiribus, sed dolis & fraude certatur, omnium est periculosissimum. Sequitur in textu.

In caelestibus, Ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.

Non improbo interpretationem eorum qui intelligunt de diabolis uersantibus infra caelum in regione aëris, quo etiam difficultas pugnae augetur, cum ostendit hostes diabolo omnia loca contra nos tenere, Terram, sylvas, solitudines, pagos, urbes, domicilia, loca priuata et publica, Maria, item unde naufragia fiunt, flumina, stagna, lacus. Deinde ipsum aërem etiam ab his hostibus teneri, ita ut prorsus nullus locus sit tutus, unde non expectandæ sint diabolorum insidiæ. Horum periculorum commemoratio, multum ualet ad excitandam uigilantiam & excutiendam securitatem. Placet mihi tamen hoc loco Theophylacti expositio, Qui sic ait (In caelestibus) per hoc rursus excitauit auditorem, De magnis (inquit) periculum est, Non enim de terrestribus & corruptibilibus, sed caelestibus res agitur. Præpositio enim (Ἐν ἡμῖν) est pro super uel propter, ut sit sententia, Propter caelestia belligeramur. Quare nos sobrios esse oportet.

Propterea

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Propterea accipite uniuersam armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.

Posteaquàm pericula exposuit, & ad uigilanti-
am milites est cohortatus, repetit iam superiore
cohortationem de induendis armis, sine quibus iterum
negat nos uel hostem reprimere, uel contra eius uires
uel impetus stare posse. Additur autem hic consolatio,
quod quanquam atrox & periculosum certamen sit,
& nobis longum & diuturnum bellum esse uideatur,
per omnem uitam enim quo ad in hac mortali carne
uiuimus, pugnandum est cum hoc hoste, Tamen Pau-
lus totum hoc tempus pugnae, dicit tantum unicum ma-
lum diem esse, Sicuti reuera, tota nostra uita in qua
certatur, collata ad aeternam illã & gloriosam uicto-
riam, tantum dies aut momentum temporis est, Cur
igitur unius diei pugna molesta esset? ex qua uictori-
bus aeterna pax, letitia, salus & uita certo proposi-
ta est.

Et omnibus peractis stare.

HAec tertia exhortatio est quae ad ipsos uictores
pertinet. Hortatur enim cum iam debellatum
est, ne uictores deponant arma & fiant securi, sed ut
armati & solliciti stent & cogitent, cū eiusmodi ho-
ste sibi

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

ste sibi rem esse, qui quanto sepius uincitur, tanto ardentius restaurat bellum, & postea cupiditate uindictæ astuans, eo hostibus instat & mouet omnia, Vult igitur per omnem uitam nos tanquam in acie semper armatos stare.

State ergo succincti lumbos uestros in ueritate.

Hic tandem arma ordine describit & ostendit ad quam corporis partem muniendâ singula sint accommodanda. Duobus autem generibus armorum militibus opus est, Primo quo aduersus ictus hostium corpus sit munitum, prima enim cura militis esse debet tegendi sui corporis. Enumerat igitur quinque genera armorum quibus nos uult esse tectas, baltheum, thoracem, calceos, scutum & galeam.

Secundum genus armorum quibus milites instructi esse debent, est, cum iam ipsorum corpora bene tecta & munita sunt, Vt etiam manus sint ad præliandum & ferendum hostem armatæ. Huius generis armis duobus, uult nos postremo esse instructos, gladio nempe uerbi Dei & assidua precatione.

Succincti lumbos uestros in ueritate.

Primum genus armorum est cingulum seu baltheus quo lumbi circumcincti & muniti esse debent, Erat autem Baltheus cingulum militare, cuius
 usus

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

usque erat non tantum, ut uestes laxiores astringeret,
 & ad iter & pugnam expeditiores faceret, sed ut &
 inferiorem corporis partem contra ictus muniret.
 Erat enim bullis ita ornatuæ, ut ictus repelleret, &
 inferiores corporis partes ueluti ilia, uentrem &
 lumbos tegeret. Hoc cingulum uocat ueritatē, quæ est
 cognitio ueræ doctrinæ, ex qua uera Dei noticiæ &
 uera iusticiæ, id est, reconciliatio discenda & petenda
 est. Vt igitur contra diaboli assultus stare possimus,
 primum omnium necesse est nos esse succinctos & mu-
 nitos ueritate, hoc est, ueræ doctrinæ & ueræ notitiæ
 Dei. Hæc enim tanquam armamentarium est, unde
 reliqua arma petenda sunt. Neque enim in pugna &
 acie contra diabolum consistere possunt, quorum lum-
 bi in quibus uis & robur consistendi est, non sunt
 tecti ueritate, hoc est, cognitione cælestis doctrinæ, et
 agnitione ueri Dei, qui dubitant an sit Deus, aut ue-
 rû Deum ignorant, nesciunt an inuocantes exaudiat,
 iuuet aut seruet, et qui uarijs erroribus impliciti sunt.
 Ita Saul amisso Baltheo ueritatis, hoc est, luce ueræ do-
 ctrinæ & agnitione ueri Dei, in uarios & tetros er-
 rores, & tandem in perpetuam exitium incidit, ideo
 orat Propheta, Lucerna pedibus meis uerbum tuum,
 & lumen semitis meis.

Et induti thoracem iusticiæ.

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Thorax munimentum est pectoris, Vocat autem
 Thoracem iusticia, id est, reconciliationis, &
 simul iusticiam bonæ conscientie. Ex veritate enim, id
 est, uera doctrina Euangelij, munita sunt pectora
 thorace iusticia, ut primum statuamus nos esse recon-
 ciliatos, & propter filium Dei nos exaudiri, recipi &
 seruari gratis. Hoc thorace iusticiæ seu reconcilia-
 tionis pectora nostra munita, confirmantur, hoc est, con-
 cipiunt pacem & leticiam, audent iam per mediato-
 rem accedere ad Deum, & cum inuocare quem antea
 fugiebant, Sicuti Ro. 5. scriptum est. Iustificati ex fide
 pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum
 Iesum Christum, per quem & contigit nobis ut fide
 perduceremur in gratiam hanc in qua stamus, et glo-
 riamur sub spe gloriæ Dei, Hoc est, iusticiam reconci-
 liationis, sequitur postea quoq; iusticia bonæ conscien-
 tiæ. Cum enim mens uidet se iam reconciliatam Deo,
 incipit se ei subijcere, & ei obedire, & ita per Spiri-
 tum sanctum confirmatur, ut ærumnas & afflictiones
 gloriam esse ducat, & ita lata & confirmata acquies-
 cens in solo omnes miseria & calamitates perfert &
 vincit. In hac enim militia opus nobis est, thorace utri-
 usq; iusticiæ & reconciliationis & bonæ conscientie.
 Neq; enim thorax iusticiæ reconciliationis, sine tho-
 race iusticiæ bonæ conscientie retineri potest, Sicuti

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

1. Tim. 1. præcipitur: Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. Item. 2. Cor. 1. Gloriatio nostra hæc est, testimoniū conscientia nostræ. Male. n. pugnatur, preliante aduersus nos ipsos conscientia nostra, & cū fiducia reconciliationis deest, cum ad iram Dei exhorrescimus, & nos ipsos conuincit & damnat conscientia nostra. Hic quia pavor & tremor omnia tenet, & pectora sunt nudata, ruunt in tali certamine mentes in desperationem & mortem.

Et calceati pedibus, ut parati sitis ad Euangelium pacis.

Tertium corporis tegumentum sunt calcei, quæ ipsam Euangelij professionem significant, quæ iter, hoc est, uocationem gubernat, ne quid fiat aut suscipiatur, quod à uocatione aut professione Euangelij sit alienum, Vt cum hoc tempore Pontifices & Episcopi neglecto Episcopali munere tenent imperia, administrant respublicas, gerunt bella, hi non sunt calceati pedibus, neq; parati ad Euangelium pacis, hoc est, non seruant metas suæ uocationis & ei contraria agunt. Breuiter quicumq; aliquid agunt aut suscipiunt, quod cum doctrina aut professione Euangelij pugnat, ij non consistunt in ijs calceis quos Euangelium ipsorum pedibus, hoc est, professioni induit aut circumdat.

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Secundo monentur etiam singuli pii, ut prompti & parati sint ad Euangelij confessionem & propagationem, qua praecipue opera diaboli destruuntur & eius vires languescunt, unde Esai: Cap. 52 ait: Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & praedicantis pacem etc. Vocat autem ideo Euangelion pacis, quod qui aduersus diabolum belligerantur, cum Deo pacem habent per Dominum nostrum Iesum Christum. Econtra quoque qui cum Deo belligerantur, habent pacem cum diabolo. Monemur etiam Sicuti Ro. 12. praecipitur, ut quantum in nobis est, pacem cum omnibus hominibus habeamus, et omnes calamitates ac erumnas bonitate & patientia vincamus, non exerceamus odia, & ne quid moneamus, quod cum calceis, hoc est, professione Euangelij pacis pugnet.

In omnibus sumentes scutum fidei.

Quartum munimentum corporis est scutum. Sicuti enim scuto excipiuntur ictus & tela hostium depelluntur, ne corpori noceant & insigantur, ita fides nitens uerbo Dei & promissa misericordia propter mediatorē non admittit ictus aut tela diaboli ignita, sed ea repellit & extinguit, Et sicut miles scutum corporis, ita fides praesentiam, bonitatem et auxilium Dei, in omnibus pugnis uel Spiritualibus uel corporalibus sibi circumdat, statuens iuxta promissionem, pios Deo curae esse, respici, iuuari, defendi & seruari, sicuti

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

sicuti Psa. 5. ait. Domine ut scuto bona uoluntate coronas nos: Et Psa. 91. Pennis suis teget te, & sub alis eius sperabis, Scutum & clypeus est ueritas eius. Id est, promissiones Dei fide adprehensæ, sunt munimenta præsidium & arx nostra, quas ideo Deus dedit & patefecit, ut periclitantes ad eas confugiamus, et iuxta petitiones editas petamus & expectemus defensionem & auxilium, Opera. n. manuum eius (ut inquit Psa. 111.) Veritas & iudicium, fidelia omnia mandata eius, confirmata in seculum seculi, sunt et sunt uera et recta, id est, præstat quæ promisit. Cum obsideretur Hierosolyma à Senacherib, multis & uarijs ignitis Sathanae telis oppugnatur Regis Ezechie animus, Subijcit ei diabolus tales cogitationes, quod sit abiectus & desertus à Deo, quod exaudire & saluare nolit, et cogitur audire à Rabsace: Dominus dixit ad me: Ascendi super terram istam & disperdi eam, Cogitur item audire multas alias uoces blasphemias, quibus ipsius cor concutitur et uritur, sed Rex pius agens poenitentiam & agnoscens peccata sua & populi, adprehendit scutum fidei, confugit ad promissiones editas, & ad Prophetarum Osee & Esaiæ uaticinia de seruanda per Dominum urbe, & ut seruetur orat Dominum, & certa fide & spe expectat auxilium, atq; ita hoc scuto fidei pugnans & diaboli ignita tela excipiens & extinguens ex his periculis liberatur. Hoc modo fides tan-

Esai. 36.

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

quam Clypeus omnibus calamitatibus, telis & tentationibus spiritualibus seu corporalibus semper opponenda est, quia credentes sciunt & agnoscunt filium Dei esse defensorem Ecclesie & singulorum piorum, sicuti ipse filius Dei promisit. Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Item. Non relinquam uos orphanos. Ero uobiscum usq; ad consumationem seculi.

Et galeam salutis assumite.

Quintum munimentum est capitis. Neq; enim contra hostium ictus pedes & crura, femora & lumbi, & pectus tantū tegendum est, sed quia hostis caput præcipue petit, ideo & hoc muniendum est galea, et quidem galea salutis quam 1. The. 5. Spem salutis eo nomine uocat, quod cū fides sit qua in presentia promissiones accipimus, et eas nobis accomodamus & per eam tanquā scutum contra hostes pugnamus & terrores peccati, iræ Dei & diaboli Tyrannidē uincimus, Ita spes est, expectatio futuræ liberationis ex presentibus malis & miserijs, quæ est principalis consolatio, leniens & mitigans omnes huius uitæ ærumnas. Quia enim Paulus certa spe expectat liberationē, ideo sustinet pericula, persecutiones, crutiatu et alia mala, sicuti Tim. 4. ait. Bonū certamen certauī, cursum consummaui, fidē seruauī, in reliquo reposita mihi est corona iusticiæ etc. Hanc galeā spem liberationis, salutis et uitæ æternæ qui non habent, non dimicant, aut si dimicant

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

micant uincuntur. Spes enim aeterna uita est caput
omnium consolationum, unde Galea uocatur.

Et gladium Spiritus quod est uer-
bum Dei.

Hucusq; enumerauit arma quibus corpus tegi-
tur et munitur, hic instruit milites ijs armis qui-
bus ad ferendum & propulsandum hostem opus est.
Sicuti autem corporis munimenta quae hactenus re-
censuit, non fuerunt corporalia, non arma ferrea aut
aenea, sed Spiritualia uidelicet ueritas, iusticia, fides &
spes. Tres enim pueri in ardente fornace, Daniel inter
Leones, non praesidio aliquo humano custodiuntur,
sed tuti sunt iusticia, fide & spe, et Deo custodiente. Ita
& ad fugandum hostem non armis ferreis aut machi-
nis aeneis, sed gladio Spiritus & ardenti prece
armamur a Paulo. Vocat autem gladium Spiritus,
Quia Spiritus sanctus per uerbum est efficax, sicuti
Hebre. 4. scriptum est. Viuus est sermo Dei & efficax
& penetrabilior omni gladio ancipiti & c. Rom. 1.
Euangelium est potentia Dei ad salutem omni creden-
ti. Hoc gladio Christus diabolum ipsum tentantem
Matth 4. Repellit, quo & nos hunc hostem fuga-
mus, & contra hereticos testimonijs uerbi Dei pug-
namus. Danda igitur omnibus pijs opera est, ut
cura discendi, docendi, propagandi, & assidua me-
ditatione

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

meditatione hunc gladium quisq; sibi acuat, et semper,
cum opus est, ad manus habeat.

Per omnem orationem & obse-
rationem.

Alterum genus armorum quo ad repellendum
hostē est opus, est assidua precatio, qua et diabo-
li scuitiam, et Tyrannorū persequentium Ecclesiā uio-
lentiā reprimimus. Cum igitur hoc modo armis bene
instructi tanquā in acie stamus, necesse est accedere ora-
tionem, qua petatur, ut Deus nobis pugnantibus adesa-
se, robur, auxilium & uictoriam prestare uelit.

Sicuti præceptum est. Inuoca me in die tribulationis,
& ego exaudiam te & c. Psa. 50. In tribulatione inuo-
casti me, & liberaui te, exaudiui te & c. Item Psa. 90.
Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum
in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Ita
Christus in agone congressurus iam cum peccato, ira
Dei, morte & diabolo, ter intentissime orat in horto,
& confortatur ad hoc tam triste & atrox certamen
per Angelum, Quo in loco & discipulos & nos om-
nes hortatur ne simus securi, sed uigilantes, & acres,
& nos ad agones et certamina per uigilantiā & ora-
tionem præparemus, cum ait: Vigilate & orate ne
intretis in tentationem.

Orantes omni tempore.

Diligenter

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

Diligenter hic ordine consideranda sunt circumstantiæ, quibus nos ad orationem hortatur. Prima autem est temporis, quando orandum sit. Vult enim nos in omnibus tentationibus & malis, & non uno aut certo tempore, aut in certo loco, sed omni tempore, & in omni loco semper ad orationem tanquam ad sacram anchoram confugere. Novi enim adoratores non sunt ligati neque ad certum locum, neque tempus, sed ihs passim in omni loco & tempore patet accessus ad patrem, per mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum. Et hic cultus inuocationis, tam est gratus Deo, ut prius quam incipias orare, iam tum precatio sit exaudita. Sicuti Danie. 9. scribitur. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, Ego autem ueni (inquit Angelus) ut indicarem tibi etc. Talem enim Deum habemus, qui plus propensus est ad exaudiendos et iuuandos nos, quam nos ad petendum sumus, Quæ res ad assiduum precationem exuscitare nos debebat, sicut testatur Psa. 145. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate, uoluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Et Christus Lucæ 18. inquit. Oportet semper orare nec defatigari.

In Spiritu, & ad hoc ipsum uigilantes cum omni sedulitate & deprecatione.

Secundo

ENARRATIO CAPITIS SEXTI

Secunda circumstātia est, qualis esse debeat oratio
 nempe non inanis ἄσκοπος qualis Pharisaeo-
 rum erat, & multorum quoq; hoc tempore est in Pa-
 patu, qui horas canonicas, Psalterium, & uarias præ-
 ces non intellectas tantum uentris causa recitant, sed
 talis p̄i debet esse oratio, ut primum statuat se pro-
 pter filiū Dei, recipi et exaudiri, & per hunc, & pro-
 pter hunc sibi patere aditum ad Deum, & oratio in-
 tueatur, non suam dignitatem, uel indignitatem, sed
 mandatum Dei quo præcipitur ut oremus, & promissio-
 nes quibus Deus ostendit se uelle nos exaudire &
 seruare, Et ipsa petitio sit accensa ardentibus gemitu-
 bus & animus non alijs cogitationibus occupatus, sed
 totus intentus ad Deum, unde orationem dixerunt esse
 se ardentem eleuationem mentis ad Deum. Opus igitur
 est magna contentione animi in orando. Ideo hic
 inquit Paulus. Orantes in Spiritu, & ad hoc ipsum ui-
 gilantes cum omni sedulitate & deprecatione. Qua-
 re recte respondit Agathon interrogantibus quid esse
 set hominis pijs opus omnium difficilimum, cum dixit
 id esse orationem, in qua summa contentione & uigi-
 lantia opus esset, ne a Diaboli interrumpetur, qui
 ideo orantes uarijs cogitationibus impugnant, quod
 nulla alia re, uires suas ita atq; oratione labefactari
 sentiunt. Simul autem per hæc uerba monemur ne fra-
 stri labore, aut contentione orationis defatigemur, &
 cessemus

EPISTOLAE AD EPHESIOS.

cessemus ab oratione, sed ut seduli eam urgeamus, flucti & Christus ait, Oportet semper orare, nec des fatigari. Et Paulus. Instantes orationi.

Pro omnibus sanctis, & pro me.

HAec est tertia circumstantia quae monet pro quibus orandum sit, nempe non pro uno atque altero tantum, sed pro toto corpore Ecclesiae, ac praecipue pro Doctoribus et ministris uerbi, ne cursus uerbi impediatur, sed Euangelij uox late per totum terrarum orbem spargatur, Sicuti & 2, Thess: 3. scriptum est. Orate fratres pro nobis ut sermo Domini currat. Et Colo: 4. Consecrationi instate, uigilantes in ea cum gratiarum actione orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi, Reliqua in fine Epistolae per se plana & perspicua sunt, nec opus est explicatione.

Ἰησὺς Χριστὸς

ARTICULUS DE EPISCOPIS

Episcopus est sacerdos, sed non
omnis sacerdos est episcopus
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate

Pro omnia facta. Et pro me

Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate

Episcopus est in potestate

Episcopus est in potestate

Episcopus est in potestate

Episcopus est in potestate

Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate


Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate

Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate

Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate

Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate

Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate
Episcopus est in potestate



THE HISTORY OF THE

ROYAL NAVY

71

10

10

